[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

[illegible]

FRANCISCI XAVERII
ALEGRII
PRESBYTERI VERACRUCENSIS
INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM
LIBRI XVIII.

In quibus omnia Catholicæ Ecclesiæ Dogmata, Præcepta, Mysteria, Sacramenta, Ritus adversus Paganos, Hæreticos, et Recentiores Philosophos asseruntur, et explicantur.

TOMUS SEXTUS.

COMPLECTENS TRES SEQUENTES LIBROS.

XIV. De Sacrificio Novæ Legis.
XV. De Sacramentis in genere. De Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.
XVI. De Pœnitentia. Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio.



VENETIIS,
TYPIS ANTONII ZATTÆ, ET FILIORUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.
M. D. CC. XCI.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER DECIMUSQUARTUS.

De Sacrificio Novæ Legis.

P R Æ F A T I O.

AUthor fidei nostræ, & consummator JESUS sicut Ecclesiæ suæ nova, & sublimissima proposuit credenda mysteria, ita ad divinum cultum spectantia Sacrificia, & Sacramenta instituit, sine quibus nulla unquam inter homines fuit, aut esse potuit Religio. Quum igitur de novæ legis mysteriis actum fuerit, nunc de ejus sacrificio, & Sacramentis agendum erit, de quo argumento D. Thomas a quæstione 60. tertiæ partis usque ad finem, & 4. cont. Gent. a cap. 56., & ibi Cajetanus, Suarius, Ferrariensis, Bellarminus per libros plures in 2. tomo Controversiarum, & universim Scholastici Doctores in quartum Sententiar. atque in tertiam partem D. Thomæ. Quum autem supra, (*lib. 6. prop.* 14.) ubi de Religione sacrificii naturam, ac divisiones tradiderimus, hic de sacrificio novæ legis a Christo instituto solum erit disputandum.

P R O P O S I T I O I.

Oportuit esse in Ecclesia Christiana verum aliquod, & proprium Sacrificium.

1. ECclesia enim est cœtus, sive societas hominum Christianam fidem, & Religionem profitentium. Religio autem Deum non solum interno, sed etiam externo cultu Deum colendum docet, quæ omnia suis supra locis ostensa sunt; (*lib.* 1. *prop.* 21. *&* *lib.* 6. *prop.* 12.) Sacrificium vero inter externos ritus maximum est, ac præcipuum Religionis opus, ut item est ostensum: (*lib.* 6. *prop.* 14.) ergo in perfectissima Dei cultorum societate, qualem esse Ecclesiam Christianam supra ostensum est, (*lib.* 11. *prop.* 4.) sacrificium deesse non potest. Confirmatur ex celebri illo Augustini effato: (*lib.* 19. *cont. Faust.*) In nullam Religionis, imo civilis vitæ societatem coire homines possunt, nisi aliquo Sacrificiorum, & Sacramentorum vinculo

constringantur. Unde illud Plutarchi: Invenies urbes sine mœnibus, sine fontibus, sine Theatris, sine foro; at nullam sine aris, sine templis, sine Sacerdotibus &c. quod & apud toto divisas orbe Americanas gentes experimento comprobatum est.

2. Item: Translato Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat: (*Hebr.* 7.) ergo & similiter translata lege, necesse est, Sacerdotii translationem esse factam; sed per Christum translata est lex Mosaica in novam legem altioris, & sublimioris cultus, nam (*ibid.*) reprobatio facta est veteris mandati propter ejus infirmitatem, & inutilitatem: ergo item & Sacerdotium translatum est ex Aaronico in illum, qui est secundum ordinem Melchisedech; hoc autem Sacerdotium æternum est in Christo, cui dictum est: (*Ps.* 109.) Tu es Sacerdos in æternum: ergo est in Ecclesia Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod ab ea deficere non potest. Jam vero Christus in statu vitæ immortalis hoc sacerdotium per semetipsum exercere non potest modo conspicuo, externo, & sensibili, alias meritum fidei destrueretur, ex qua justus vivit: (*Rom.* 1.) ergo oportuit aliquos esse in visibili Ecclesia visibiles ministros, & Vicarios Christi, seu Sacerdotes: omnis autem Sacerdos seu Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: (*Hebr.* 8.) unde necesse est & Christum, & ejus vicarios Sacerdotes habere aliquid, quod offerant, quod pertinet ad rationem Sacrificii: est igitur in Ecclesia Christiana verum, & proprium sacrificium, quod erat propositum.

3. Præterea: Est in Ecclesia Altare, de quo dictum est ab Isaia: (*cap.* 19.) In die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, quum nempe Gentes ad fidem erant vocandæ: Altare, de quo Apostolus: (*Hebr.* 13.) Habemus Altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deserviunt: de quo idem, (1. *ad Cor.* 10.) Non potestis mensæ, (aut Altaris) Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Altare autem dictum est quasi alta ara, ad quam hostiæ in Dei honorem mactantur, quod pertinet ad rationem Sacrificii: est igitur verum aliquod, & proprium in Ecclesia Christiana sacrificium. Confirmatur: Nam idem Deus est & naturalis Legis, & Mosaicæ, & Evangelicæ author; sed in Naturali lege sacrificiorum usum hominibus juxta rationis ductum inspiravit, & in lege scripta id positive præcepit: non ergo in Ecclesia Christiana externos ritus, baptismum, Sacrificium, Sacerdotium, localem adorationem omnino abstulit, sed in melius mutavit.... Pro cruento animalium sacrificio spirituale, incruentum, ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per corporis, & sanguinis sui symbola celebratur, quod in 6. Constit. Apostol. (*cap.* 23.) habetur. Non enim universim oblationes reprobatæ sunt. Oblationes & illic, oblationes & hic

fic, sacrificia in populo Judaico, sacrificia in Ecclesia, sed species immutata est tantum, inquit Irenæus. (*lib.* 4. *cap.* 34.) Qui ergo ab Ecclesia sacrificium tollunt, hoc tentant, ut gens illa, nimirum Christiana, quæ plurimis est a Deo cumulata beneficiis, minus illi grata sit, minoremque cultum, & honorem Creatori exhibeat, ait Petrus Cluniacens. (*in ep. adv. Petrobus.*) Innumera hic congeri possent aliorum Patrum testimonia, quibus ab tempore Apostolorum ad nostra constans Ecclesiæ de hac re traditio patet. Multa obiter dabuntur in sequentibus, ubi de Christiani Sacrificii natura dotibus, atque effectis agetur.

4. Probatur item præjacta assertio in hunc modum. Ratio Sacrificii non pugnat cum perfectione Religionis Christianæ, neque ex parte hominis offerentis, neque ex parte Dei, cui offertur, neque ex parte rei oblatæ, neque ex parte modi offerendi, quin potius ex his omnibus capitibus congruentissima est: Sacrificium ergo in Christiana Ecclesia necessario admittendum. Ex parte quidem Offerentium patet. Nam sacrificium, ut alibi (*lib.* 6. *prop.* 14.) ostensum est, vel est pure Latreuticum, per quod Dei Excellentissimam naturam colimus, eique tanquam supremo nostri, & rerum omnium authori, ac Domino debitam servitutem protestamur, vel est Impetratorium, per quod aliquod ab eo beneficium speramus, & poscimus, vel est Propitiatorium, aut Expiatorium, per quod eum peccatis nostris offensum placabilem, & propitium reddimus, vel est Eucharisticum, per quod pro acceptis beneficiis gratias agimus. Ob hæc enim omnia Deo sacrificium jure naturæ debetur, ut supra (*lib.* 6. *prop.* 14.) dictum est; sed ea, quæ sunt juris naturæ, Religio Christiana non evertit, imo potius perficit, atque elevat: ergo obligatio ad Sacrificium aliquod Deo offerendum per Christianæ Religionis professionem non cessat. Imo crescit: Nam excellentia divinæ naturæ perfectius a Christianis cognoscitur, majora ab eo beneficia speramus, majora, quibus grati simus, accepimus, & multo gravius, si peccaverimus, eum offendimus. Ex parte ergo offerentium nihil est, quod Christianæ Religioni repugnet, imo nihil est, quod valde Christianæ Religioni non congruat.

5. Ex parte autem Dei, cui unice Sacrificium offertur, nihil item est Deo indignum, imo quod ipsum valde non deceat. (*Aug. epist.* 15. *soliloq.*) Nam omnia propter semetipsum operatus est Deus, & sibi soli gloriam dandam esse voluit, dicens: (*Isai.* 42.) Gloriam meam alteri non dabo; sed per sacrificium, quod uni Deo offertur, ut supra (*lib.* 6. *prop.* 14.) ostensum est, soli Deo exhibetur omnis honor, & gloria, sive quum fit in protestationem divini Dominii, sive quum ab eo bona deposcuntur, sive quum ei bona accepta referun-

runtur, sive quum ab ejus longaniminitate venia speratur: Sacrificium ergo per sese sub his rationibus spectatum non nisi Deo gratum, & gratissimum esse potest.

6. Ex parte vero rei oblatæ idem convincitur. In Sacrificio enim novæ Legis immolatur Deo verum corpus, & sanguis JESU Christi', (*Hebr.* 9.) qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut infra (*prop.* 4. *huj.*) demonstrabitur; sed eo corpore, & sanguine nihil in rebus corporeis pretiosius, nihil purius, nihil Deo gratius, nihil homini utilius inveniri potest: ergo ex ea parte sacrificium Christianæ Religioni repugnare non potest, imo ipsam maxime decet.

7. Superest ergo, ut modus offerendi in causa sit, ut sacrificium Christianæ Religioni non congruat. Hoc autem ideo erit, vel quia incruentum est, vel quia sæpius, & quotidie idem repetitur; sed neutrum dici potest: ergo &c. Minor quoad primam partem probatur. Nam cruenti, aut incruenti differentia ad sacrificii rationem non spectat. Nunquid enim, inquit, (*Ps.* 49.) manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? An sola carne, & sanguine concreta Deo in sacrificium offerri possunt? Igitur solum affectus animæ sanctissimæ vitam suam, & corpus, & sanguinem pro salute mundi tradentis ex ardentissima Dei, & hominum charitate Deo fecit infinite gratam oblationem filii sui; hæc autem voluntas est eadem, sive incruente Christus, sive cruente offeratur, aut semetipsum offerat Patri: cruenti ergo, aut incruenti sacrificii discrimen nihil obest sive ad veram rationem sacrifici, sive ad ejus æstimationem, efficaciam, & meritum. Deinde: non eadem est imaginis, & rei per ipsam significatæ natura, & qualitates. Crucis autem sacrificium fuit physica, & sensibilis immolatio Christi, unde ibi fuit & effusio sanguinis, & sequuta naturalis mors. Celebratio autem Eucharistiæ imago quædam est repræsentativa passionis, quæ est vera ejus immolatio. (*Aug. in qq. ad Simplic. q.* 1.) Solent autem imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut quum intuentes tabulam, aut parietem depictum, dicimus: ille Cicero est, ille Sallustius. Sic ergo in Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos non per dies singulos offerimus? utique, sed ad recordationem mortis ejus, quod est apud Ambros., aut si quis est author Comment. in Ep. ad Hebr. (*cap.* 10.) Quoties ergo hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur, quia idem Christus immolatur, quamvis non eodem modo immoletur. Alia est autem repræsentatio rei adhuc futuræ, alia repræsentatio rei jam existentis, aut præteritæ. Per sacrificia quidem vetera repræsentabatur Christi sacrificium futurum; per nostrum autem

tem sacrificium Christi jam pro nobis passi, & in Cruce mortui: ergo sicut potuit mors futura Christi repræsentari per figuras hircorum, & vitulorum, & pluries repræsentari, quamvis res figurata in omnibus esset eadem, quin hoc derogaret unitati, & valori sacrificii offerendi per Christum, ita mors Christi præterita repræsentari potest per separatam consecrationem panis, & vini, & pluries repræsentari, quamvis res oblata, & figurata sit in omnibus eadem, quin hoc deroget unitati, & infinito valori sacrificii Crucis. Et sicut repræsentatio mortis Christi futuræ erat proprium, & verum sacrificium in lege veteri, ita repræsentatio mortis Christi præteritæ est verum, ac proprium sacrificium in lege nova.

8. Ex quo ratiocinio a D. Thoma (3. *p. q.* 83. *art.* 1.) breviter præstricto eruitur solutio ad argumentum, quod est in hac materia validissimum. Paulus enim Mosaicorum sacrificiorum infirmitatem, & inutilitatem ut ostenderet, ita argumentatur: (*ad Hebr. cap.* 8.) Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna Redemptione inventa .... (*cap.* 10.) & una oblatione consummavit in æternum santificatos: ergo non opus est, ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos..... (*cap.* 9.) Alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Item argumentatur Paulus: (*cap.* 10.) Antiquæ hostiæ non potuerunt ad se accedentes perfectos facere... Impossibile est enim, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Quod si per ea sacrificia peccata auferrentur, cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati; sed in earum hostiarum ipsarum oblatione commemoratio peccatorum per singulos annos fit,... & omnis Sacerdos præsto est, quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias: ergo quia hujusmodi hostiæ nunquam possunt auferre peccata. Præterea: (*cap.* 7.) In lege veteri plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quia morte prohibebantur permanere; Christus autem eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium .... Item: (*cap.* 10.) voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Hæc autem omnia Pauli argumenta eodem modo probant, nullum esse alium Sacerdotem, aliam hostiam, aliud sacrificium præter Christum, & ejus immolationem, qui unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: nullum ergo esse potest in Ecclesia Christiana sacrificium, quod Christi Sacerdotio, & ipsius immolationis plenitudini, valori, & merito, ac dignitati non deroget. Ita Calvinus in 4. Instit. cap. 18.

9. Huic autem ita fuse, clare, ac solide respondit Bellarminus Car-

Cardinalis, (*lib.* 1. *de Miss. cap.* 6. & *cap.* 25.) ut qui post illum scripsere Theologi, nihil fere addendum existimaverint. Ejus autem responsionis hæc summa est, quam D. Thomas tradidit, (*in comm. & in hac q. cit. ad prim.*) nimirum, unam, atque eandem esse oblationem ex parte rei oblatæ, quamvis offerendi ratio diversa sit. Una enim est hostia, sicut Ambrosius, vel Hilarius Diaconus dicit, (*in cap.* 10. *ad Hebr.*) nimirum, quam Christus obtulit, & nos offerimus & non multæ, quia semel oblatus est Christus. Novæ autem Legis sacrificium repræsentatio quædam, & exemplum est illius. Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, & non multa corpora, ita & unum est sacrificium. Non ergo necesse est, ut Christus sæpe se ipsum offerat cruenta illa immolatione, alioqui oportebat eum pati ab origine mundi, si quoties homines peccarent, toties Christus fuisset crucifigendus. Una enim oblatione exhausit omnia peccata, omnium persolvit debita, & omnem gratiam nobis promeruit. Sed tamen sicut antiqui Patres, quamvis per Christi mortem justificarentur, tamen sacrificiis figurativis indigebant, quibus suam fidem profitentes; meritorum Christi singularem applicationem consequerentur, ita & nos, quamvis per Christi passionem liberati a peccatis fuerimus, ac bonis omnibus ditati, tamen & Sacramentis, & Sacrificio figurativo indigemus, per quæ virtus, atque efficacia Sacrificii illius nobis singulariter applicetur. Nam si Rex ingentem pecuniæ summam reliquerit ad subditorum suorum debita omnia solvenda, & bona, quibus indiguerint procuranda, & hujus summæ dispensationem ministris fidelibus commiserit, non ne vere dicetur, una erogatione omnium debita extinxisse, & omnibus necessitatibus subvenisse? Et tamen si tuum debitum non agnoscas, si tuam egestatem non fatearis, si ad ministros non accedas, si soluti debiti chyrographum non accipias &c. nihil de liberalitate Regis ad te perveniet. Age vero quum ea feceris per quæ, & sine quibus de thesauro amplissimo, plenissimo, & inexhauribili particeps esse non poteris, dicerisne injuriam Optimo Principi facere, atque ejus liberalitati derogare?

10. Ad secundum dicendum, argumentationem Pauli Apostoli recte procedere de hostiis Legalibus, quæ in singulis sacrificiis distinctæ erant, non autem valere de sacrificio novæ legis, ubi idem sacrificium cruentum repræsentatur, & eadem hostia, nimirum, corpus immaculatum, & sanguis Christi incruente offertur, ut infra (*prop.* 4. *huj.*) declarabitur. Ad tertium dicendum, Summo Sacerdoti Christo neminem succedere. Sicut autem quamvis Christus sit summus Ecclesiæ Magister, & Doctor, tamen ejus virtute, & authoritate alii sunt in Ecclesia visibili Magistri constituti, & Doctores; & sicut quamvis Christus sit summus Pastor, (1. *Petri* 2.) & Episcopus animarum, no-

nostrarum, sunt tamen alii Pastores, atque Episcopi, non quidem ei succedentes, sed pro Christo legatione fungentes, ejusque authoritate, ac virtute, divina nobis ministrantes, ita quamvis summus Sacerdos sit Christus, sunt tamen alii in Ecclesia visibili Sacerdotes ipsum repræsentantes, & ejus personam gerentes.

11. Argumentum autem postremum facilis solutionis est; si cum Suario (*in* 3. *p.q.* 83. *ar.* 1. *disp.* 74. *Sect.* 1.) dicamus, Apostolum non loqui de hostia aliqua, quæ sit expiativa peccati in genere, sed de hostia Mosaica, & legali. Scribit enim, inquit, ad Hebræos, qui vel Christi non admittebant, vel cum illa legis cæremonias conjungere volebant, quibus dicitur, non relinqui illis hostiam pro peccato, quia nec vera hostia a Christo illis oblata frui volunt, quum ab ejus fide ita voluntarie deficiant, neque legalis hostia illis prodesse possint, quum per Christum sit abolita, neque alius sit Messias venturus, qui redemptionem afferat. Quamvis autem hæc interpretatio satis sit probabilis, non tamen cogimur dicere, Apostolum ad sacrificia judaica respexisse, ait Bellarminus. (*lib.* 1. *de Miss. c.* 25.) Sententia enim Pauli hoc tantum postulat, ut acquisita per Christum remissione peccatorum, & soluto pretio, non alia opus sit oblatione acquisitiva illius pretii. Potest tamen concedi, Paulum respexisse ad sacrificia legis non ut erant repræsentativa sacrificii Crucis, sed ut erant figuræ ejus sacrificii futuri. Peracto enim hoc sacrificio, & pretio acquisito, frustra adhibebantur figuræ promittentes id, quod jam habebamus. Quod autem Paulus non excludat sacrificia repræsentativa, & applicativa sacrificii Crucis, manifestum est, nam alioqui excluderet etiam baptismum, & Cœnam Domini, quæ sunt etiam Sacramenta repræsentativa, & applicantia sacrificium Crucis, immo & Verbum, & fidem, & orationem, & omnia media, seu instrumenta, quibus nobis Dominicæ passionis fructus applicatur. Nam eodem modo argumentari quis posset: Per crucem remissa sunt omnia peccata: ergo inutilis est baptismus, & omnia media justificationis.

12. Contra solutionem autem ad secundum opponitur. Nam vel Paulus excludit, omne aliud sacrificium post mortem Christi, vel non recte concludit sacrificia veteris legis fuisse imperfecta ex frequenti, & repetito ipsorum usu. Probatur: Nam si in lege nova est alicujus sacrificii usus: ergo oblatio ejus sacrificii sæpius repetitur: ergo vel tale sacrificium, quod repetitione indiget, imperfectum est, vel conclusio Pauli de imperfectione antiquorum sacrificiorum non est legitima. Quod si dicatur, repeti sacrificium, non quia sit imperfectum, sed quia nova peccata addimus, quæ per præcedens sacrificium remissa non fuerant, responsio quidem erit bona, sed argumentum Pauli non stabit, nam idem de suis sacrificiis Judæi respondere possent.

sent. Si vero dicatur, Apostolum argumentari ex multiplicatione hostiarum, quæ apud nos non est, quum eadem sit hostia, nimirum corpus, & sanguis Domini, quod in Cruce, & in Eucharistia offertur, ut supra dictum est, dicetur contra. Nam. Pauli ratio non solum videtur excludere multiplicationem hostiarum, sed etiam repetitionem ejusdem hostiæ. Nam si Sacrificium cruentum repeteretur, signum esset, primam ejus oblationem sufficientem non fuisse: ergo si ejusdem hostiæ oblatio incruenta toties repetitur, signum est, neque hanc, neque primam illam incruentam fuisse ad expiationem peccatorum sufficientem. Respondetur tamen: aliud esse loqui de actione, aut oblatione, per quam pretium solvitur, aliud de oblatione, per quam pretium jam pro omnibus in communi solutum, huic, aut illi in singulari applicatur. Igitur veteris Legis sacrificia neque per se erant sufficiens pretium ad solvenda, & exhaurienda peccata, neque per se erant media sufficientia ad applicandam remissionem peccati per Christum, quum hæc nondum facta fuisset, sed futura esset. Itaque erat lex, & omnia, quæ in lege præscribebantur, umbræ futurorum, solumque proderant suscipientibus secundum fidem, quam actu habebant ea profitentes. At in lege nova quum pretium solutum jam sit, nihil restat nisi applicatio ad singulares personas per oblationem ejusdem hostiæ, per quam pretium jam solutum, quum in cruce immolata est, huic prodest in individuo, quum cruenti sacrificii memoriam colit, & ibi oblatam hostiam Deo denuo offert.

13. Sed oppones adhuc: Nam in immolatione Christi idem est Sacerdos, & hostia, quod ab Augustino in 4. de Trin. (*cap.* 14.) dictum est, & a PP. communiter; sed in Sacrificio novæ legis non potest idem esse sacerdos, & hostia: ergo &c. 2. Sacrificium rei animatæ esse sine morte, & sanguinis effusione non potest: nam sine sanguinis effusione non fit remissio: nullum est ergo sacrificium incruentum, quale esse supponitur sacrificium novæ legis. Ad primum negatur minor, aut explicatur in hunc modum: non potest idem esse Sacerdos primarius, & invisibilis, & victima, nego; non potest idem esse sacerdos secundarius, ac visibilis, & victima, concedo. Sacerdos enim hic secundarius gerit imaginem, & figuram Christi in cujus virtute, & persona verba consecrationis profert. Christi enim manus invisibiliter extensa sacrificat, quod est apud Chrysostomum, (*hom. de propit. Judæ.*) & ita quodammodo idem est sacerdos, & hostia. Quodammodo autem dixit D. Thomas, (*q.* 82. *art.* 1. *&* 2. *q.* 83. *ar.* 1. *ad* 3.) quia non omnis qui consecrat, est idem hostia, sed solum qui primario consecrat, nimirum Christus. Item quia non eodem modo est Sacerdos, & hostia. Sacerdos enim est sub propria

spe-

specie in cœlis existens; hostia autem est sub aliena specie in Altari delitescens. Ad secundum explicatur major: Sacrificium carnalis Legis, & servitutis, concedo; sacrificium mysticæ Legis, & libertatis, nego. Immutata est apud nos tantum species, inquit Ireneus; (*Loc. cit.*) quippe quum jam non a servis, sed a liberis offeratur. Paulus autem in citatis verbis de ritu Mosaico loquitur. Inquit enim: Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Potest item generatim accipi Pauli sententia. Nam in lege etiam nova non fit remissio nisi in virtute sanguinis Christi in Cruce effusi. Lavit enim nos a peccatis nostris in sanguine suo. (*Apoc.* 1.)

14. Opponitur præterea locus Joannis 4. Venit hora, quando neque in Hierosolymis, neque in monte hoc adorabitis Patrem; sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Sic autem argumentatur. Adorare eo loci, idem est ac sacrificare, quod ex multis aliis Scripturæ locis ostendi potest, dicitur enim: (*Gen.* 22.) postquam adoraverimus, id est, postquam sacrificium obtulerimus, revertemur ad vos.... Venerat adorare in Hierusalem, (*Act.* 8.) id est, sacrificium offerre. Nam adoratio simplex etiam extra templum fieri poterat, neque in hoc ab Judæis dissidebant Samaritani, cum quibus Dominus loquebatur: ergo in nova Christi lege nullum erat futurum sacrificium nisi illud Laudis, & Cordis contriti & humiliati, per quod Deus in spiritu, & veritate adoratur, non certo loco, non certo ritu, ac cæremoniis. Unde Cæcilius Ethnicus apud Minucium: (*in Octav.*) Cur nullas aras habent Christiani? nulla templa, nulla simulachra? Habuissent autem aras, & altaria, si sacrificia obtulissent: ergo veteres Christiani nullo utebantur sacrificio, neque ullum ex Christi doctrina esse debet in Ecclesia sacrificium. Ad argumentum, concesso antecedenti, negatur consequentia. Imo potius ex verbis Christi Domini contrarium conficitur. Proposuit enim Samaritana mulier quæstionem hanc: Vos dicitis, quia in Hierosolymis est locus, ubi oportet adorare, id est sacrificium offerre. Idem ergo significat verbum adorandi in quæstione, & interrogatione fœminæ, atque in responsione Christi; at Christus non ait, venisse tempus, in quo non sit Deus adorandus: ergo non ait, venisse tempus, in quo non sit Deo sacrificandum. In Christo ergo venit tempus, quum non Hierosolymis, non in monte Garizim, sed in omni loco, juxta Malachiam (*cap.* 1.) offerenda erat Deo hostia munda: offerenda autem erat non in taurorum, & hircorum carne, sed in spiritu; non in signo, & umbra futurorum, sed in veritate rerum jam gestarum. Hæc autem verborum Domini interpretatio his duobus ratiociniis fulcitur a Bellarmino in 1. de Mis-

sa. (*cap.* 11.) Nam Christus significat mutationem aliquam faciendam in ritu adorandi, aut sacrificandi; sed non in ritu sacrificandi per actus internos, aut externos orationum, precum, eleemosynarum, canticorum, hymnorum &c. quia hujusmodi actus neque in lege nova, neque in veteri, neque apud Judæos, nec apud Samaritanos erant certo loco ita alligata, ut extra illum fieri licite non possent, & quæ large, & improprie sacrificia dicuntur: Christus ergo aliquid novum induxit circa verum, & proprium sacrificium, quod futurum erat in Ecclesia. Ulterius: Non erat quæstio de adoratione mere interna, neque de adoratione privata. Hæc enim, ut nuper dictum est, etiam extra templum, aut montem Garizim fieri poterat: ergo de ritu adorandi, sive sacrificandi externo, & publico: ergo in lege nova aliquis ritus externus, & publicus adorandi successurus est ritui Mosaico, quod erat propositum.

15. Quod etiam ex veteris testamenti libris erui potest. Nostrum enim Sacrificium, quod ajebat Augustinus, (*Ep.* 49. *qu.* 3.) non solum Evangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratum est. Dictum est enim: (*Isai.* 19.) Cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum hostiis, & muneribus .... Et erit in die illa altare Domini in medio Ægypti. Hoc autem in tempore ante Christum non accidit: futurum ergo erat post Christianæ fidei prædicationem, quod Eusebius in 1. de Demonst. Evangelica, (*cap.* 6.) Hieron. in comment. ad Isaiam adnotaverunt. Id autem de interno, & mere spirituali cultu intelligi non potest, ad quod altare necessarium non est: est igitur necessario intelligendum de externo cultu, & sacrificio. Scriptum est item: (*Isai.* 66.) Et assumam ex eis Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus. Et item: (*Jerem.* 33.) Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel, & de Sacerdotibus, & Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustomata &c. Sed quod non defuerit vir de domo David intelligendum necessario est de Christo, qui regnabit in domo David in æternum: ergo reliqua similiter intelligenda sunt de Christo, cujus Sacerdotium est æternum, & cujus Ministri, & Vicarii nunquam deficient, quum Reges ex familia David, & Sacerdotes ex familia Aaronis defecerint. Item scriptum est: (*Dan.* 8. *&* 12.) Antichristum ablaturum juge sacrificium; sed non illud Mosaicum, quod multo ante Antichristum esse desiit: ergo juge sacrificium Ecclesiæ: erit ergo in Ecclesia usque ad Antichristi tempora juge sacrificium. Dices: Scripturam loqui de Antiocho. Respondemus tamen, Scripturam loqui de Antiocho, quatenus figura erat Antichristi. Unde sicut quod de Salomone dicitur, quatenus erat figura Christi, dictum intelligitur ad litteram de Christo, ita quod dicitur de Antiocho, ut figura

Antichristi, dictum intelligitur ad litteram de Antichristo. Ex quo præcluditur evasio Calvini dicentis, hoc esse dictum allegorice, ex quo validum argumentum sumi non potest. Quando enim sensus allegoricus per alium sacrum authorem, ac divinitus inspiratum usurpatus est, eo ipso jam non allegoricus, sed litteralis veluti, atque ab Spiritu Sancto præcipue intentus habendus est. Locum autem Danielis ita interpretatus est Joannes Apocal. 13. ita interpretatus est Paulus 2. ad Thessal. 2., qui de Antiocho dicta, interpretantur de Antichristo.

16. Denique id ipsum convincitur ex Malachiæ testimonio: (*cap.* 1.) Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis, usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Porro hoc Malachiæ testimonium intelligi non potest de sacrificio Crucis, quod solum Hierosolymis oblatum est, nec de sacrificiis Mosaicis, quia offerendum dicitur a Gentibus, nec de sacrificiis piarum Gentium, quia hæ paucissimæ erant ut Job, Melchisedech &c., hoc autem offerendum dicitur in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum. Neque de sacrificio mere interno precum, contritionis, &c. quia hæc etiam erant apud pios Judæorum, neque unquam Deo displicuisse poterant. Adde veteres PP. Justinum, Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Eusebium, Chrys. Hieron. Aug. Theodoretum, Damascen. qui locum Malachiæ ita exposuerunt, quarum loca dabit Bellarminus lib. cit. cap. 10. Loquitur ergo Malachias de sacrificio novo per Messiam instituendo, Judæorum sacrificiis substituendo, ubique terrarum ab ortu ad occasum offerendo, de sacrificio mundo, quod offerentium improbitate pollui non posset, item de sacrificio proprio, externo, ac ritu conspicuo celebrando; hæc autem omnia vera esse non possunt de alio, quam de novæ legis sacrificio: est igitur in nova lege verum aliquod, & proprium sacrificium, quod erat propositum.

PRO-

PROPOSITIO II.

Missa Catholicorum verum est, & proprium novæ Legis sacrificium.

1. EST enim in Ecclesia Christiana verum aliquod, & proprie dictum sacrificium, ut nuper ostensum est; sed Ecclesia Christiana nullum aliud unquam habuit, aut agnovit sacrificium præter illud, quod in Missa conficitur: hoc est igitur verum, & proprium Ecclesiæ Christianæ sacrificium. Minor contra Petrobrusianos, Wiclephistas, Lutheranos &c. probatur multipliciter. I. Ecclesia Christiana nunquam aliud agnovit, habuitve sacrificium, quam quod a primo Nicœno ad ultimum Tridentinum Concilium habitum, aut agnitum est; hi enim cœtus sunt, in quibus tota Ecclesia in Spiritu Sancto legitime congregata sensum, ac sententiam suam publice profitetur. Sed Nicœnum, & cætera Concilia usque ad ultimum Tridentinum nullum aliud habuerunt, aut agnoverunt sacrificium novæ legis præter illud, quod in Missa conficitur: ergo &c. Minor probatur ex Concilio Nicœno can. 14. Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut ab iis, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Sunt igitur in Ecclesia qui offerendi corpus Christi potestatem habent, nimirum Sacerdotes; sed Corpus Christi (sive verum, sive figuratum, de quo postea dicetur) non offertur nisi in celebratione Missæ: igitur celebratio Missæ est opus proprium Sacerdotis qua talis; (*ad Heb.* 5.) omnis autem Pontifex ex hominibus assumptus constituitur pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: agnovit ergo Nicœnum Concilium sicut verum Sacerdotium, ita & verum Sacrificium in confectione Eucharistiæ, sive in celebratione Missæ. In Concilio etiam Ephesino (*in epist. ad Nest.*) incruenti sacrificii mentio habetur in eo positi, quod Corpus, & Sanguis Christi proponantur, ac reddantur præsentia. In Concilio Chalcedon. act. 1. accusatur Dioscorus, quod ejus avaritiæ causa, neque terribile, & incruentum sacrificium fuerit in Lybiæ partibus celebratum. Idem deducitur ex actis quintæ, sextæ, & septimæ Synodi, quarum omnium fidem confirmans Toletana Synodus 12. eos increpans Sacerdotes, qui plures in die Missas celebrabant, quin tamen de hostia participarent, quasi non sit, inquit, toties illi vero, & singulari sacrificio participandum, quoties corporis, & sanguinis Domini immolatio facta constiterit. Nonne, ut Apostolus ait, qui hostias edunt, participes sunt altaris? Qui ergo sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sanguinis. Nam quale e-

rit

rit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participare cognoscitur? Supervacaneum esset Constantiensis, aut Lateranensium, aut Florentini Concilii testimonia adducere, de quibus nec Lutherani, nec Calvinistæ dissentiunt, qui propterea jam eo tempore Ecclesiam ab Antichristo Romano deceptam, atque in servitutem redactam blatterant. Satis sint pro iis omnibus Tridentini Conc. Canones, (*Sess.* 22.) quorum I. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis ad manducandum dari, anathema sit. III. Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, ac defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. IV. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

2. Probatur II. eadem minor ex testimonio eorum Patrum, qui hostiam mundam a Malachia prædictam, de Missæ sacrificio intellexerunt. Justinus enim in Dialogo cum Triphon. De nostris, inquit, Gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, de pane Eucharistiæ, & poculo jam tum loquutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus; vos autem (Judæos) prophanare .... Novam enim Christus, ait Ireneus, (*lib.* 4. *cap.* 32.) novi Testamenti docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in universo mundo, tanquam ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum, de quo & in duodecim Prophetis Malachias loquitur dicens: Non est mihi voluntas in vobis &c. ... In omni loco, inquit Tertullianus, (3. *adv. Marcion.*) ait Dominus, offertur sacrificium nomini meo, & sacrificium purum, nimirum, gloriæ relatio, & benedictio, id est, consecratio, & laus, & hymni, quum in te (Marcion.) hæc omnia reprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum sacramenta, & munditiæ sacrificiorum &c. Cyprianus in 1. contra Judæos capiti 16. hunc titulum præfixit: Quod sacrificium vetus evacuetur, & novum celebretur, quod deinde probat ex loco Malachiæ. Quo etiam adducto Eusebius in 1. Dem. Evangelicæ: (*cap. ult.*) Sacrificamus, inquit, Deo Altissimo sacrificium laudis, sacrificamus plenum, & sacrosanctum sacrificium novo more secundum novum Testamentum, hostiam mundam. Chrysostomus item (*in Ps.* 45.) eum Malachiæ locum explicans, vide, inquit, quam luculenter, atque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia, & thymiama purum vocat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Alludit autem Chrysostomus ad locum Mala-

lachiæ secundum Hebraicam, & Græcam lectionem, ubi sic habetur: Incensum offertur nomini meo, & hostia munda. Ex eodem loco contra Judæos disputans August. in 18. de Civ. (*cap.* 35.) Hoc sacrificium, inquit, per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech quum in omni loco a Solis ortu usque ad occasum offerri jam videant; sacrificia sua, de quibus dictum est: non est mihi voluntas in vobis, jam cessasse, negare non possunt. Damascenus item in 4. de fid. (*cap.* 14.) de celebratione Eucharistiæ loquens: Hoc est, inquit, purum illud, & incruentum sacrificium, quod a Solis ortu usque ad occasum Dominus sibi in Gentibus oblatum iri per Prophetam prædixit. Similia Rupertus in cap. 1. Malachiæ, & in eundem Theodoretus: Victimarum, inquit, ratione carentium jugulatio fieri jam desiit. Solus autem immaculatus agnus sacrificatur, qui tollit peccata mundi.

3. Probatur III. ex iis Patribus, qui sacrificium, sive oblationem Melchisedech nostri sacrificii typum, & figuram extitisse asserunt. Horum antiquissimus Clemens Alexandrinus: (4. *Strôm.*) Melchisedech, inquit, Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ. Secundus Cyprianus, qui in 2. Epistolarum, (*Epist.* 3. *ad Cæcil.*) loco Psalmi adducto, Tu es Sacerdos &c. Qui ordo, inquit, hic est, de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster JESUS Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech, panem, & vinum, suum scilicet, corpus, & sanguinem? .... Ut ergo in Genesi benedictio Abrahæ per Melchisedech Sacerdotem posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane, & vino scilicet constituta: quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem, & calicem obtulit, & qui plenitudo est, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Habetur inter opera Cypriani liber de Cœna Domini, cujus author: Significata, inquit, olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera, ejus summus Sacerdos panem profert, & vinum. Hoc est, dicens, corpus meum .... Hoc est perpes sacrificium, & semper permanens holocaustum. Tertius Eusebius in 5. Evang. demonst. libro: (*cap.* 3.) Primus ipse Salvator, ac Dominus noster, & deinde ii, qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas functiones munus obeuntes, vino, ac pane corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant, quæ sane Melchisedech tanto ante divino Spiritu cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat. Quartus

Am-

Ambrosius in 5. de Sacramentis: (*cap.* 1.) Cognovimus, inquit, Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium Melchisedech. Et author Comment. in Ep. ad Hebr. (*cap.* 5.) qui Ambrosio tribui solent: Tu es Sacerdos &c. Constat, inquit, pecudum victimas desiisse, quæ fuerant in ordine Aaron; sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur. Quintus Epiphanius: (*hær.* 55.) Quod sane nunc viget in Ecclesia a Christo, & hucusque, dum non amplius semen secundum successionem eligitur, sed (secundum ordinem Melchisedech, qui sine Patre, sine matre, sine genealogia) forma juxta virtutem quæritur. Sextus Hieronymus, qui ex antiquissimorum Patrum sententia Irenæi, Hippolyti, Eusebii Emisseni, Apollinaris, Eustathii Sebasteni, & aliorum loquens in Ep. ad Evagrium ordinem Melchisedech in eo positum, ait, quod hic non cruentis victimis, sed pane, & vino simplici, puroque sacrificio, Christi dedicaverit sacramentum. Idemque habet in ep. ad Marcellam, & in cap. Genes. 14. Mysterium nostrum, inquit, in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane, & vino, id est, corpore, & sanguine Domini. Septimus Augustinus, cujus locum insignem supra dedimus, & qui in 16. de Civ. Dei (*cap.* 22.) de oblatione Melchisedech loquens: Ibi, inquit, primum apparuit sacrificium, quod nunc Deo a Christianis offertur toto orbe terrarum. Et in lib. Adversar. Leg. &c. (*cap.* 20.) Noverunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abrahæ, & jam sunt participes ejus: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio illorum increpatio est, & quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, sicut mutavit sacerdotium secundum ordinem Aaron. Idemque in locis aliis bene multis. Octavus Chrysostomus hom. 35. (*in Gen.* 14.) videns, inquit, typum, cogita, & veritatem &c. Nonus Leo magnus: (*serm.* 2. *de anniv. As.*) Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem non Aaron.... sed Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Decimus Theodoretus, (*in ps.* 109.) qui Christum primum exercuisse, ait, sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quando panem, & vinum obtulit in cœna novissima. Undecimus Damascenus in 4. de fid. (*cap.* 14.) Mensa illa Melchisedech mysticam hanc adumbravit, quemadmodum, & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, atque imaginem præsetulit. Duodecimus Anselmus: (*in cap.* 5. *ad Hebr.*) In æternum, inquit, quandiu durabit sæculum, quia non transibit Sacerdotium Christi, sicut transivit Leviticum. Agnoverunt hanc veritatem ipsimet Hebræorum Rabbini, quos inter Rab. Phinees hæc habet

bet in Gen. (*cap.* 28.) Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis, & vini non cessavit, sicut dictum est Gen. 14.... Melchisedech enim, id est, Rex Messias excipiet a cessatione sacrificiorum sacrificium panis, & vini, sicut dicitur in ps. 110. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ex quibus omnibus sic præcavendo solutiones Lutheri, & Calvini, & Kemnitii apud Bellarminum (*lib.* 1. *de Miss. cap.* 6.) invictissimum conficitur argumentum: Patres enim & testes sunt Traditionis, canalesque, ac traduces, per quos ea a prioribus ad posteriora sæcula derivatur: ergo eorum universorum consensus validissimum facit in rebus Theologicis, & Scripturarum interpretatione argumentum, quod supra ostensum est; (*lib.* 3. *prop.* 17.) omnium autem sæculorum Patres in eo consentiunt, non solum Melchisedech Christi figuram, ac typum fuisse, sed in eo fuisse, quod panem, & vinum obtulit, quod in novissima cœna Christus fecit, atque ut nos faceremus, præcepit: agnoverunt ergo ritum offerendi panem, & vinum esse actum proprium sacerdotii Melchisedech; hoc autem fit quotidie in Ecclesia Catholica ex Christi institutione per Eucharistiam, seu in celebratione Missæ: Missa igitur verum est, & proprium novæ legis sacrificium.

4. Probatur 4. ex iis Patribus, qui Agni Paschalis immolationem, atque esum Eucharistiæ typum fuisse, nos docent. Primus Tertullianus: (*lib.* 4. *in Marcion.*) Professus, inquit, se desiderio desiderasse manducare Pascha suum (quid enim alienum Deus concupisceret?) acceptum panem corpus suum fecit. Cyprianus, seu quis est author Sermonis de Cœna Domini: Cœna, inquit, disposita inter sacramentales epulas, antiqua sibi, & nova obviaverunt instituta, & consumpto Agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister discipulis apposuit. Idem Cyprianus alibi, (*in lib. de unitat. Eccl.*) Eucharistiam solum intra Ecclesiam utiliter sumi probat ex ritu Agni Paschalis, qui in domo una comedebatur. (*Ex.* 12.) Ambrosius: (*in* 1. *Luc.*) Quando sacrificamus, Christus adest; Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Hieronymus in Matth. (*cap.* 26.) Postquam Pascha typicum fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui cor hominis confirmat, & ad verum Paschæ progreditur Sacramentum. Chrysostom. in hom. de Judæ proditione: (*Tom.* 3.) In eadem Cœna, inquit, utrumque Pascha, & typi, & veritatis celebratum est.... Pascha Judaicum evacuatum est Paschæ spiritualis, quod Christus tradidit, adventu. Augustinus in 2. cont. lit. Petil. (*cap.* 37.) Aliud est Pascha, quod illi de ove celebrabant, aliud, quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus. Leo magnus serm. 7. de Pass. Ut umbra cederet corpori, & cessarent imagines in præsentia

veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento: hostiam in hostiam transfert, sanguinem sanguis excludit, & legalis festivitas dum mutatur, impletur.... Vetus Testamentum consumabat, & novum Pascha condebat. Discumbentibus enim undecim &c. Gregorius Magnus, postquam totam agni Paschalis cæremoniam de Eucharistia explicuit. (*hom.* 22. *in Evang.*) Quid sit, inquit, agni sanguis, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Adde Nazianzenum, adde Isichium, adde Rupertum, & alios apud Bellarminum. (*lib. cit. cap.* 7.) Ex quibus argumentum, sicut præcedens, efformatur: Immolatio agni Paschalis typus erat, atque imago oblationis Eucharistiæ; sed illa vera erat oblatio, & verum sacrificium, scriptum est enim: (*Exod.* 12.) Immolate Phase, & item: (*Num.* 9.) si quis mundus est,.. & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illius de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit in tempore suo: ergo oblatio Eucharistica, per quam figura vetus impletur, verum est, ac proprium sacrificium, in quo Pascha nostrum immolatus est Christus, quod a Paulo dictum est; (1. *Corinth. cap.* 5.) sed hæc oblatio est; quæ in Missa conficitur: Missa ergo novæ Legis sacrificium est.

5. Quinto probatur ex innumeris testimoniis Patrum, & Doctorum Ecclesiasticorum, qui Eucharistiam vocant oblationem, immolationem, sacrificium, non quidem utcumque, sed plenum, ac verum, quod Cyprianus supra, (*in lib.* 2. *epist.* 3. *& alibi.*) sed tremendum ac terribile, quod citata Synod. Chalcedonens. sed augustum, sed venerandum, quod passim apud omnes, sed summum, ac verissimum, quod Augustinus, (*lib.* 2. *qq. q.* 3. *epist.* 59. *& alibi.*) sed singulare, sed salutare, sed divinum, ac Deo plenum, quod Eusebius, quod Tridentinum, ac fere omnes dixerunt. Item ex iis omnibus, qui Christum in Eucharistia Hostiam, victimam, sacrificium vocant, ex quibus omnibus, ac locis eorum volumen integrum confici posset. Sic autem ex his contra Kemnitium, & Protestantes omnes ejusdem Kemnitii verbis argumentamur: Nam bonarum mentium est, inquit ipse in 2. p. Examin., (*pag.* 775.) plurimum commoveri consensu, & testimonio antiquitatis, ejus præsertim, quæ fuit purioribus, & optimis, ac florentissimis Ecclesiæ temporibus; sed negari non potest, ait ipse pag. 782. veteres, (id est antiquos Patres, qui purioribus, & optimis, ac florentissimis Ecclesiæ temporibus vixerunt) quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ, (quam nos Missam appellamus) usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, Hostiæ, victimæ; item uti verbis offerre, sacrificare, immolare; hæc autem vocabula, & verba de mero, & nudo Sacramento dici non possunt: existimarunt ergo, celebrationem Cœnæ Dominicæ, seu Missam, non merum, & nudum esse sacramentum, sed proprium, ac verum

sacrificium. Quid ad hoc argumentum Lutherus? Si nihil habetur, quod dicatur, inquit, (*de captiv. Bab. cap.* 1.) tutius est omnia negare, quam Missam sacrificium esse concedere. Quapropter in libr. de abroganda Missa, ad quem scribendum a Dæmone sibi apparente persuasum se fuisse testatur, ita scribit: (*cap.* 1.) Profiteor adversus eos, qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. En bonam illam mentem, quam Kemnitius sectatur, & sui, & in libr. contra Regem Angliæ Henricum VIII. sibi opponentem pro Missario sacrificio dicta Patrum, Thomisticum asinum vocat, qui nihil aliud producere possit, nisi multitudinem hominum, & usum antiquum, at ego, inquit, non curem, si mille Augustini, & mille Cypriani contra steterint. Hæc bona mens Lutheri pro sua modestia, & in Reges, ac Patres reverentia. Similia fere habet Calvinus in 4. Instit. (*cap.* 18. §. 10.) Kemnit. respondet I. (*pag.* 776.) Patres nunquam loquutos de Histrionica illa repræsentatione, quam Pontificii Missam vocant; sed non nunc de cæremoniis agimus, de quibus postea, (*prop.* 8. *huj.*) sed de ipsa oblatione, & celebratione Eucharistiæ. II. (*pag.* 780.) dicit, vocari oblationem, & sacrificium eleemosynam, & pia munera, quæ fideles olim in Missa offerri consueverant. Sed eleemosynæ ab omnibus offerri possunt; at Eucharistiam conficere, atque per se offerre, nulli licet etiam Diacono, ut Conc. Nicœn. supra allatum, & passim PP. docent, signatim Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus a Bellarmino adducti. (*lib. cit. c.* 15.) Item Eleemosynæ dici non possunt corpus Christi, quod a Patribus dicitur per manus Sacerdotum offerri, atque immolari. III. dicit, PP. loquutos de precibus, quæ in cœnæ celebratione fiunt. IV. de gratiarum actione, quæ laudis sacrificium dici consuevit. V. de prædicatione, & annuntiatione mortis Domini. VI. de actibus, & exercitiis pietatis, quæ in Cœna fieri solent fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ &c. VII. de oblatione interna, qua fideles Cœnæ assistentes, se, suaque omnia Deo offerunt, quæ quidem omnia eodem modo impugnantur. Nam neque hæc propria sunt Sacerdotum munia, nec corpus, & sanguis Christi dici possunt. At Andreas Apostolus: (*ut scribunt Presbyt. & Diaconi Achaiæ in ejus pass.*) Ego, inquit, immaculatum agnum in altari quotidie offero. At Hippolytus Martyr. (*in orat. de Antichristo.*) Venite Pontifices, & Sacerdotes, qui corpus meum, & sanguinem quotidie immolatis. At Ambrosius: (*in Ps.* 38.) Christus ipse offertur in terris, quum corpus ejus offertur. At Gregorius Nyssenus: (*in orat. de resurrect.*) Dominus præveniens impetum Judæorum semetipsum victimam offert, idem sacerdos, & agnus.... tunc nimirum, quum corpus suum ad vescendum, & sanguinem ad bibendum fa-

familiaribus dedit. At Chrysostomus: (*homil.* 17. *in epist. ad Hebr.*) In multis locis offertur, non plures, sed unus ubique Christus, hic, & illic plenus existens, unum corpus, non multa corpora. At Augustinus: (*lib.* 4. *de Trinit. cap.* 14.) Quid gratius offerri, aut suscipi potest, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? Idem author Commentariorum in Epistolas Pauli, qui Ambrosio tribui solent, idem Primarius, idem Cyrillus, idem Leo, idem Fulgentius, & quis non Patrum. Neque item dici potest sacrificium, quod sit actio sacra ea, qua Eucharistia conficitur, quod tandem vult Kemnitius. Quamvis enim omne sacrificium sit sacra actio, non tamen omnis sacra actio sacrificium est. Nam & qui baptizat, & qui inungit, sacrum aliquid facit, nec tamen aliquid sacrificat, offert, immolatve, aut per consecrationem immutat, in quo sacrificii proprie sumpti ratio consistit.

6. Restat igitur, ut Eucharistiæ confectio, aut Missa dicatur Sacrificium, quia est commemoratio quædam, & repræsentatio Sacrificii Crucis eo modo, quo apud Augustinum, (*lib. qq. ad Simplic. q.* 3.) imago Cæsaris in pariete depicta dicitur Cæsar, & Poetæ de rebus pictis tanquam de præsentibus loquuntur:

Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus,
Hac Phryges: instaret curru cristatus Achilles.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis . . . .
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani, &c.

Hoc tamen nihil est. Nam etiam per Baptismum, per Crucifixi imaginem, perque alias multas pias actiones, ac cœremonias passionis Christi memoria recolitur, quæ tamen nemo sacrificia, atque oblationes nominaverit. Hæc enim simplex Dominici sacrificii commemoratio sive privata, sive publica a quovis fidelium, etiam a fœminis, & pueris fieri possunt, nec proprium munus sunt Sacerdotum, nec in solis templis, atque Altaribus fiunt, sicut Dominici corporis, & sanguinis oblatio. Deinde: Quænam hæc consequentia est: Missa est commemoratio mortis Christi: ergo non est verum sacrificium. Numquid non Sacrificium Abelis, & Noemi, & Abrahami, & omnia Mosaica sacrificia erant umbræ futurorum, & repræsentativa sacrificii Crucis? An ideo tamen vera, & propria sacrificia non erant? Nam quid est, cur mors Christi futura per vera sacrificia repræsentari potuerit, & mors Christi præterita per verum sacrificium repræsentari non possit? Christiani igitur, quod est apud Augustinum, (20. *cont. Faust. cap.* 18.) jam peracti sacrificii memoriam celebramus sacrosancta oblatione, & participatione

cor-

corporis Christi, id est, oblationis, & sacrificii cruenti memoriam celebramus oblatione, & sacrificio incruento. Et merito sane, uti scripsit Eusebius, (1. *Dem. Ev. cap.* 10.) illius sacrificii memoriam, corporisque, & sanguinis ejusdem recordationem celebramus ad longe præstantius sacrificium, & munus assumpti, quam illud antiquius fuerit, nec amplius fas esse putamus in prima illa, & infirma elementa recidere signa quædam, & imagines, non ipsam rei veritatem continentia. Offerimusque vere Deo sacrificium externum, & præsens, & simul magnorum mysteriorum in Cruce, nimirum, peractorum figuram continens, quod a solis, inquit Nazianzenus, (*orat.* 1. *apologet.*) offerri potest Sacerdotibus.... Annuntiantes ergo, id est, memoria recolentes mortem secundum carnem Unigeniti filii Dei JESU Christi, inquit Cyrillus Alexadrinus, (*ep. ad Nest.*) & Resurrectionem ejus, & in cœlos Ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes effecti corporis, & pretiosi sanguinis Christi.... Deinde vero, inquit Cyrillus alter, (*Catechesi* 5. *Mystagog.*) postquam nos hymnis sanctificavimus, Deum oramus, ut super illa proposita Spiritum Sanctum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi; vinum vero sanguinem Christi: omnino enim quod Spiritus Sanctus attigerit, hoc sanctificatur, atque transmutatur. Tum vero postquam confectum est mysticum, & spiritale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, omnibusque auxilio indigentibus,... etiam eorum, qui obdormierunt.... Maximum credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, sacrificii.

7. Hanc porro Patrum doctrinam tenentes Catholici omnes Doctores, ac Scholastici Theologi docent quidem, in Missa fieri, atque offerri Deo sacrificium verum, quod tamen cruenti illius sacrificii in cruce peracti imago sit, & figura. Si quis autem dixerit, nudam esse commemorationem, aut figuram, ita ut non sit simul verum, & proprium sacrificium, anathema sit. (*Trident. Sess.* 22.) Quod quidem Tridentinum fulmen Petrum Lombardum, aut D. Thomam non ferit, ut putavit Calvinus. Quum enim Lombardus, aut D. Thomas, vel Scholastici veteres ajunt, Eucharistiam solum dici Christi immolationem, quatenus immolationem Crucis significat, ac repræsentat, loquuntur de immolatione cruenta, sive de naturali occisione Christi, quam Eucharistia solum repræsentat, non vero exhibet; unde D. Thomas non solum in sentiendo, sed etiam in loquendo exa-

exactissimus: (*q.* 83.*art.* 1.) Dicendum, quod duplici ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidem, quia imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio.... Et quantum ad hunc primum modum poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris testamenti, sicut Apoc. 13. dicitur agnus, qui occisus est ab origine mundi, nimirum, in figura.... Alio modo quantum ad effectum passionis Christi, quia nimirum per hoc Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Nam ut dicitur in quadam collecta, Quum hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur..... & quantum ad hunc modum proprium est huic sacramento, quod in ejus celebratione Christus immoletur, non immolatione occisiva, & solutiva pretii, quæ semel in Cruce facta est, sed immolatione applicativa redemptionis ad singulos credentes per oblationem ejusdemmet corporis, quod in Cruce pependit, & sanguinis, qui ibidem pro nobis effusus est.

8. Probatur sexto ex vocabulis Sacerdotis, Altaris, & Aræ. Nam Sacerdos non dicitur nisi relate ad sacrificium, ut ipse etiam Calvinus, (4. *instit. cap.* 18. §. 12.) & Petrus Martyr fatentur, (*lib. cont. Gardiner. p.* 3. *pag.* 710.) qui proinde in Ecclesia Sacerdotium, aut veros Sacerdotes esse negant, sed solum verbi, & Sacramentorum ministros, vel ut ipsi vocant, Pastores. At Augustinus, & hoc antiquior Chrysostomus, & his antiquior Gaudentius nomen Sacerdotis passim usurpant. (*Vid. Bellarmin. lib. cit. cap.* 17.) Invenitur quoque passim apud Hieronym. Ambrosium, Eusebium, Cyprianum, Tertullianum, & authorem libri de Eccl. Hierarch., qui Dionysio tribuitur. Quid Leonem, Gregorium, ac posteriores commemorem? Ergo vel posteris imponebant PP. sanctissimi, vel vim ejus vocis ignorabant, nec Apostolum legerant, apud quem, (*Hebr.* 5. *&* 8.) omnis Pontifex ab hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Unde & Christum dicit Sacerdotem non futurum, si nihil haberet, quod offerret.

9. Similis fit argumentatio de Aræ, atque Altaris nomine, quod adeo detestantur Petrus Martyr, & sui, ut nullum in sacris ædibus altare esse decreverint, & erecta evertere curaverint. At contra Altarium erectio antiquissima in Ecclesia est, eorumque meminerunt omnium sæculorum Patres. Nam & in Canonibus Apostolicis, (*cap.* 3. *&* 4.) & apud authorem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, (*cap.* 3.) & apud Tertullianum in lib. de Pœnitent. & in lib. de Oration., (*in ult. verbis*) & ap. Cyprian. lib. 1. Epist. (*ep.* 9.) Ambrosius quoque, & Hieronymus, & Augustinus, Gregorius Nyssenus, & Nazianzenus,

Chry-

Chrysostomus, Eusebius, Optatus Milevitanus, quorum loca indigitat Bellarminus. (*cap. 16.*) Adde omnes post Gregorium recentiores Patres. Adde Concilia multa, & Pontificum decreta, quæ habentur de Consecrat. distinct. 1., & toto titul. de Consecr. Ecclesiæ, vel Altaris. At dicent: in novo Testamento neque Sacerdotis, neque Altaris nomina usurpari, & primores Christianos neque templa, neque altaria habuisse, quod est apud Minutium in Octavio. Quid enim? Num nomen Sacramenti in novi Testamenti libris habetur, quum de Cœna sermo est? Et tamen Eucharistiam Sacramentum esse, ipsi volunt, & vocant. Igitur ab Sacerdotis, & templi nomine merito abstinuerunt sacri authores, & primores Christiani, quoniam & Judæi & Ethnici iis vocabulis utebantur. Unde potius nostri authores antiqui, quum templa nominant, ædificia Idolis dicata intelligunt. Idolorum denique cultu abolito, & Synagoga penitus sepulta, etiam Sacerdotis, & templi vocibus uti cæperunt, ut sacros ministros, & sacras Christianorum ædes significarent. Apud Minutium autem ita loquitur non Octavius Christianus, sed Cæcilius Ethnicus: Ethnici autem putabant, Christianos nullas aras habere, quia partim metu persequutorum, partim propter honorem sacrorum mysteriorum, quæ non erant ante porcos projicienda, ab Ethnicorum conspectu se sacrificantes subtrahebant. Unde etiam nullum Deum colere credebantur, quia nulla habebant simulacra.

10. Probatur septimo ex Lyturgiis, ubi Eucharistiæ conficiendæ ritus præscribitur, & ita præscribitur, ut manifestum sit, veteres, qui illis usi sunt, Eucharistiæ confectionem pro vero, & proprio sacrificio habuisse. Sed dices: vetustissimas, quas habemus Lyturgias, non esse eorum authorum, quorum nomen præseferunt, nimirum, Jacobi Apostoli, Clementis Romani, & Basilii. Non inficior. Sed tamen antiquissimæ sunt; sed tamen in usu fuerunt apud antiquos; sed tamen ex illis suas deinde hauserunt Basilius, Chrysostomus, Isidorus; sed tamen eas scriptis suis exposuerunt, & quasi digito demonstrarunt Justinus, Tertullianus, Ambrosius in 5. & 6. de Sacramentis, Cyrillus Hierosol. in 4. & 5. Catech. mystag., ex quorum omnium doctrina, & verbis, ut plurimum, ea, qua Latini utimur, ut infra demonstrabitur, coaluit. Hanc vero per mille amplius annos incorruptam extitisse patet ex iis, qui diversis ætatibus, ac regionibus illam exposuerunt, Gregorio magno, Isidoro, Amalario Fortunato, Walfrido, Ruperto, Hugone Victorino, Innocentio III., Bonaventura, Duranto, Meratio, Gavanto, & aliis elapsi proxime, & nostri sæculi multis. Ante annos igitur amplius mille Ecclesia constantissime tenuit, in Missa verum Deo, ac proprium sacrificium offerri. Nam ab tempore Gregorii I., qui sexto sæculo floruit, Missam,

ut

ut nunc est, absolutam fuisse, ac perfectam, fatetur Kemnitius. (2. *p. Ex. pag.* 826.) Missa, inquit Lutherus, (*de captivit. Babilon. & adversus Regem Angliæ.*) passim creditur esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus. Et item: Nec moveat, inquit, quod totus orbis contrarium & sensum, & usum habet. Tum sibimet opponit: Tu igitur solus sapis? Totne errant universi? Tanta sæcula ignoraverunt? Respondet: Adsum solus contra totum orbem terrarum. Quid Calvinus? Pestilentissimo, inquit, (4. *Instit. cap.* 18. *& in vera Christiana Pacificat. & Eccl. reformandæ ratione.*) errore Satan totum orbem obcæcavit, ut crederet, Missam sacrificium, & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem .... qua opinione Romanus Antichristus, & ejus Prophetæ totum orbem imbuerunt..... & qua inebriati sunt omnes Reges terræ, & populi a summo usque ad novissimum..... Imitati sunt enim potius Judaicum sacrificandi morem, quam aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat. Nimirum Evangelii rationem, & Christi institutionem melius sciverit Calvinus heri natus, quam Apostoli, & antiqui Ecclesiæ Patres, quam Oecumenica Concilia, quam totus terrarum orbis eorumdem doctrina, & traditionibus, ac fidei purissimo lacte innutritus.

11. Probatur octavo propositio ex verbis Domini, quæ habentur Matth. 26. Marc. 14. &c. Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum &c. Nam Christus in ultima Cœna semet Patri obtulit sub specie panis, & vini, atque id ipsum Apostolis, & eorum successoribus, ut facerent, jussit; sed illud fuit verum, & proprium sacrificium: ergo hoc, quod nos ex ejus institutione facimus, verum, & proprium sacrificium est. Major probatur pene omnium supra adductorum Patrum testimoniis, & communi Ecclesiæ sensu. Præterea: Si Christus in cœna semetipsum Patri non obtulit, nunquam semet obtulit sub speciebus panis, & vini: nunquam ergo sacerdotium exercuit, quod est secundum ordinem Melchisedech, numquam figuram Agni Paschalis implevit, nunquam instituit hostiam mundam, quæ juxta Malachiam offerenda erat usque ad consummationem sæculi a Solis ortu usque ad occasum in toto orbe terrarum. Minorem autem, hoc est, Christi oblationem sub specie panis, & vini verum esse, & proprium sacrificium, omnia supra adducta argumenta persuadent: Probatur item ex verbo *facere*, quo Christus usus est, quod sacrificare significat, non solum apud Latinos ex authoritate Virgilii, quod Calvinus irridet, (*in antidoto articul. Parisiens.*) quasi Christum latine, & Virgiliano more loquutum credamus, & Grammaticorum subtilitatibus argumentemur. Non enim so-

lum *facere* Latinum, sed etiam עָשָׂה Hebraicum, quod facere significat, pro actione sacrificii sumitur, ut quum dicitur: faciet unum pro peccato, & alterum pro holocausto Levit. 15. Ego faciam, id est, immolabo bovem alterum Reg. 3. cap. 18. Dedi eis frumentum, vinum, & oleum, & argentum.... & aurum, quæ fecerunt, id est, quæ sacrificaverunt Baal Oseæ 2. & alia his similia multa. Christus igitur dicens: Hoc facite, instituit, inquit Eusebius, (1. *dem. Ev. cap. ult.*) ut per commemorationem suæ passionis sacrificaremus Deo.... In sacrificio enim, quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est. Oportet namque nos obaudire, & facere quod Christus fecit, & quod faciendum esse, mandavit, quod est apud Cyprianum.... (*Ep.* 63.) Sacrificamus ergo, inquit Augustinus, (20. *cont. Faus. cap.* 6) non Martyribus, sed Deo Martyrum, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit. Hinc ap. authorem Eccl. Hierarch. (*cap.* 3.) Sacerdos excusat se quod tale, ac tantum Sacrificium aggrediatur, præmittens: Tu dixisti, Domine, hoc facite in meam commemorationem, & nos docti sacris institutis

panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam

Quodque Judæi per invidiam immolaverunt, (*Mart. ad Burdig. Ep.*) causa nos salutis nostræ in ara sanctificata proponimus. Hoc enim ipse Dominus jussit nos agere in sui commemorationem.... Vidimus itaque Principem Sacerdotum ad nos venientem; vidimus, & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium. Nam etsi infirmi merito, tamen honorabiles officio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando ipsius corpus offertur, immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offerimus. Verba sunt Ambrosii.... (*in ps.* 38.) Hinc est, ut sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem sit, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque modo sacerdotes conficiunt. Nihil enim habet ista, quam illa minus. Quid ita? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat, ut loquitur Chrysostomus. (*hom.* 2. *in* 2. *ad Tim. cap. ult.*)

12. Argumenta porro Lutheri in libr. de abroganda Missa exposuit Calvinus in 4. Institutionum, (*cap.* 18.) & alia addidit, quæ omnia Kemnitius in 2. parte Examinis sub hoc titulo exposuit: Argumenta ostendentia abominationem Missæ Pontificiæ. Sunt autem hujusmo-

modi: Primum: Instituere cultum extra verbum, & sine verbo Dei, vanum est, immo Idololatricum; sed theatrica repræsentatio per verba, ritus, gestus, sicut fit in Missa Pontificia, nullum habet verbi Dei testimonium, nec exemplum Christi, aut Apostolorum. Fatentur enim ipsi Pontificii Scriptores, Apostolos sola Dominica oratione usos fuisse in celebratione Cœnæ, & notant qui Romani Potifices, & quo tempore singulos actus, & scenas Mystici Dramatis invenerint: ergo &c. Hoc tamen argumentum non est ad rem. Non enim nunc de cæremoniis, aut de ritu celebrandi disputamus, sed de sacrificii ratione, & substantia. Assignabitur quidem qui Glorificationem, sive Hymnum Angelicum, qui Symbulum, qui hanc, aut illam precationem Canoni attexuerit: at non assignabitur qui oblationem, consecrationem, fractionem, consumptionem induxerit, quæ potissimæ partes sunt, & quas nos ab Apostolis, & illi a Christo didicerunt. Quin & alias preces, & sacros ritus ab Apostolorum ætate ad nostram magna ex parte derivatos alibi demonstrabimus. (*prop. 8. huj.*) Hæc igitur erat minor probanda Kemnitio, & Calvino, & Luthero, ab quibus ille argumenta desumit; sed panis, & vini propositio, consecratio, oblatio, fractio, & consumptio nullum habet verbi Dei testimonium, nec Christi, aut Apostolorum exemplum. Hanc tamen nec probare, ne quidem proponere est ausus.

13. Secundum argumentum tale est: Sacramenta extra usum a Christo institutum, in aliam actionem toto genere diversam transferre, ingens piaculum est; Christus autem Sacramenti, & non Sacrificii actionem in verbis institutionis præscripsit: contumelia igitur Dominicæ Cœnæ est Missa Pontificia. Negamus tamen argumenti assumptionem falsissimam. Quam ad probandam Lutherus frustra multa congessit. Porro quamvis Sacramenti, & Sacrificii rationes sint distinctæ; non inde tamen probatur, non posse eidem rei convenire. Nam Architecti, & Musici rationes diversissimæ sunt, & toto genere distantes, & tamen idem esse potest Architectus, qui & Musicus. Non ergo Sacramentum in Sacrificium transferimus, sed in re eadem, nimirum, Christi corpore duas rationes inveniri dicimus, & Sacrificii dum conficitur, & Sacramenti dum asservatur, aut sumitur; sacrificii, quum consecratur, a Deo offertur; sacramenti, quum consecratum, ac Deo oblatum, nobis datur. Quid enim? Nonne in omnibus antiquis sacrificiis nostrorum figurativis idem cerni potest? Etenim Paschalis Agni immolatio, sive mactatio verum erat sacrificium, & tamen ejusdem abstantibus, præcinctis, & baculum in manibus habentibus comestio quoddam erat Sacramentum.

14. Simile huic tertium est Kemnitii argumentum etiam ab Luthero desumptum. Nam administrationem, inquit, Cœnæ Dominicæ

Christus sub Testamenti forma disposuit; magnum autem scelus est vel hominis testamento, quando ratum, & confirmatum est, aliquid superordinare. Manifestum igitur est, quid sit Pontificia Missa, quæ Testamento filii Dei tam multa superordinat. Hanc ultimam syllogismi laciniam probare debuerat. Nam quid enim superaddimus testamento filii Dei, quum id, quod ille fecit, & quod nos, ut faceremus, jusit, quotidie in ejus memoriam facimus? Quartum argumentum est: Missa Pontificia pugnat cum Sacrificio Crucis. Quintum pugnat cum unico Sacerdotio Christi. Sextum: obscurat Cœnam Domini, & alia media ad applicandum fructum passionis Christi. His tamen omnibus jam supra obviam itum est.

15. Oppones item ex Calvino alibi: (*in antidoto ar.* 6.) Christus dixit: accipite, & manducate, non autem offerte: ergo usum Sacramenti, non actum sacrificii instituit. Item secundo: Nemo sibi usurpare debet honorem Sacerdotii nisi a Deo vocatus, ut est apud Apostol. (*Hebr.* 5.) Nemo autem vocatus est præter Christum, cui dictum: (*Ps.* 109.) Tu es Sacerdos &c. ergo &c. Item 3. Paulus de Sacerdotio Christi, & Melchisedech latissime disserit ad Hebræos (*cap.* 7.) scribens; sed nihil ibi de oblatione panis: ergo quia neque Melchisedech, neque Christus panem, & vinum, ut sacrificium obtulit. Ad primum nego antecedens. Christus enim utrumque dixit: accipite, & manducate &c., & item: Hoc facite &c. per quæ verba, non solum manducandi Sacramentum, sed etiam illud conficiendi potestatem ipsis concessit; non conficitur autem Eucharistia, nisi per conversionem panis in corpus Christi, ut infra. (*prop. seq.*) Corpus autem Christi vera hostia est, quæ pro nobis datur, atque offertur Deo, ut supra, & quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur: opus autem nostræ Redemptionis est verissimum, & amplissimum sacrificium. Ad secundum explicatur ita minor: Nemo præter Christum vocatus est ad Sacerdotium primarium, & fontale, ut ita loquar, concedo; secundarium, & ministeriale, nego. Tunc autem Apostolos, & eorum successores ad Sacerdotium vocavit Deus, quando Christus Deus eis dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Hinc Tridentinum: (*Sess.* 13. *Can.* 5.) Si quis dixerit, illis verbis Hoc facite &c. Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit. Ad tertium negatur consequentia, quæ deduci non potest, nisi probetur, Apostolum eo loci de panis, & vini oblatione loqui debuisse? loqui autem non debuit. Nam scopus Pauli erat ostendere majorem fuisse dignitatem Sacerdotii Christi, quam Sacerdotii Aaronici. Sic autem argumentatur: Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech ex Psalmo, ubi dicitur: Tu

es

es Sacerdos &c., sed sacerdotium Melchisedech majus erat Sacerdotio Aaronico: ergo Sacerdotium Christi Aaronico majus erat. Assumptionem probat Apostolus: Nam Melchisedech benedixit Abraham, atque ab eo decimas accepit; sine contradictione autem quod minus est, a meliore benedicitur, & qui decimam accipit, decimam solvente major est: Intuemini ergo, quantus sit hic, cui decimam dedit in præcipuis Abraham Patriarcha, & a quo Abraham Patriarcha benedictus est; sed in Abraham Patriarcha benedicti sunt & decimas solverunt, & benedicti sunt omnes posteri ejus; qui adhuc in lumbis ejus erant, inter quos Levi, & Aaron: major ergo Levi, & Aaron erat Melchisedech, & ejus Sacerdotium Sacerdotio Aaronico. Quid hic opus erat disserendi de conformitate Sacerdotii Christi cum Sacerdotio Melchisedech?

16. Potissima autem in hac materia difficultas est in explicando quomodo, & qua in actione vera sacrificii ratio constituenda sit, pro quo sequens propositio præmittenda videtur.

PROPOSITIO III.

In Missæ celebratione corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini reipsa, vere constituitur præsens.

1. Dogma est fidei nostræ, quod his verbis in Tridentino Concilio exprimitur: (*Sess. 13. Can. 1.*) Si quis negaverit, in Eucharistia contineri vere, & realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini nostri J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit, solum esse in ea, ut in signo, vel figura, aut virtute: (*Can. 2.*) Si quis dixerit, remanere ibi substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini, & conversionem negaverit substantiæ in substantiam, quam Ecclesia Catholica Transubstantiationem appellat.... (*Can. 3.*) Si quis dixerit, separatione facta, non manere sub utraque specie, & singulis cujusque speciei partibus totum Christum.... (*Can. 4.*) Si quis dixerit, peracta consecratione, non manere ibi corpus, & sanguinem Domini, sed tantum in usu, dum sumitur, nec in hostiis, quæ asservantur post communionem, Christum remanere, anathema sit. Quatuor igitur hi articuli probandi sunt. I. in Eucharistia esse physice præsentem Christum. II. non simul cum panis, & vini substantia. III. esse totum sub singulis cujusque speciei partibus: IV. non solum esse dum actu sumitur, sed etiam dum in Sacrario servatur. Quos autem, aut omnes, aut aliquos Hæretici antiqui, aut recentiores negaverint, quod hic præmitti solet, dictum est in prologom. 2. Jam vero primum horum articulorum probant figuræ veteris Testamenti, quibus

bus novæ legis sacrificio, & Sacramentis præludebatur. Sic autem argumentatur Bellarminus: (*lib. 1. de Eucharist. cap. 3.*) Figuræ inferiores sunt rebus figuratis: figuræ autem Sacrificii, vel panis Eucharistiæ, aut erant ejusdem naturæ cum pane; aut superioris, si nudus panis, & vinum in Eucharistia offertur: in Eucharistia ergo merus panis, & merum vinum non offertur, sed aliquid simplici pane, & vino præstantius, quod aliud fingi non potest, nisi corpus, & sanguis Christi: ergo &c. major propositio videtur certissima. Minor patet. Nam in lege naturæ figura Eucharistiæ juxta PP. supra citatos fuit panis, & vinum Melchisedech; in lege autem scripta panes propositionis juxta Hieron. (*in 1. ad Tit*) Damascen. (*4. de fid. cap. 14.*) Cyr. Hieros. (*Cath. 4. mys.*) Item panis primitiarum ex Irenæo, (*4. cap. 32.*) qui offerri jubetur Levit. 23., & panis subcineritius Heliæ. Hæ autem omnes figuræ simplici pane constabant. Aliæ autem erant pane in natura superiores ut Agnus Paschalis, quem figuram fuisse Eucharistiæ, multi Veterum tradiderunt, ut supra ostensum est. (*in prec.*) Ut sanguis novi Testamenti, quo Moyses legem, & populum adspersit dicens: (*Ex. 24.*) Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus, cui consonans Christus mandatum novum quum daret nobis: Hic est sanguis meus, inquit, (*Math. 26.*) novi Testamenti. Ut Manna, quod figuram Eucharistiæ fuisse, patet ex verbis Christi: (*Joann. cap. 6.*) Patres vestri manducaverunt Manna &c. ego sum panis, qui de cœlo &c., item ex Apostolo in 9. ad Hebr., & ex Ambrosio, Aug. Chrysostom. Theophylacto, Cyrillo. Hæc autem omnia erant superioris naturæ, quam simplex panis; res igitur oblata in antiquis sacrificiis aut æqualis erat, aut superior hostia, & victima novi Testamenti. Tetigit hoc argumentum ille, cui nihil in re Theologica intactum D. Thomas dicens; (*3. p. q. 75. art. 1.*) Est autem hoc conveniens, nimirum, Christum in Eucharistia præsentem esse propter tria.

2. Primo quidem propter novæ Legis perfectionem. Sacrificia enim veteris legis verum illud sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud ad Hebræos 10. umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem &c., & ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacrificium novæ Legis a Cristo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dion. dicit in 3. cap. Eccl. Hierarch. est omnium aliorum perfectivum, in quibus virtus Christi participatur. Nam quod est apud Chrysostomum: (*hom. 45. in Joann.*) Si sola figura tantum fuit, quantum ipsa veritas erit? ... Non enim omnia imagines sunt, ait Tertullianus: (*de*

Res.

Res. carn. cap. 20.) Est & veritas, non omnia umbræ sunt, sunto & corpora. Nam si figura omnia, quid erit illud, cujus est figura? Quod item apparet, si figuræ inter se conferantur. Nam de Sacrificio Melchisedech Chrysostomus (homil. 35. in Gen.) Vides, inquit, quomodo Sacramentum nostrum insinuatur? Vidisti typum, cogita & veritatem. De panibus propositionis Hieronymus: (in c. 1. ad Tit.) Tantum, inquit, interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter umbram, & corpus, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur. De agno Paschali Augustinus (cont. lit. Peti. cap. 37.) Aliud est Pascha, quod Judæi de ovibus celebrant, aliud, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus. De sanguine Testamenti, & de sanguine Christi, quid dicendum post Apostolum? De Manna vero, & pane Eucharistico Christus ipse definiit (Joan. 6.) Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Considera, inquit Ambrosius, (de his, qui initiantur, cap. 9.) utrum præstantior sit, panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Illud de cœlo, hoc supra cœlum &c. Evasiones autem, seu cavillos Petri Martyris egregie explosit Bellarminus (cap. 4.) nec tanti sunt, ut cordato viro possint difficultatem ingerere.

3. Argumentum secundum desumitur ex novo testamento, & primo quidem ex cap. Joann. sexto, ubi Christus carnem suam se fidelibus ad manducandum daturum promisit, dicens: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quoniam vero non solum Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Kemnitius, & novissime Albertinus, sed nonnulli etiam Catholici Doctores putarunt, in eo loco non de Sacramentali, & orali manducatione, sed de spirituali per fidem loquutum esse Christum, ideo primo statuendum est, Dominum ibi de Eucharistico pane loquutum; deinde argumentum conficiendum, tum adversariorum rationibus occurrendum. Porro verba Christi de pane Eucharistico dicta esse, convincitur ex verbo *Dabo*. Loquitur enim Christus de pane, quem daturus erat; sed se ipsum accipiendum, & conjungendum hominibus per fidem, & manducationem spiritualem non daturus erat, sed jam dederat, ex quo homo factus est, & habitavit in nobis: ergo Christus non de spirituali solum per fidem, sed etiam de sacramentali assumptione loquitur. Confirmatur: Nam Christus distinxit donum Patris a dono suo dicens; Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis, quem ego dabo: ergo quia donum Patris jam aderat, nimirum, Filius ejus incarnatus; donum autem Christi erat adhuc futurum, nimirum, sacramentum corporis sui, & sanguinis. Confirmatur 2. ex Græca lectio-

ctione: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo (nimirum in Cruce) pro mundi vita; sed datio carnis suæ in Cruce pro mundi vita futura erat, & nullo modo præsens: ergo & panis, qui caro ejus esset, nondum datus, sed dandus erat. Confirmatur tertio ex conformitate verborum, quæ esse debet inter promissionem, & exequutionem rei promissæ. Ibi enim dicitur: (*Joan.* 6.) Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: hic autem: (*Math. cap.* 26.) Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum; quod ergo ante daturum se promiserat, ipsum est, quod nunc exhibet; sed per hæc verba corpus suum, & sanguinem non solum fide, sed etiam ore in sacramento manducandum exhibet: ergo per ea verba Panis, quem ego dabo semetipsum in Sacramento ad manducandum daturum esse, promisit. Confirmatur quarto: Nam Christus sæpe distinguit carnem, & sanguinem, cibum, & potum, quorum assumendorum distinctam etiam rationem commemorat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.... Nisi manducaveritis, nisi biberitis; atqui in sumptione spirituali, quæ est per fidem, nulla est distinctio cibi, & potus, carnis, & sanguinis, manducationis, & potionis, sed solum in sacramentali, quæ per os fit, sumptione: Christus ergo non de sumptione mere spirituali, sed de corporea, & sacramentali loquebatur in cap. Joann. 6. Confirmatur quinto: Nam Christus distinguit sumptionem panis, quem ipse daturus erat fidelibus, a sumptione Manna, quod Moyses dederat Patribus eorum: Patres enim vestri, inquit, manducaverunt Manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, quem ego dabo, vivet in æternum: sed non esset distincta sumptio, & manducatio, si Christus loquutus esset ibi de sola manducatione spirituali, quæ est per fidem, nam sic etiam antiqui Patres manducaverunt Christum per fidem, & spirituali modo, quum scirent Christum in Manna præfiguratum: Christus ergo non de sola manducatione spirituali per fidem, sed de orali, & sacramentali loquebatur. Accedit & Pauli testimonium in 1. ad Corint. (*cap.* 10.) ubi baptismum cum transitu maris rubri, & Manna cum Eucharistia comparat. Confirmatur sexto: Nam Judæi Christi verba audientes litigabant invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? & etiam ex discipulis nonnulli dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? & recesserunt ab eo. Sed nullum fuisset offendiculum, si Christus de sola spirituali manducatione loqueretur: Christus ergo non de sola spirituali loquebatur. Quod si loqueretur, uno verbulo ipsius totum Judæorum, ac discipulorum scandalum evanuisset. Hoc tamen non fecit, quum ortum ex sua doctrina scandalum tollere posset faci-

cile, ac debuisset: ergo &c. Confirmatur septimo: Nam sicut Christus, ut Baptismum insinuaret, dixit Nicodemo: (*cap.* 3. *Joan.*) Nisi quis renatus fuerit &c., ita dixit Judæis: nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.; sed in illis ad Nicodemum verbis baptismus postea præcipiendus præmonstrabatur reluctanti Nicodemo, & dicenti: Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? ergo etiam in verbis Joan. 6. Eucharistia præmonstrabatur Judæis renitentibus, ac dicentibus: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Utrobique enim eadem est loquendi formula, & utrobique idem Christi silentium nihil amplius rem explicare volentis, sed dicentis: (*Joan.* 6.) Nolite murmurare invicem.... (1. *Joann.* 3.) quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.... (*Isai.* 79.) nisi non credideritis, non permanebitis.

4. Convincitur secundo ex communi omnium Patrum sententia. Nam qui Commentaria in Joannem scripserunt omnes, de Eucharistiæ sacramento loquutum ibi Christum existimant. Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, Eutymius, Rupertus, D. Thomas, Nicolaus de Lyra, Dionysius Cartusianus. Præter hos incidenter Origenes hom. 7. in Num. Athanas. hom. in illud: Qui dixerit verbum &c. Basilius in 1. de Bapt. cap. 3. Cyrill. Hiers. catech. 4. mystag. Theophilus 2. de Pasch. Epiphan. hær. 55. Cyprianus de Orat. Dom., & 1. contr. Judæos, Theodor. 4. hist. cap. 11. Damasc. 4. de fid. cap. 14. Hilar. 8. de Trinit. Ambrosius 6. de Sacram. cap. 1. Hesichius 6. in Levit. cap. 22., Eus. Emiss. hom. 5. de Paschat. Hieronym. ep. ad Hedibiam, Leo serm. 6. de Jejunio, Gregorius 7. Moral. cap. 4. Isidorus 1. de div. Offic. cap. 18. Bernard. serm. 1. de Paschat. Iren. lib. 4. adv. Hæres. cap. 4. Adde Haimonem, Sedulium, Primasium in 1. ad Corinth. Adde Cassiodorum in ps. 109. Adde Aratum, & Nonnum Panopolit., qui Joann. Evangelium, ille Latinis, iste Græcis Hexametris reddiderunt. Adde eos, qui adversus Berengarium scripserunt, Paschasium, Adelmanum, Guitmundum, Algerum, tum eum, qui adversus Wiclephum scripsit, Thomam Waldensem, Gersonem, qui contra Hussitas, Sanderum, qui contra Lutherum pugnarunt. Adde Mag Sententiarum, & cum eo fere omnes antiquos Scholasticos. Quid vero est, quod contra tantam nubem testium Albertinus (*lib.* 1. *de Euchar. cap.* 32.) paucorum quorumdam Catholicorum authoritatem nobis opponat? Scio, dicam cum Maldonato, (*comm. in cap.* 6. *S. Joann.* 53.) Scio Catholicos, scio doctos, ac religiosos, ac probos viros esse, sed minime profecto utilem, atque fidelem in hac re operam Ecclesiæ navaverunt, quod contra Scripturæ sensum, contra Patrum omnium interpretationem, contra tacitum, immo mi-

minime tacitum, sed satis, superque explicatum Ecclesiæ consensum dixerint, atque contenderint, hoc loco de Sacramento non agi. Quod ut benignissime dicam, temerarium est, gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem, homines bene Catholicos errore magis animi, quam vitio in Hæreticorum sententiam impegisse. Bene autem Maldonatus consensum Ecclesiæ non tacitum, sed satis, superque explicatum de hac re commemorat. nam quid enim? Nonne apparet Ecclesiæ sensus ex Conc. Alexandrino, quod in 3. Oecumenica Syn. confirmatum est? At hoc in Ep. ad Nestor. de Sacramento Eucharistiæ exponit, quod 6. Joannis dicitur: Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c. Idem fecit septima Synodus act. 6. Item Tridentina sess. 23. cap. 2. de Eucharistia interpretatur quod ibidem dictum est: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Nonne idem habet Catechismus Romanus Concilii Tridentini jussu conscriptus, & omnibus Parochis ad docendum propositus? Nonne Ecclesia universa Evangelium illud in festo Ven. Sacramenti legendum designat? Notant autem ea Maldonati verba Nicolaum Cusanum, & Cajetanum Cardinales, Gabrielem, Ruardum Tapperum, & Cornelium Jansenium, quibus ex parte assentitur Suarius dicens: (*in* 3. *p. disp.* 46. *sect.* 2.) probabilius esse, ex promissionibus hujus sacramenti, sufficienter probari posse realem Christi præsentiam, non tamen hoc argumentum esse adeo certum, ut per se solum ad fidem confirmandam sufficiat; tamen hoc argumentum urgentissime proponit, exornat, urget, & Cusani & Cajetani sententiam respondet non esse hæreticam, sed certe parum probabilem, & Catholicos ejus Patronos solum excusari posse, quia bona fide illam amplexi sunt, ut ab argumento se extricarent, quod ab eo loco fieri solet pro necessitate communionis sub utraque specie, quod tamen, inquit, alia ratione facile expeditur, ut suo in loco dicemus.

5. Convincitur illius interpretationis veritas tertio. Nam si in cap. 6. Joannis sermo non est de Eucharistiæ Sacramento, sequitur, Joannem in toto suo Evangelio Eucharistiæ mentionem non fecisse, quod in re tanti momenti videtur incredibile. Solum autem fit credibile, Joannem, qui in Cœna super pectus Domini recubuit, de cœna eadem, & institutione Eucharistiæ mentionem non fecisse, si dicatur cum Augustino in 3. de cons. Evang. (*cap.* 1.) Joannem nihil scripsisse de Cœna Domini in proprio loco, sicut cæteri fecerunt, quia jam ante de ea re plurima dixerat; non autem alibi, nisi in sexto capite, non quidem toto, de quo agimus: ergo &c. Sequeretur secundo: Christum nusquam fructum, & necessitatem Eucharistiæ explicuisse, nam in Cœna de hac re nihil dixit. 3. Christum de Eucharistia sumenda nullum præceptum reliquisse, si hic non reliquit. Nam in Cœ-

Cœna ultima solum Sacerdotibus in persona Apostolorum idem faciendum præcipitur. Quarto id confirmari potest ex observatione Chrysostomi adnotantis, (*Homil.* 83. *in cap.* 26. *Math.*) Apostolos sine dubio commovendos, & turbandos fuisse, quum audirent: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, nisi antea de re tota instructi fuissent; sed non alibi, quam capit. Joann. 6. ergo.

6. Communi igitur hac interpretatione optime stabilita, sic præjacta nostra propositio probatur: Nam cap. Joann. 6. Christus de pane Eucharistico, & ejus manducatione sacramentali loquitur, ut probatum manet; sed hunc panem carnem suam esse apertissime dixit: ergo sub specie panis in Eucharistia caro Christi accipitur, & manducatur. Sed dices: verba Christi tropice intelligenda; Est caro mea signum, & figura carnis meæ, eo modo quo dictum est: (*Math.* 11.) Joann. ipse est Elias: (1. *Corinth. cap.* 10.) Petra autem erat Christus &c. Hoc tamen impugnatur ex hoc loco multipliciter. I. Nam Christus præfert panem, quem daturus erat, pani, quem dederat Moyses; sed non in substantia naturali panis, nam Manna pane simplici nostro præstantius erat; non in significatione, nam etiam Manna figura fuit Christi: aliquid ergo plus erat in pane a Christo promisso, quam simplex substantia panis, aut simplex significatio symbolica carnis, & sanguinis Christi. II. Judæi, & discipuli intellexerunt verba Christi de reali manducatione carnis suæ; ab hoc autem errore Christus eos facile revocare potuisset, ac debuisset, si figurate solum, ac tropice loquutus fuisset, quod tamen non fecit: non ergo tropice Christus erat loquutus. III. ex supra dictis: Si enim panis ille non esset reapse caro Christi, qui vesceretur pane illo, non manducaret Christi carnem, nisi per fidem; at similiter manducaverunt eam omnes antiqui Patres, nam eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt; at in assumptione, aut manducatione, quæ est per fidem, nulla est distinctio comestionis, & potationis; at facere panem signum corporis sui, non est quid magnum, quod argumento majoris, & solum miraculosi probari possit, ut facto mirabili fidem conciliaret facto mirabiliore dicens: Hoc vos scandalizat? Quid si videritis filium hominis ascendentem &c.? Hæc autem Hæreticorum evasio pluribus impugnabitur probatione sequenti.

7. Contra illam vero sexti Joannis interpretationem, cui nostra probatio hæc nititur, multa opponunt Novatores, quæ omnia in 1. de Euchar. congessit Albertinus. (*cap.* 32.) Graviora solum hic attingemus. Opponit enim I. verba Christi in postrema parte ejus capitis accipienda esse ad sensum priorum; sed in priori parte capitis de sola manducatione spirituali agitur: ergo &c. II. Qui manducat hunc pa-

panem, vivet in æternum; quod dici non potest de manducatione orali, nam sic multi manducant, & moriuntur. III. Qui manducat &c. in me manet, & ego in eo; sed hæc mansio non est corporalis; ergo nec manducatio. IV. Nisi manducaveritis carnem, & biberitis sanguinem &c. ergo infantes, & alii, qui non edunt de pane Eucharistico ante mortem, & Laici omnes, qui Christi sanguinem non bibunt, æternæ vitæ sunt expertes, si de esu, & potu sacramentali sermo sit. V. Oralis manducatio per se est inutilis: (*Joan.* 6.) Caro enim non prodest quicquam. VI. Multa PP. testimonia, ut Clem. Alex., (*lib.* 1. *Pædagogi.*) qui per carnem, & sanguinem intelligit verbum Dei, quo mens reficitur: Basilius (*epist.* 141.) qui intelligit doctrinam Christi, & mysticum ejus adventum: Hieronymus, (*in Ps.* 147.) qui Scripturas divinas: Augustinus dicens: (*tr.* 20. *in Joan.* 25. & 26.) Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum; sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.... (*tr.* 27.) Quum videbitis filium hominis ascendentem in cœlum, tunc agnoscetis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur dentibus.... (*tr.* 25. *in Joann.*) Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti: Credere in eum, hoc est manducare panem vivum.... (*in ps.* 98.) Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri eum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum vivificabit vos. Bernardus ait: (*in ps.* 90.) Christi carnem manducari, dum communicamus passioni ejus, & vitam imitamur.

8. Hæc autem omnia ex falsa Scripturæ, & Patrum intelligentia procedunt, vel potius ex pravo confirmandi, & propugnandi erroris animo. Ad primum enim negatur major. De triplici enim pane, & de triplici manducatione in toto illo Joannis capite agitur. Primo quidem de pane simplici, quem Christus divina virtute ita multiplicaverat, ut quinque ex panibus quinque millia hominum refecerit ad satietatem, & hujus panis manducatio corporalis est, de qua solum agitur usque ad vers. 27., ubi Dominus: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Deinde more suo solito ex corporeis, & terrenis ad spiritualia, & cœlestia sermonem derivat, dicens: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet ad vitam æternam, & hunc spiritualem panem, & cibum animæ ostendit situm esse in fide, & bonis operibus. Hujus autem panis manducatio mere spiritua-

tualis est. Denique ab hoc transit ad panem sacramentalem a versu 48. Ego sum panis vitæ. Quum vero hic panis ex utroque supra memorato participet, nam & sub specie panis triticei, & communis datur, & veram carnem Christi invisibiliter præsentem continet, ideo ejus item manducatio est duplex, alia nimirum corporalis, qua premitur dentibus Sacramentum, alia spiritualis per fidem, qua caro Christi non apparens oculis, reapse suscipitur, & mens cibo spirituali nutritur, gratia nimirum, & donis cœlestibus. Sicut igitur quum de panibus multiplicatis agitur, non est intelligenda spiritualis manducatio, neque quum de cibo spirituali agitur, est intelligenda corporalis manducatio, ita quum de pane Sacramentali agitur, est intelligenda manducatio Sacramentalis, quæ ex utraque conficitur, ut non solum Sacramentum ore, sed etiam ejus virtus, & fructus mente percipiatur.

9. Ad secundum plana est responsio. Dictum est enim: Qui manducat meam carnem, vivet in æternum, sicut dictum est: (*Luc.* 11.) omnis, qui petit, accipit; & tamen petitis, & non accipitis, (*Jacob.* 4.) eo quod male petatis: Quicumque invocaverit nomen Domini, (*Joel.* 2.) salvus erit, & tamen: (*Prov.* 1.) invocabunt me, & non exaudiam eos, eo quod exosam habuerint disciplinam: (*Math.* 7.) Quærite, & invenietis, & tamen: (*Joann.* 34.) Quæretis me, & non invenietis. Dictum ergo Christi intelligendum est de rite, & digne manducante. Digne autem manducamus, quum Christo ibi præsenti sicut corpore, ita fide, & charitate conjungimur. Quamtumvis autem quis per fidem, & charitatem Christo adhæreat, ideo ne salvus erit, nisi perseveraverit usque in finem? Numquid salvus erit Lutherus, qui per annos quindecim digne, ut reor, Missam celebravit, si extra Ecclesiam obiit? Ad tertium dicitur, mansionem Christi in nobis esse duplicem, sicut manducationem, & invicem sibi correspondere. Mansio enim corporalis Christi in nobis sequitur manducationem corporalem, & tantum durat, quantum species Sacramentales: mansio autem spiritualis Christi in nobis per gratiam sequitur manducationem spiritualem, & tandiu permanet, quandiu per fidem, & charitatem Christo adhæremus. An hoc argumentari est, an in meridie cœcutire?

10. In quarto argumento duplex tangitur difficultas. Prima, an sumptio Eucharistiæ sit de necessitate salutis? Secunda, an præceptum, si quod est, de sumptione Eucharistiæ, saltem pro adultis, impleatur per sumptionem unius speciei? Quoniam autem hæc ad Sacramenti, non ad Sacrificii rationem pertinent, infra (*lib.* 15. *Prop.* 8.) opportunius explicabuntur. In præsenti autem dicimus, argumentum illud magis urgere adversarios. Nam si spiritualis manducatio necessaria est,

est, & eis verbis inculcatur: ergo pueri, & omnes rationis expertes, qui Christum spiritualiter manducare nunquam potuerunt, æternæ vitæ participes esse non possunt. Et item: si oralis manducatio omnino est abjicienda, & sola admittenda spiritualis: ergo nulla est facienda distinctio manducationis, & potationis, carnis, & sanguinis, nam per fidem in unoquoque habetur utrumque.

11. Ad quintum dicendum, carnem Christi in Eucharistia solum ore manducatam, sine fide, & charitate nihil prodesse, immo obesse potius. (*Aug. Tract. 27. in Joann. 6.*) Quid est ergo? Caro non prodest quicquam? Non prodest quicquam caro, sed quomodo illi Judæi intelligebant, ut in cadavere dilaniatur, ut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.... Nam quomodo non prodest quicquam caro, quum Dominus dixerit: nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam? Proinde sic dictum est: Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est: Scientia inflat, nimirum, sola sine charitate. Adde ergo scientiæ charitatem, & erit utilis. Sic ergo sola caro non prodest quicquam. Accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum.... Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem, & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, sicut multi mali; sed usque ad spiritus participationem, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur.

12. Ad sextum dicendum est, Patres in citatis locis non ad litteram, sed ad mysticum sensum respexisse; litteralem tamen non exclusisse, quem aliis in locis disertissime tradiderunt. Sicut enim Christus in Eucharistia, ita & in doctrina, & in verbis suis, & in Scripturis annuntiatus, & in oratione cogitatus, & in bonis operibus quibuscumque expressus cibus est animæ, unde & oratio, & lectio, & meditatio, & jejunium, & quæcumque pietatis exercitia refectio animæ passim dicuntur a Patribus, & mysticis Doctoribus, quin tamen veram, & realem manducationem in Sacramento excludant. Augustinus autem, qui crebrius, & apertius videtur corporalem manducationem excludere, intelligendus est, non ut illam neget, sed ut eam solam satis esse ad fructum Sacramenti percipiendum neget in his, qui per actus proprios ad percipiendum passionis Christi fructum disponi, ac præparari debent, nimirum, adultis quasi diceret, qui manducat intus, non qui solum foris, qui manducat in corde, non qui solum premit dente. Secundus Augustini locus procedit contra Capharnaitas, qui turbati sunt, quod crederent Christum in frusta divisam carnem suam, & mortuam, sicut in macello venit, ad manducandum præbiturum. (*Tr. 27. in Joann.*) Hoc autem ita non esse tunc perspicietis, quum me corpore integro, ac perfe-

ſto in cœlum ascendentem videbitis... (*Tract.* 25.) Quid ergo paras dentem, & ventrem.... (*Ibid.*) Expectabas, credo, iterum panes manducare, iterum discumbere, iterum saginari; sed Dominus loquebatur de cibo, qui non perit..... Crede, & manducasti &c. Non hoc corpus, quod videtis, id est, eo modo, atque specie, qua ipsum videtis, manducaturi estis.... (*in ps.* 98.) Acceperunt enim stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & illis daturus. Id autem ipsum spiritualiter, & non ita ruditer intellectum vivificabit nos. Et si necesse est illud (Sacramentum) visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi, (2. *cont. adv. leg. c.* 9.) & Christum carnem suam manducandam, & sanguinem bibendum dantem fideli corde, atque ore suscipere, quamvis horribilius videatur carnem manducare, quam perimere, & sanguinem potare, quam fundere. Non ergo Augustinus omnem oralem manducationem excludit, nec allata ab adversariis verba procedunt, nisi de manducatione illa mortuæ, & dilaniatæ carnis, quam intellexerant Capharnaitæ. Pro aliorum solutione notandum est, in eodem cap. Joannis de triplice pane, ac triplici manducationis genere sermonem esse, uti dictum est. Quandoque igitur Patres prima verba, quandoque media, quandoque postrema exponentes, aut allegantes, eundem servare videntur tenorem doctrinæ, & exponendi sensum, qui secundum expositum versiculum, & eam, cui applicatur, materiam, discernendus est.

13. Probatur tertio realis Christi in Eucharistia præsentia ex verbis institutionis: (*Math.* 26.) Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum. Horum autem verborum simplicitas, & claritas absolutissime evadi non potest, nisi dicatur, Christum figurate, ac tropice loquutum, sicut quum dixit: (*Joann.* 15.) Ego sum vitis: (*Joann.* 10.) ego sum ostium &c. accipiendo, nimirum, signum pro re signata, veluti quum de figura depicti hominis dicitur, hic Tullius est, ille Sallustius. Hæc vero solutio impugnatur. I. ex supra dictis. Nam in cœna Christus dedit Apostolis, quod Joannis 6. se daturum promiserat; sed ibi non est loquutus tropice, ac metaphorice, quum dixit, se carnem suam daturum ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, quod probatum manet: ergo nec tropice loquutus est, quum dixit: accipite, & manducate &c. II. Nam tres Evangelistæ Mathæus, Marcus, Lucas, & Paulus in 1. ad Corinth. (*cap.* 10.) iisdem verbis Eucharistiæ institutionem referunt, est autem incredibile, ut in re tanti momenti, & cujus repetitionem Christus discipulis commendavit, aliquis Sanctorum Scriptorum figuram sub illis verbis contentam non explicuisset. Nam quomodo facturi erant discipuli, quod Christus *fecit*, nisi quid Christus fecerit, perspicue cognovissent? quo-

quomodo autem cognovissent quid Christus fecerit, nisi alicubi mentem suam, & figuratam loquutionem suam explicuisset. Præsertim III. quum ageretur de condendo Testamento, ubi Testatoris voluntas debet esse apertissima. (*August. apud Natal. dissert.* 12. *sæc.* 11. *art.* 3.) Non autem intestatus mortuus est, Pater noster. Testamentum fecit. Fratres sumus, quare litigamus? Ubi inventa fuerit hæreditas, ipsam teneamus. Aperi, legamus. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem... Forte (*Hilar.* 8. *de Trinit.*) qui Verbum est, & qui Veritas est, loqui vera nescivit? Et qui Sapientia est, in stultiloquio erravit? Et qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ut eloqui non posset, qui vellet intelligi? Num mentis, & linguæ artifex diserte loqui non potuit? Immo vero summa providentia fuco carere voluit, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ omnibus loquebatur. Quum ageretur IV. de Sacramento instituendo, in quo nihil esse debet obscurum, nihil ambiguum. V. quum ageretur de dogmate credendo. Quomodo enim credetur, nisi quod credendum sit, quamvis in se sit obscurum, verbis apertissimis credendum jubeatur. Quid autem de hoc Sacramento credendum jubetur, si quid in eo fiat, quid in eo contineatur, scire non possumus. VI. quum ageretur de lege ferenda, & mandato, in quibus Legislatoris mentem oportet esse clarissime, & apertissime propositam? An VII. Topicis, & figuratis loquutionibus erudiri poterant homines rudes, & simplices, & VIII. erudiri poterant in eodemmet actu, in quo erant Sacramentum manducaturi?

14. Quarto probatur proposita assertio testimoniis Patrum omnium sæculorum. Ex I. habemus Epistolam Presbyterorum Achajæ de passione S. Andreæ Apostoli, quam genuinas esse, probat Natalis Alex. (*cap.* 12. *Hist. sæcul.* 1. *art.* 10.) testimoniis Etherii Uxamensis Episcopi, & Beati Presbyteri Remigii Antisiodor., Petri Damiani, Volphemi Abbatis, Lanfranci Cantuariens. Bernardi, & Ivonis Carnotens. Habemus Ignatium Martyr. in Ep. ad Smyrnens. reprehendentem sui temporis Hæreticos, qui Eucharistias, inquit, non admittunt eo, quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri. Habemus Dionysium, sive authorem libri de Eccl. Hierarchia, (*cap.* 3. *prop.* 3.) cujus authoritatem, tanquam gravissimi, & antiquissimi authoris nobis opponunt Reformati, & quem, quamvis primi sæculi non sit, tamen ante sextum sæculum extitisse patet ex Greg. qui eum antiquum Patrem, & venerabilem vocat; (*hom.* 34. *in Evang.*) Ex II. sæculo adsunt Justinus in Apol. 2. ad Antonin. Pius I. in decreto, quod habetur de Cons. dist. 2. canon. Si per negligentiam. Irenæus in 4. contra univ. hæreses cap. 34. Ex 3. sæculo habemus Tertullianum in 2. ad uxorem, & de corona, ubi Calicis, inquit, aut panis

nis nostri aliquid decuti in terram anxie patimur: habemus Origenem hom. 13. in Exod. & hom. 5. in diversa Evang. loca, & 7. in Numeris: habemus Cyprianum in serm. 5. de Lapsis: habemus authorem Sermonis de Cœna Domini, qui Cypriano tribuitur, & certe antiqui esse, & doctissimi, ac sanctissimi Patris opus, ipsi non inficiantur Adversarii. Ex quarto sæc. habemus acta Conc. Nicœni in Vaticana Bibliotheca asservata, (*can.* 18. *& habetur ap. Photium Cod.* 88.) quorum authoritatem Œcolampadius, & Calvinus admittunt: Habemus Athanasium apud Theodoretum in Dialog. 2. Habemus Eusebium Cæsariensem, cujus verba supra attulimus ex 1. Dem. Evang. Habemus Hilarium in 8. de Trin. ajentem. Si vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem factum in cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? . . . De veritate carnis, & sanguinis nullus relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est . . . . Non est humano, aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam, atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanctitati, alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim Christi in nobis veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte, atque impie dicimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est cibus &c. Habemus Cyrillum Hierosol. in Catech. 4. Mystag. Quum Christus ipse affirmet, ac dicat de pane quidem: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Et eodem quoque affirmante: Hic est sanguis meus, quis dubitet, ac dicat, non esse ejus sanguinem? . . . . Aquam mutavit in vinum, non erit dignus, cui credamus, quod panem in corpus suum transmutaverit? Quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem sumamus . . . . . Neque consideres nudum panem, & nudum vinum, Corpus enim est, & Sanguis Christi secundum Domini ipsius verbum. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, fides te confirmet, nec ex gustu rem judices, & similia in eandem sententiam multa. Habemus Ambrosium, cujus vulgatum illud in 4. de Sacram., cap. 4.: Tu dicis, meus panis est usitatus; sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ast ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi . . . . Virgam tenebat manu Moyses, projecit eam, & factus est serpens . . . . Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? . . Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? . . Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poterit ea, quæ sunt in id mutare, quod non erant? His affinia multa quum in eod.

eod. libr. tum locis aliis. Habemus Basilium in lib. de Bapt. qu. 2. de indigne sumentibus Christi carnem loquentem. Habemus Basilii fratrem Greg. Nissen. in lib. de vit. Moysis quærentem quî fiat, ut quum unum Christi corpus tot millibus hominum detur, integrum permaneat? Ait item: Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari.... Hoc autem fit, inquit, virtute benedictionis in illud (corpus) transelementata eorum, quæ apparent, natura. Habemus Gregor. Nazianzenum orat. 2. de Paschat. & in laudem soror. Gorgoniæ. Habemus Optatum Milevitanum in 6. contr. Parmenianum adversus Altarium eversores, & sacrorum vasorum profanatores. Habemus Ephremum Syrum in lib. de nat. Dei non scrutanda. Habemus Epiphanium in Ancorato. Ex 5. sæculo testis est Gaudentius Brixiens. inquiens: (*tract. 2. de Exodo.*) Ipse naturarum Creator, qui producit panem de terra, de pane rursus (quia potest, & promisit) proprium corpus efficit, & qui de aqua vinum fecit, de vino quoque sanguinem suum. Testis est Chrysostomus multis in locis, sed præcipue hom. 60. ad pop. Antioch. & 83. in Matth. Testis est Hieronymus comm. in 26. Matth. & in Ep. ad Hedibiam, quæ sup. adduximus. Testis est Augustinus in locis multis, quorum nonnulla supr. dedimus. Testis est Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joann., & in ep. ad Nestor. Apertissimum illud ex lib. 10. in Joan. 13. Non negamus, recta nos fide, & sincera charitate Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis Scripturis omnino alienum ducimus.... Non enim habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christus in nobis est, verum etiam participatione naturali. Testis est Isidorus Pelusiota in ep. 109. lib. 1. Testis est Theodotus Ancyranus Episcopus oratione habita in Conc. Ephesino. Testis Proclus Constantinopolit. Patriar. in trad. div. Liturg. Testis Leo Mag. in serm. 6. de Jejunio, & ep. 23. ad Cler. Constantinop. Testis est author Sermonis de Corpore Domini, qui nonnullis Eusebius Emissenus, nonnullis Faustus Rhegiensis, aliis Cæsarius Arelatensis esse videtur. Certe, quisquis fuerit, non exiguæ doctrinæ Scriptor est, cujus authoritatem ipsi etiam Adversarii magni faciunt. Recedat vero, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author est muneris, testis est etiam veritatis.... Itaque ad cognoscendum, & percipiendum veri corporis ipsa te roboret potentia consecrantis.... Nam invisibilis Sacerdos visibilem creaturam in substantiam corporis, & sanguinis verbo suo, secretaque potestate commutat... Quod corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto &c.... Quid mirum autem si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere.

15. Ex

15. Ex sexto sæculo testem habemus Remigium in cap. 10. primæ ad Corinth. panis transit in corpus Christi, nec duo corpora sunt, sed unum corpus: habemus Primasium, cujus similia verba sunt in cap. 10. Epist. ad Hebr. Ex 7. sæculo idem testatur Gregorius Magnus hom. 14. in Evang. & hom. 22., ubi Eucharistiam, non solum ore corporis, sed ore cordis sumendam esse, scribit. Idem testatur Isidorus Hispalensis in toto fere lib. de div. offic., qui etiam Missæ Mozarabicæ fertur author, ut infra. Sequentium sæculorum Scriptores quid proferamus, quum fateantur adversarii, ante annos mille totum jam orbem in eam sententiam ivisse, ut Missam crederet verum sacrificium corporis, & sanguinis Christi?

16. Quinto idem Catholicum dogma probatur ex omnium Christianarum Ecclesiarum in verbis Christi ad litteram intelligendis, & explicandis consensu. Et de Ecclesia quidem Latina satis est manifestum ex adductis Latinis Patribus, & sequentium sæculorum Scriptoribus, quum Dogmaticis, tum Scholasticis, & Asceticis. De Ecclesia autem Græca præter adductos Græcos Patres constat ex dissidiis ipsis inter utramque Ecclesiam ab tempore Photii exortis, nusquam enim Latini Græcis errorem aliquem circa realem Christi præsentiam objecerunt. Immo ipsa de Azymo, & fermentato celebris controversia apertissime supponit, utramque Ecclesiam in ea semper fuisse sententia, verum, & naturale Christi corpus sub specie consecrati panis constitui, quam consensionem multis documentis confirmat Natalis Alexander. (*diss.* 10. *de Syn. Florent. art.* 2. *præsertim diss.* 12. *sæc.* 12. *art.* 3.) Satis sit Epiphanii Diaconi effatum, quod habetur in 7. Synodo act. 6. Nunquam invenies neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod a Sacerdotibus offertur, figuram, aut imaginem dixisse; sed ipsummet corpus, & ipsum sanguinem. Id ipsum post Lutheranam hæresim confirmavit apertissime Jeremias Constantinopolit. Patriarcha in Censura Confessionis Augustanæ: Statuit, inquit, Ecclesia Catholica quod, consecratione facta, panis mutatur in ipsum corpus Christi, & vinum in ipsum sanguinem. Panem, inquam, fermentatum. Dominus enim non dixit: Hoc est azymum, aut typus corporis; sed hoc est corpus meum, & sanguis meus. Non etenim data est tunc caro Domini, quam gestabat: (id est, in ea, quam gestabat, & præferebat specie) ad edendum discipulis, aut sanguis ad bibendum, aut etiam nunc in sacro hoc ritu descendit Dominicum corpus e cœlo (blasphemum id esset). Sed & tunc, & nunc invocatione, & gratia Omnipotentis, & mysteriorum operatoris Spiritus, per sacras preces, & orationes pane in ipsius Domini corpus, & vino in ipsius sanguinem converso, & mutato. Non igitur typus est.... Dominici corporis, qui a Sa-

a Sacerdote perficitur, sed .... ipsum Domini corpus. Hinc quum Cyrillus Lucaris ad Calvinianam hæresim deflexisset, in duabus Synodis damnatus est alia sub Cyrillo Berœensi, qui ei in Patriarchatu successit, alia sub Parthenio. Patet denique recta fides Ecclesiæ Græcæ circa dogma Eucharisticum ex Liturgiis, quibus usque ad præsentia tempora Græci utuntur, de quibus infra.

17. Sexto eadem Catholica veritas probatur ex antiquioris, & recentioris Ecclesiæ praxi, & summa veneratione, ac Religione, qua semper hoc mysterium in Ecclesia tractatum est. I. ex adoratione, timoreque, ac tremore, quo ad illud accedebatur, tanquam ad regis corpus, inquit, Clemens in 2. Constit. (*cap.* 61.) Nam quia ipsam suam carnem manducandam ad salutem Christus dedit, nemo illam manducat, nisi prius adoraverit, inquit Augustinus, (*in ps.* 68.) qui & ep. 120. de Eucharistia intelligit, quod scriptum est: (*ps.* 21.) Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ. Unde & Chrysostomus adora, inquit, (*homil.* 3. *in epist. ad Eph.*) & manduca. Creduntur autem, & adorantur, ait Theodoretus, (*dialog.* 2. *de his myster.*) quod ea sint, quæ esse creduntur. II. id convincitur ex summa diligentia, quæ semper fuit adhibita, ut & ab Sacerdotibus hoc mysterium rite conficiatur, & ab Laicis digne suscipiatur ex præcepto Pauli Apostoli: (1. *Corinth.* 11.) Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans, id est, non discernens ab ordinario, & simplici pane, corpus Domini. III. ex magna cura adhibita ne consecrati panis, aut vini pars minima in terram caderet, aut circa ea indignum aliquid fieret, quod supra ex Tertulliano (*lib. de corona milit. cap.* 3.) adnotavimus. IV. Ex præeminentia, & reverentia debita, & exhibita semper Sacerdotibus quod ore suo, ut loquitur Hieronymus, (*Epist. ad Heliod.*) Christi corpus conficiant. Accedit templorum, & Altarium consecratio, vestium, & sacrorum vasorum benedictio, & totus sacer apparatus, & religiosus cultus, quæ omnia, uti ad Theophilum scribit Hieronymus, propter contactum, & consortium corporis Domini magno semper in honore sunt habita, sicut contra tanquam impii, & sacrilegi eorum profanatores apud Optatum, (*lib. cont. Parmen.*) & Nazianzenum (*orat.* 2. *de Pasch. orat. in Gorgon.*) alibi adductos. V. Idem confirmatur ex pane benedicto, qui juxta Pii I. decretum, quod habetur etiam in Conc. Nannetensi, (*cap.* 9.) in vase nitido asservari jussus erat, ut qui Dominicis, ac festis diebus communicare nollent, inde Eulogiam acciperent, quæ panis Catechumenorum dicebatur, de qua Augustinus: (*lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 26.) Quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum ta-

tamen est, quoniam Sacramentum, id est, sacrum signum est. VI. Idem probatur ex Missa Catechumenorum, qui, quum ad consecrationem ventum erat, exire de Ecclesia jubebantur. Unde Eucharistiam vocat Augustinus (*tractat.* 10. *in Joann.*) manna absconditum a Catechumenis, quia JESUS, inquit, adhuc non se credidit eis. VII. convincitur ex calumnia, qua primores Christianos insectabantur Pagani apud Justinum, (*Apolog.* 2. *ad Anton.*) & Eusebium. (*lib.* 4. *hist. cap.* 8. *&* *lib.* 5. *cap.* 1.) Dicimur sceleratissimi, & de sacramento infanticidii, & pabulo crudæ carnis vesci, inquit Tertullianus. (*in apolog. cap.* 7.) Unde autem hæc opinio, nisi quia Christianos quosdam audierant dicentes se carnes Idolis immolatas edere non posse, qui carne, & sanguine Christi alerentur, quod Andreas apud Egeam Proconsulem testatus est?

18. Probatur septimo Catholica doctrina duabus rationibus a D. Thom. (*in* 4. *dist.* 8. 3. *p. q.* 75. *art.* 1.) allatis, non illis quidem efficacibus, & necessario convincentibus, (nec enim quæ ad solam fidem pertinent, demonstrativo argumento probari possunt) congruentibus tamen, fide supposita. Hoc enim maxime competebat Charitati Christi, qua major altera non fuit, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium est amicitiæ convivere amicis, ut in 9. Ethicor. dicitur, quum in perpetuum cum hominibus conversari in specie visibili non oporteret, ne deesset meritum fidei, tamen aliquomodo corporali præsentia sua, quamvis in aliena specie, nos in hac peregrinatione non destituit, sed per veritatem corporis, & sanguinis sui nos sibi conjungit, seque nobis commiscet, ut inquit Chrysostomus, (*hom.* 88. *in Math. hom.* 55. *&* 60. *&* 61. *ad popul.*) & concorporat, ipso in nobis, & nobis in eo manentibus. Item hoc competit, inquit D. Thomas, perfectioni fidei, quæ sicut est de divinitate, ita & de humanitate Christi.... Et quia fides est non apparentium, sicut divinitatem suam invisibiliter nobis exhibet, ita oportuit, ut humanitatem suam nobis modo invisibili exhiberet ad nostræ spei sublevamentum, & suæ absentiæ solatium, & suæ charitatis argumentum.

19. Argumenta porro, quibus Catholica hæc veritas impugnatur, desumuntur vel a Philosophia, & ratione naturali, vel ab Scriptura, vel ex Patribus. Et primo quidem, inquit D. Thomas, (4. *cont. Gen. cap.* 62. *&* *seqq.*) omnia Philosophica argumenta breviter, ac dilucide complexus, difficile videtur, quomodo verum Christi corpus in altari esse incipiat. Aliquid enim incipit esse, ubi prius non erat, dupliciter, nimirum, vel per motum localem, vel per conversionem alterius in ipsum, sicut ignis in domo esse incipit, vel quia ibi de novo accenditur, vel quia illuc de novo apportatur; sed corpus Chri-

Christi non semper fuit in altari: ergo vel incipit ibi esse per actionem conversivam, vel per actionem adductivam; non vero per actionem conversivam, neque per adductivam: nullo modo ergo corpus Christi verum, & naturale in Altari esse incipit. Minoris prima pars probatur I. Nihil enim convertitur in id, quod jam præexistit, nam per conversionem res incipit simpliciter esse; sed ante consecrationem Christi corpus in utero Virginis saltem præextitit: ergo. Item II. Omnis conversionis, aut mutationis oportet esse commune subjectum, quod ab una forma, aut specie, aut loco, vel hujusmodi in aliud transeat; sed in Eucharistia nihil est commune conversionis subjectum, quod sub pane, & carne Christi inveniatur: ergo. Item III. Omnis conversio fit per actionem alicujus causæ: igitur per aliquam actionem panis convertitur in corpus Christi: actio illa igitur circa corpus Christi versatur; sed in corpore Christi nihil fit per illam actionem, nisi positio illius sub speciebus; hæc autem positio non est quid substantiale; in omni autem conversione substantiali, qualis est Eucharistica, oportet aliquid substantiale fieri: ergo in Eucharistia vel nulla est conversio, vel non est conversio substantialis. Item IV. Actio illa non esset creativa, quia actionis creativæ terminus est simpliciter esse, ut (*lib.* 5. *prop.* 2.) ostensum est; corpus autem Christi non incipit esse, quum in Eucharistia ponitur: nec est generativa, ut patet: nec est conservativa. Est enim illa actio Christi, ut Sacerdotis; Christus autem neque corpus suum creare, nec generare, aut conservare potest: relinquitur ergo, ut sit actio mere adductiva corporis Christi ad locum, ubi erat panis, quæ erat secunda minoris pars.

20. Hoc autem esse non potest. Nam omnis actio adductiva importat motum localem, seu mutationem loci. Omne autem, quod localiter movetur, sic incipit esse in uno loco, ut desinat esse in alio: opus ergo erit, ut Christus ab cœlo absit, quando Altari adest. Item: nullus motus localis potest simul ad duo loca terminari: manifestum est autem, hoc Sacramentum simul in diversis locis celebrari. Item: nullus motus localis potest fieri in instanti, nam mensura motus est ipsum tempus; tempus autem in instanti esse non potest, sicut neque quantum in puncto. Corpus autem Christi ponitur in Eucharistia in ultimo instanti prolationis verborum: ergo actio illa adductiva nullo modo esse potest.

21. Licet autem divina virtus sublimius, & perfectius operetur in hoc mysterio, quam ab homine perquiri possit, ne tamen doctrinam Ecclesiæ Catholicæ impii homines irrideant, & meras nos gerras, & chymæricas fabulas credere arbitrentur, conandum est, ut ab his omnis impossibilitas, & incredibilitas excludatur. Ad argumentum i-

gi-

gitur concesso toto primo syllogismo, negatur minor, ad cujus primam probationem respondet D. Thomas: (3. p. q. 75. art. 4. ad 2.) dicendum, quod objectio illa procedit de conversione formali, seu mutatione, quæ vi naturalium agentium fieri potest. Nam formam omnem in materia, aut subjecto aliquo esse oportet; non autem habet locum in conversione totius substantiæ, cujus non est accipere communem subjectum. . . . Sciendum est enim, (4. cont. Gent. cap. 63.) quod prædicta conversio panis in corpus Christi alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in his idem subjectum transit ex una forma in aliam; in hac autem conversione tota substantia in totam substantiam, sive totum subjectum in totum subjectum transit, quod natura facere non potest. Cujus quidem ratio evidens est. Nam sicut ars operatur circa materiam secundam, aurum v. g., aut lignum, ita naturalia agentia operantur circa materiam primam, ex qua fiunt aurum, & lignum: sicut ergo artificio humano non subditur, sed præsupponitur materia secunda, quia aurifex ex auro præexistente, & faber ex ligno præexistente operatur; ita virtuti naturalis agentis non subditur, sed præsupponitur materia prima, quia omne agens naturale ex materia prima operatur. . . . Unde natura nunquam facere potest, ut hæc substantia fiat illa, sicut quod hic digitus sit ille digitus. Si sit ergo aliquod agens, cui non solum materia secunda, sed etiam prima ad nutum obediat, quale Deum esse in primo (prop. 24.) ostensum est, hic poterit, non solum in materia diversa formas introducere, sed etiam ipsam materiam destruere, aut creare, & unam alteri substituere. Sicut autem forma est principium speciei, ita materia est principium individuationis: ergo sicut virtute agentis naturalis potest materia ex hac in illam speciem transire, ita virtute agentis divini, cui subditur materia, potest hoc individuum, aut totum hoc subjectum in totum aliud transmutari, quum transmutatio fiat secundum primum subjectum, quod est individuationis principium.

22. *Ad secundam ejusdem minoris probationem* respondet eodem modo D. Thomas, (*q. 75. art.* 4. *ad* 1.) quod objectio procedit de mutatione formali, sive quæ fit secundum formam, & quæ sola virtute naturalium agentium fieri potest; non autem habet locum in conversione totius substantiæ, quam Philosophi non cognoverunt, & quæ sola Dei virtute fieri potest. Unde quum hæc conversio substantialis importet quemdam ordinem substantiarum, quarum una convertitur in aliam, est sicut in subjecto in utraque substantia, quarum est una post aliam, sicut ordo, & numerus.... Inde hæc conversio non continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomi-

mine dici potest Transubstantiatio, ut ab Tridentino (*Sess.* 13. *can.* 2.) dicta est.

23. Ad tertiam probationem concedimus, nihil per illam actionem circa corpus Christi fieri, nisi novam ejus præsentiam in hoc loco, quæ quidem non est quid substantiale. Non autem dicitur hæc conversio substantialis, quia per eam aliquid substantiale producatur, sed quia per eam substantia succedit substantiæ, unde rectius dicitur Transubstantiatio, sive conversio substantiarum, quam conversio substantialis. Ad quartum concedimus, actionem, per quam corpus Christi hic constituitur, non esse neque creativam, neque generativam, neque conservativam, neque ullam ex iis, quæ a Philosophis cognosci, aut nominari consueverunt, quum sit singularis actio Dei supra omnem ordinem naturæ operantis, cujus mira opera consequentiam naturalem non habent, sed libera sunt ab omni tali necessitate, & legibus naturæ non subsunt, quod est apud Chrysostomum ... (*hom.* 46. *in Joann.*) Præter naturæ ordinem Virgo generavit, (*Amb. in orat. de iis, qui mys. initi.*) & hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine sumptum est. Quid ergo quæris naturæ ordinem, & Philosophorum rationes, ac vocabula in Corpore Christi, quum præter naturam sit ipse Dominus JESUS natus ex Virgine? Quod si novis plantis, aut lignis, aut lapidibus in rerum natura inventis, aut humano ingenio noviter rebus excogitatis nova verba tribuenda sunt, & veterum Auruncorum, vel rudium Volscorum, Etruscorum, aut Latinorum verba non suppetunt, quid est, cur isti verborum leguli nobis obstrepant ex barbaro Transubstantiationis nomine: Age igitur: nos, quid, Deo docente, credimus, explicabimus: ipsi rebus definitis, nomina inveniant ex Tullii, aut Livii, aut Sallustii ærariis deprompta. Apage ridiculos homines, quibus illud Augustini opponendum est: bonorum, & magnorum ingeniorum indoles est, ubi de rebus agitur, de verbis non curare? Verum ad nostra redeamus. Porro sicut actio illa creativa, aut generativa, vel conservativa dici non potest, ita neque proprie adductiva. Nam adducere est rem aliquam ex loco in locum nobis proximiorem afferre, quod sine motu, & recessione, atque accessione intelligi non potest. Per hanc autem actionem nullo modo Christi corpus localiter movetur. Et hoc bene probant argumenta allata, quibus D. Thomas probat, Christum in Eucharistia non incipere esse per localem motum; tamen magni nominis Theologi, Scotus, Bonavent. Alensis, Marsilius, & ex Recentioribus Bellarminus (3. *de Euc. cap.* 18.) Adductivam volunt. Et hic ita, ait, istam conversionem vocamus, non quia corpus Christi cœlum deserat, aut per localem motum huc de cœlo adducatur, cui assonant citati authores dicentes, per hanc actionem non aliquid fieri, quod non erat;

sed

sed quod ante jam alicubi erat, poni hic, ubi non erat. Duplicem autem respectum habet actio illa, nam ut conversiva est, effectum habet in pane, qui solus convertitur, & substantialiter immutatur; ut autem adductiva est (hac enim abusiva voce utimur, quia aptior alia non suppetit) effectum habet in corpore Christi, quod per eam hic, ubi non erat, præsens constituitur. Si inter multa alia minus Latina, quæ ab Theologis admittuntur

Propter egestatem linguæ, & rerum novitatem, (*Lucret.*)

dicatur actio Locativa, cujus munus sit dumtaxat Christum hic locare, aut præsentem constituere. Hancque meram, & simplicem positionem corporis hic, ubi erat panis, sufficere ad consecrationem explicandam, & facilitatem quandam, & claritatem præseferre fatetur Suarez (*in* 3. *p. t.* 3. *disp.* 50. *s.* 4.) quamvis ipse aliter sentiat.

24. Scotus vero (*in* 4. *d.* 10. *q.* 1. *& d.* 11. *q.* 3.) etiam respectu corporis Christi duas videtur ponere actiones, aut duo saltem ejusdem actionis munia, aliam enim vocat actionem conversivam, cujus terminus sit corpus Christi simpliciter, alteram adductivam, cujus terminus sit non Christi corpus simpliciter, sed locatio ejus, vel præsentia in hoc loco, id est, aliam actionem, per quam corpus jam alioqui præexistens, hic sistitur; aliam, per quam corpus quamvis alioqui non præexisteret, hic poneretur vi, & efficacia verborum. Hæc tamen secunda actio nulla est, nec id ab Scoto, qui ibi subobscure loquitur, assertum videtur. Nam diserte asserit verba consecrationis non habere vim productivam corporis Christi, quod verum est, sed solum adductivam; non autem adducitur, nisi quod alicubi præexistit: ergo si corpus Christi nusquam existeret, non posset vi verborum in Eucharistia poni. Sed de hac, & aliis hujusmodi opinionibus Scoti, Suareziique infra dicemus. Nunc reliqua ex ratione petita argumenta D. Thomæ filo, diluamus.

25. Secunda autem ex lumine rationis nata difficultas est hujusmodi. Nullum corpus separatis partibus, integrum potest existere; sed in Eucharistia panis, & vinum seorsim existunt, & consecrantur: sub horum autem speciebus caro, & sanguis esse ponitur: caro ergo, & sanguis separatim existunt: Christus ergo integer in Eucharistia non ponitur. Secundo: Impossibile videtur, ut majus corpus in loco minoris includatur, nam quum magnitudinem dimetiamur per spatium, quod occupant, si corpus majus contineretur in spatio, aut loco minoris, corpus majus esset æquale minori, quod implicat contradictionem: manifestum est autem corpus Christi esse longe majus spa-

spatio, quod occupat tenuis placentula: ergo &c. Quod si dicatur non ibi esse nisi partem aliquam corporis, redibit argumentum primum de Christo in partes discerpto. Tertio: Impossibile est idem corpus simul in pluribus locis existere; manifestum est autem Eucharistiam pluribus in locis simul confici, coli, atque asservari: ergo. Quod si dicatur Christum secundum aliquam sui partem esse hic, secundum aliam alibi, redibit argumentum prius factum contra corporis integritatem.

26. Pro horum autem solutione prænotandum est, actionem, per quam panis in corpus Christi convertitur, non esse creativam, ut supra dictum est. Oportet igitur, ut vel maneat commune aliquod utrique substantiæ subjectum, vel aliquid ex iis, quæ primam substantiam comitabantur. Si enim nihil omnino remaneret, esset illa conversio vera creatio. Substantia autem panis remanere non potest. (3. *p. q.* 75. *art.* 2.) Dictum est enim carnem Christi non poni in Eucharistia per motum localem, quo e cœlo adducatur, sed per actionem, qua panis convertitur totus in totam carnem Christi; quod autem convertitur in aliud, eo ipso esse desinit: ergo quum tota substantia panis convertatur in totam substantiam carnis, tota substantia panis, id est, tam materia, quam forma desinit esse. Item: Corpus Christi ponitur præsens loco, ubi erat panis; duæ autem substantiæ, maxime corporeæ in eodem loco esse non possunt: ergo panis necesse est, ut locum cedat corpori Christi, in quod convertitur: non ergo potest simul cum Christi corpore substantia panis remanere. Tertio: quia hæc positio repugnat veritati verborum Christi: Hoc quod in manibus habeo, est corpus meum, quod non esset verum; si ibi aliquid remaneret, quod non esset corpus suum. Quarto: repugnat venerationi, & cultui, qui Eucharistiæ debetur. Non enim potest cultus Latriæ exhiberi nisi Deo, aut carni, cui Verbum Dei per physicam unionem conjunctum est. Quinto: item repugnat ritui Ecclesiæ, quæ ante, vel simul cum Eucharistia cibum omnem, & potum prohibet communicantibus; at post unam hostiam consecratam alias, & alias sumere non prohibet: non ergo opinatur Ecclesia hostiam consecratam esse naturalem panem, qualis esset, si ibi remaneret panis substantia. Tandem: idem convincitur ex multis testimoniis Patrum dicentium, ante consecrationem merum panem ibi esse, & naturalem; per consecrationem vero converti, mutari, fieri, & esse corpus, & sanguinem Christi. Quod autem de tota substantia panis dictum est, de singulis partibus substantialibus facile probari potest. Non enim remanet materia panis per se, quia sine forma esse non potest: nec potest informari forma corporis Christi, alias corpus ibi positum non esset idem numero, quod in cœlo est, & natum de

Vir-

Virgine. Non item remanet forma substantialis, (*ib. art.6.*) quia nec
in materia panis, alias panis totus remaneret, neque in alia mate-
ria, quia esset ibi aliud compositum substantiale præter corpus Chri-
sti, atque argumenta facta redibunt; neque separata a materia, quia
tunc fieret per se intelligibilis actu, atque actu intelligens, sicut sunt
omnes formæ sine materia. Nihil igitur ad panis substantiam perti-
nens post consecrationem manet. Quum ergo dicitur: Ex pane fit
corpus Christi, intelligendum est, sicut quum dicitur, nox conversa
est in diem, non quod nox sit materia, ex qua fit dies, sed quod
nocti succedit dies. (*q.75. art. 8.*)

27. Quoniam vero per hæc verba: Hoc est corpus meum, quæ
sunt hujus conversionis significativa, & factiva, aliquid remanere ne-
cesse est, quod in manibus Christi erat, quando ex pane corpus
suum fecit, ideo exclusa substantia panis per substantiam corporis
Christi, opus est, ut dicantur remanere species, sive affectiones, aut
qualitates extrinsecas, (de vocibus enim non contendimus) quæ sub-
stantiam panis comitabantur.... Accidit enim in hac conversione
contrarium ei, quod in naturalibus conversionibus invenitur; in his
namque subjectum manet; accidentia vero variantur; hic autem e
converso accidentia manent; substantia vero transit: hujusmodi enim
conversio non potest proprie dici motus, sicut a Philosophis consi-
deratur, sed est quædam substantialis, sive substantiarum successio.
Est item alia sufficiens ratio. Nam si abeunte substantia panis, etiam
omnia accidentia abirent, sequeretur, non poni corpus Christi ubi pa-
nis erat. Christus enim, ut infra dicetur, non occupat locum per
proprias dimensiones, sed per dimensiones, per quas eumdem occu-
pabat panis, alias nulla esset habitudo corporis Christi ad locum il-
lum: necesse est igitur remanere dimensiones panis, id est, superfi-
ciem, crassitiem &c. ut dicatur corpus Christi occupare locum pa-
nis. Remanet ergo quantitas dimensiva panis in Eucharistia. Et quia
quantitas dimensiva est id, quod prius, & propinquius inhæret sub-
stantiæ, ipsamet quantitas, abeunte substantia, est subjectum, in
quo reliquæ affectiones tum activæ, tum passivæ, recipiuntur,
& operantur. Nam & ipsa substantia præsente, qualitates non imme-
diate in ipsa substantia recipiuntur, sed media quantitate, sicut co-
lor mediante superficie: unde etiam divisa quantitate, per accidens,
aliæ qualitates & accidentia dividuntur, ut ex uno cubo multi cubi,
& ex una superficie multæ, & ex uno colorato, aut sonoro, aut sa-
pido, multa colorata, aut sonora, aut sapida, eadem substantia re-
manente. Quod autem de actuosis, & passivis qualitatibus, id ipsum
de relationibus dicendum est. Quædam enim relationes immediate ex
quantitate oriuntur, ut majus, aut minus, duplum, & dimidium &c.

quædam sequuntur quantitatem tali modo affectam, ut opacum, aut lucidum, rarum, & densum, album, aut nigrum &c. Sic igitur accidentia panis in Eucharistia remanere ponendum est, ut sola quantitas dimensiva sine proprio subjecto subsistat, reliquæ autem qualitates in quantitate dimensiva tanquam in subjecto fundentur, & per consequens actiones, passiones, & relationes .... Possunt etiam in ejusdem rei confirmationem aliæ rationes assignari. Prima quidem propter commodiorem, faciliorem, & honestiorem usum Sacramenti, & Sacrificii. Esset enim horrori sumentibus, & abominationi videntibus, & audientibus, si corpus Christi in sua specie a fidelibus sumeretur, neque ab singulis totus Christus sumi posset, & ideo proponuntur nobis caro, & sanguis summenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, nimirum panis, & vini. Secunda ne hoc mysterium ab inimicis irrideretur, si sub specie propria Dominum, ac Deum nostrum manducaremus. Tertia ut hoc proficiat ad meritum fidei, quæ est de invisibilibus.

28. His igitur sic positis, pergit D. Thomas, ad alia solvenda nobis facilior aliquatenus via patet. Ad primum ergo concessis præmissis, distinguitur consequens: Caro, & sanguis seorsim existunt, quatenus vis verborum significat, concedo; quatenus de facto evenit, nego. (4. *cont. Gent. cap.* 64.) Dictum est enim quod locus, in quo hoc agitur Sacramentum, attribuitur corpori Christi ratione dimensionum panis remanentium post consecrationem, aut conversionem panis in ipsum. Quæcumque ergo Christi sunt, necesse est esse in loco prædicto secundum quod exigit ratio dictæ conversionis. Considerandum est igitur in hoc mysterio aliquid esse ex vi conversionis; aliquid vero ex naturali concomitantia. Ex vi quidem conversionis est illud, ad quod directe conversio terminatur, & quod directe, & simpliciter verba illa significant: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia sunt ibi alia, ad quæ conversio non terminatur; sed tamen ei, ad quod terminatur, sunt realiter, & naturaliter conjuncta. Manifestum est enim quod conversio panis non terminatur ad Divinitatem, aut animam rationalem, sed tamen sub specie panis anima Christi ponitur, & ejus Divinitas propter unionem utriusque ad corpus Christi, quando verba protulit.... Per eadem autem patet solutio ad secundum, quod objiciebatur de inæqualitate corporis Christi ad locum panis. Substantia enim panis directe convertitur in substantiam corporis Christi; dimensiones autem corporis Christi sunt in Eucharistia ex naturali concomitantia, non ex vi conversionis, quum dimensiones panis remaneant. Sic igitur corpus Christi non comparatur ad hunc locum mediis dimensionibus propriis, ut his oporteat locum adæquari; sed me-

mediis dimensionibus panis, quæ remanent, & quibus locus adæquatur minor: Hinc ad argumentum in forma Scholastica explicatur minor: corpus Christi sub propriis, & naturalibus dimensionibus existens est longe majus &c. concedo; existens sub dimensionibus panis, ut in Eucharistia, nego. Sicut enim globus eminus conspectus sub specie disci, aut cubus sub figura simplicis quadrati, quamvis sit longe major disco, aut quadrato, tamen in specie, quam exhibent, ut discus, & quadratum mensurantur; ita quamvis corpus Christi sit multo majus disco placentulæ, tamen spatium, quod in Sacramento occupat sub specie panis, non est majus spatio, quod occupabat panis substantia. Hinc etiam patet solutio ad tertium, quod erat de multiplicitate locorum. Corpus enim Christi secundum proprias, & naturales dimensiones in uno tantum loco existit, nimirum in cœlo; sed mediis dimensionibus panis in ipsum transeuntis, est in tot locis, in quot hujusmodi mysterium celebratur. Quamvis enim tota quantitas dimensiva Christi continetur in Eucharistia, quum sit ibi tota substantia corporis ejus, quæ naturaliter sibi inhærentibus privata non est, ut dicitur 3. p. q. 76. art. 4., tamen non est in hoc Sacramento secundum modum commensurationis, ut scilicet partes loci correspondeant partibus corporis, qui modus est proprius, & connaturalis quantitati, ad quem pertinet, quod major quantitas extendatur ultra minorem, sed est ibi per modum substantiæ, cujus natura est tota in toto, & tota in qualibet parte totius.

29. Quarta difficultas nascitur ex iis, quæ de Eucharistia per sensum accipimus. Sentimus enim manifeste etiam post consecrationem omnia accidentia, sive sensibiles qualitates panis, & vini, nimirum, colorem, odorem, saporem, figuram, quantitatem, pondus &c., hujusmodi autem accidentia in corpore Christi tanquam in subjecto esse non possunt: nec in aere ambiente, quia quum plura eorum sint accidentia naturalia, requirunt subjectum determinatæ naturæ, & non humanæ, nec aereæ: neque possunt per se subsistere, quum accidentis esse sit inesse: accidentia item quum sint formæ, individuari non possunt, nisi per subjectum, cui insunt; unde, sublato subjecto, essent formæ universales: reliquum est igitur, ut ea accidentia in substantia panis, & vini tanquam in subjecto recipiantur: necesse est igitur, ut in Eucharistia panis, & vini substantia maneat; sed non simul cum corpore Christi, nam duo corpora in eodem loco esse non possunt: non igitur verum corpus Christi in Eucharistia ponitur. Neque responderi potest, sensum decipi. Nam primo: sensus circa proprium sensibile decipi non potest. Secundo: rerum omnium cognitio vacillaret, quum nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Nam quod est apud Tertullianum, (*lib. de anima cap.*

cap. 7.) totus vitæ status evertitur, omnis naturæ ordo mutatur, ipsius Dei excæcatur providentia, qui cunctis suis operibus intelligendis, dispensandis, fruendis, fallaces, & mendaces administros præfecerit sensus .... Falsa enim omnis testatio est, si oculorum, & aurium, ac manuum sensus natura mentitur. Tertio: quia ab Sacramento veritatis mendacium omne, omnem fallaciam abesse oportet, quum Deus fallaciæ author esse non possit. Quarto: id, quod facta conversione remanet, videtur esse conversionis subjectum: ergo si substantia panis in corpus Christi conversa, remanent qualitates sensibiles panis, hæc erunt subjectum conversionis, quod esse non potest, nam accidentis non est accidens. Quinto item: quia in Eucharistia ponitur substantia corporis Christi, etiam ponitur quantitas dimensiva, & omnia accidentia, quæ ipsam comitantur; sed magis est naturæ repugnans existere accidentia sine substantia, quam substantiam sine accidentibus, substantia enim est accidentibus prior; sublato autem posteriori non tollitur prius; bene autem contra: ergo sublata panis substantia, remanere non possunt accidentia panis.

30. Ad horum primum respondens D. Thomas, (*loc. cit. c.* 65.) negari, inquit, non potest, accidentia panis, & vini remanere, quum sensus hoc infallibiliter demonstret, nec in eo decipi possit, ut bene probant argumenta adducta. Item dici non potest, remanere in corpore Christi. Hoc enim sine ejus alteratione fieri non posset. Relinquitur ergo, ut vel sine subjecto simpliciter maneant, vel maneant in corpore ambiente locum, quem occupabat panis, id est, in aere circumstante. Quod autem minus est miraculosum, & magis conceptu facile, id videtur eligendum. Fides enim nihil docet circa modum, quo hæc accidentia, aut sensibiles qualitates remanent. Fidei autem mysteria, quamvis supra rationem sint, eo modo tamen explicanda sunt, qui rationi non repugnet. Et quidem de sola quantitate quæstio est. Nam reliquæ qualitates, etiam dum aderat substantia panis, non in ipsa immediate, sed in quantitate dimensiva recipiebantur: ergo eadem quantitate dimensiva manente, non carent proprio, & immediato subjecto. Item: multi Catholici docuerunt quantitatem ab substantia, sive re quanta non distingui, qui propterea non dicunt manere quantitatem panis. Multi item dicunt quantitatis essentiam consistere in ipsamet extensione in ordine ad locum: ergo quum hæc exstensio in ordine ad locum maneat in Eucharistia, quantitatem eandem manere dicant, necesse est. Quomodo ergo dicitur quantitas manere, aut non manere, quando de eo, quod est, vel non est quantitas, certi esse non possumus? Supposita igitur fide docente, in Eucharistia non manere substantiam ipsam panis, seu verum, & naturalem panem. II. ibi constitui verum, & naturale corpus Christi

Do-

Domini; III. ibi institui sub quibusdam signis sensibilibus, sive speciebus, aut accidentibus panis vi verborum legitimi Sacerdotis Christi vicem gerentis. His, inquam, statutis, quid ultra a viro Catholico exigendum sit, equidem non video. Quomodo igitur hæ qualitates maneant, ita explicandum est, ut fidei congruat, & Philosophiæ, aut rectæ rationi non repugnet. Jam vero inter hos duos dicendi modos quis congruentior, & captui facilior sit, videndum est. Scholastici veteres dixerunt accidentia illa, & qualitates manere prorsus sine subjecto, id est, quantitatem sine re quanta, saporem sine re sapida, dimensionem sine re mensurabili, extensionem sine corpore extenso, raritatem, aut densitatem ejusdem rei sine diminutione, aut additione materiæ sub minori, aut majori volumine, & hujus generis sexcenta, quæ quamvis divina potentia fieri posse dicantur, tot sunt miracula, quot sunt actiones, & passiones, & motus, & relationes, quæ circa hostiam consecratam accidere possunt, quum tamen ex D. Thoma nullum sit in conversione Eucharistica ponendum miraculum, nisi quod ad veritatem conversionis panis in corpus Christi necessarium sit, & ex vi verborum consecrationis inducitur.

31. Jam vero pone circa totum locum, in quo erat panis, & in quo corpus Christi præsens constituitur, superficiem aeream, cujus particulæ ita sint a Deo dispositæ, ut eodem modo sensum visus, gustus, tactus &c. percellant, atque afficiant, quo panis, dum erant, particulæ faciebant. An id non facillimum Deo? An non omnes species, & sensibiles qualitates, quæ panis naturam exhibebant sensibus, exhibebunt? An est hic aliquid naturæ repugnans? Vel Sacramento, aut sacrificio indignum? An non sub aereis his formis & Angeli sæpius, & ipse Dominus Angelorum semet, & alia multa humanis sensibus objecit? An non per dies multos Tobiæ Raphael in assumpto aereo corpore ministerium exhibuit, & usque ad finem sæculi, si Deus vellet, Angeli & boni, & mali hominibus se conspiciendos, audiendos &c. præbere potuissent? Ita sensisse videtur Abælardus apud Bernard. in ep. ad Innoc. II. & author Comment. in Bedam, tum Albertus magnus, & alii, quos tacito nomine commemorat Magister, & D. Thomas q. 77. art. 1. qui etiam ibidem quatuor argumentis hunc opinandi modum impugnat. Dicunt quidam, ait, quod accidentia sunt, sicut in subjecto, in aere circumstante. Sed neque hoc esse potest. I. quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. II. quia hujusmodi accidentia non sunt, ubi est aer, quinimo ad motum harum specierum aer depellitur. III. quia accidens non transit de subjecto in subjectum, ut scilicet idem numero accidens, quod prius fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio.

alio. Accidens enim numerum accipit a subjecto: unde non potest fieri, ut idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subjecto. IV. quia quum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria, & aliena.

32. Hæc tamen argumenta, si attentius introspiciantur, rem non conficiunt. Non primum. Nam aer est susceptivus omnium qualitatum, nam & calefieri potest, & frigescere, & rarescere, ac densari, & scindi, & coalescere, & figuram quamque suscipere, & magnitudinem. Item ejus particulæ in quamcumque formam compingi, ut hujus, aut alterius corporis colorem, saporem, odorem, sonitum, aut contactum imitentur. Cur igitur ex eo formari non possit corpus, quod panis effectus omnes, & qualitates exhibeat? Non secundum: Quid enim prohibet, ut aer hic condensatus, & ita configuratus alium aerem minus condensatum loco pellat? Raphael quidem iter faciens aerem depellebat, sed non illum aerem, ex quo apparens ejus corpus compactum erat, sed alium contiguum, sicut vento flante aer aerem depellit, & aqua in flumine aquam loco pellit. Non tertium: Nam si mutato subjecto, mutatur individuatio: ergo sublato omni subjecto, tollitur individuatio, atque adeo albedo, aut quantitas sine ullo prorsus subjecto fient formæ universales, quomodo sæpe argumentatur & quidem urgenter D. Thomas. (*quodlibet. 7. art. 10.*) Nam si abstractio mentalis formarum a materia facit eas universales logicè, quomodo separatio realis, & physica formarum a materia non faciet eas physice, & realiter universales? Deinde: non cogimur dicere manere in Eucharistia eademmet numero accidentia panis, sed eis similia. Quod si aliquando Patres, aut Concilia, aut Theologi dicant manere eadem accidentia, intelligendi sunt, de identitate specifica, non numerica, sicut etiam de identitate vulgari, & morali, non philosophica, sicut dicitur manere eadem manus hominis in vivo, & in mortuo, & eædem cicatrices in corpore Christi in sepulchro, & post resurrectionem, & idem corpus, quamvis tam diversa hæc sint, quam si lignea, aut lapidea facta essent, quod est apud Aristotelem, & ipsum D. Thomam. (*q. 5. & 53.*) Quartum item non urget. Quia quamvis per se non habeat nisi accidentia propria, & suæ naturæ congruentia, tamen motus ab superiori agente aut naturali, aut supernaturali potest cum propriis aliena accidentia induere. Numquid enim calor, aut lux, aut color, aut sonitus sunt propria aeris accidentia? aut quum hæc habet, propria accidentia exuit? Denique: hæc omnia argumenta in corporibus aereis ab Christo, aut Angelis assumptis retorquentur. Item: omnia ad summum procedunt de potentia ordinaria inferiorum agentium, non de virtute divina, aut agentium superiorum, v. g. substantiæ separatæ. Sed in-

instat hic D. Thomas dicens: Nec dici potest, quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia verba consecrantis hoc non significant, quæ tamen nihil efficiunt nisi id, quod significant. Ad hoc tamen dicitur I. multo majus esse miraculum quod accidentia maneant sine subjecto, quam quod maneant in aere ambiente. Quod si illud fit vi consecrationis, etiam istud fieri potest. Item: hoc est unum semel factum miraculum; at conservatio specierum sine subjecto est miraculum omnibus momentis repetitum, quandiu contra propriæ naturæ inclinationem sine subjecto existunt. Item: accidentia sine subjecto non subsistunt vi consecrationis, nam vi conversionis abeunte substantia, etiam accidentia, quæ substantiam comitantur, naturaliter abire deberent, sicut posito vi conversionis corpore, etiam omnia, quæ corpori naturaliter insunt, in Eucharistia ponuntur. Si ergo accidentia remanent, novo miraculo opus est, quod verba non significant. Denique: formatio corporis ex aere ambiente non est miraculum, quamvis sit supra humanam potentiam, quia non est supra vires substantiæ separatæ. Unde non solum boni, sed etiam mali Angeli hoc sciunt, & possunt facere, nimirum aerea corpora assumere, & per ea multo plures operationes, & nobiliores efficere, quam quæ fieri possunt ab aere conformato in similitudinem panis: Vera autem miracula nec ab bonis Angelis propria virtute, quanto minus ab reprobis fieri possunt.

33. Ad id, quod de deceptione dicitur, concedimus non falli sensus, qui de accidentibus judicant sibi notis, neque sensus est de rebus judicare, sed renuntiare modos, quibus ab rebus afficiuntur. (*de Civ. D. lib.* 11. *cap.* 27.) Omnia enim corporalia latentes in natura causas habent, sed formas suas .... sentiendas sensibus præbent. .... Nos autem ea sensu corporis ita capimus, ut de illis non sensu corporis judicare debeamus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem .... (*de ver. Rel. cap.* 33.) Non ergo oculi fallunt. Non enim renuntiare possunt animo, nisi affectionem suam. Quod si & ipsi, & omnes alii sensus ita renuntiant, ut afficiuntur, quid ab iis amplius exigere debeamus, ignoro.... Si quis remum in aqua fractum opinatur, & inde ablatum iterum integrari, non malum habet internuntium, sed malus est judex. Nam si aliud est aer, aliud aqua, non potuit aliter oculus rem illam sentire, nec debuit.... Oculus ergo recte videt, sed animus perverse judicat. Hæc pulchre Augustinus. Igitur sensus odorem, & colorem panis, vel ei similem nuntiat. Quod si mens ex odore, aut colore panem ibi judicat, ipsa fallitur, non sensus, qui eodem modo afficitur, ac si panis ibi esset; at de latente substantia judicare non potest, quum passim rei, quæ non est, odorem, & saporem sentiamus.

34. Alii

34. Alia via Recentiores quidam Philosophi rem eandem explicuerunt. Supponunt hi primum: nullam esse distinctionem inter substantiam corpoream, & ejus magnitudinem. Item: nulla esse accidentia absoluta, sive quæ etiam divinitus separari a subjecto [illegible] possint. Dicunt ergo, abeunte panis substantia, Deum per semet in [illegible] sensibus nostris easdem modificationes, sive impressiones efficere ad [illegible] præsentiam Eucharistiæ, quas antea operabatur panis substantia m[illegible]diis activis qualitatibus. Ita e Minimorum familia Maignanus recent[illegible] or quidam Gallus, & ejus sectator Saguensius in op. cui titulus: a[illegible]ccidentia profligata. Sed hi & in Philosophia multum errant, & in Theologia parum vident. Nam pro una operatione, aut si velint [illegible] miraculo, plura, & innumera ponere coguntur. Siquidem omniu[illegible]n eorum, qui panem consecratum vident, gustant, tangunt, sensus [illegible] Deum immutare necesse est, ut easdem omnes impressiones sentiant, [illegible] atque apprehendant. Quod si immutatio non in singulorum sensibus [illegible], sed in exteriori sensibili ponatur, unica immutatione aeris omnia [illegible] commodissime explicantur, & phenomena, sive species sacramenta[illegible]les, sine ullo prorsus miraculo, quamvis non sine extraordinaria [illegible] Dei, magnum mysterium obvelantis providentia, & operatione, salva [illegible] & captui faciliora redduntur. Sed de hoc iterum. Nunc ad pri[illegible] argumentum satis. Ad secundum respondet D. Thomas, (*q.* 75. *ar*[illegible] *ad* 4.) quod hæc conversio non proprie habet subjectum commu[illegible] quum sit transubstantiatio, sive mutatio totius subjecti in totum, tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquam similitudinem [illegible] jecti, quatenus quæ antea continebant substantiam panis, nunc co[illegible] nent corpus, & sanguinem Christi. Ad tertium dicitur, sublato pa[illegible] etiam accidentia panis tolli: ea enim, quæ remanent, non sunt p[illegible] prie, & philosophice accidentia panis, nam non entis nullæ su[illegible] proprietates; sed dicuntur accidentia panis, quia sunt iis similia, [illegible] eosdem habent effectus, quos haberent activæ qualitates panis, aut [illegible] cut dicitur eadem manus vivi, & mortui, quamvis non solum n[illegible] mero, sed etiam specie differant, tanquam si lignea, aut lapidea f[illegible]cta esset, quod est apud Aristotelem.

35. Argumentum quartum ex ratione depromptum tale est: Nam vinum consecratum, si in magna quantitate assumeretur, calefaceret, atque inebriaret, & panis confortaret, & nutriret; sed nutrimentum non est, quod non potest converti in substantiam aliti; non potest autem accidens converti in substantiam aliti: ergo in pane consecrato aliquid remanet præter mera accidentia; non autem corpus Christi, quod est intransmutabile: ergo. Item: Species Sacramentales, si diu incaute serventur, videntur putrefieri, & pulvescere, & a blattis, aut muribus comedi: comburi etiam possunt, & in cinerem redigi:

ex

ex iis item videmus vermes generari aliquid sed ex meris accidentibus
subjecto existentibus substantiæ aliquid generari non potest:
liquid substantiale est sub Sacramentalibus speciebus; non autem
pus Domini, ut supra ergo &c. Præterea: Species Sacramentales
vidumur, & franguntur, ut passim cernimus: quod autem non franguntur
aut dividitur sensibiliter; corpus est corpus autem non potest
accidentia sine subjecto; subjectum autem hujus argumenti faciunt
corpus, ut nuper ergo &c. Porro in D. Thom. esse Christi
maximam apparere difficultatem fatetur D. Thom. Quidam explicati
xerunt, hominem speciebus sacramentalibus nutriri non posse. Sed enim
argumentatur D. Thomas, q. 77. art. 5. & 6. 4. cont. Gent. cap. 56
si possunt species illæ in vermes, aut cinerem converti, cur non
hominis carnem? Quidam vero dixerunt, accidentia miraculose in substantiam
stantiam converti. Sed hoc esse non potest; nam accidens, & substantia
stantia differunt genere; quæ autem differunt genere, nec divinitus
possunt in se mutuo converti; ut corpus in spiritum, aut verba
circulum, vel albedo in lineam. Tertio alii dixerunt substantiam
nis iterum reproduci, sed hanc positionem falsam esse ostendit
Thomas, quia speciebus Sacramentalibus manentibus, substantia pa
non redit, nam tandiu est ibi corpus Christi: corruptis autem speciebus
ciebus redire non potest; nam substantia panis sine propriis accidentibus
tibus naturaliter esse non potest, neque conveniens videtur, ut
cessatione Sacramenti miracula fiant. Propterea, inquit D. Thomas
melius videtur (quarto) dicendum, quod in ipsa consecratione
tur quantitati dimensivæ panis, & vini miraculose, quod sit pri
subjectum subsequentium formarum; hoc autem est proprium
riæ, & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati omne
quod ad materiam pertinet; unde quicquid posset generari ex
teria, si adesset, totum potest ex ea quantitate generari, non
dem novo miraculo, sed vi miraculi prius facti. Hæc vero o
inquam cum Suario, (in hanc q. dis. 57. sect. 3.) mihi videtur
no falsa, & improbabilis: I. nam vermis ex speciebus Sacramentalibus
bus genitus non esset compositum substantiale, quia non co
materia substantiali. II. quia non esset compositum naturale, quod
raculosum, quum forma ejus esset separata a materia, quod
charistia pro magno miraculo ponitur. III. quia juxta D. Thomam
forma panis quamvis a materia separata remaneret in Eucharistia
quantitate dimensiva panis, esset forma universalis, ergo &c.
vermis sine materia esse ponatur cum sola quantitate, & accidentibus,
cidentibus, forma item universalis erit, intelligibilis actu, aut
deo & intelligens. IV. quia si ex his vermibus, aut cinere
insecta, aut res quæcumque generarentur, & ex iota

quæ ab institutione hujus mysterii in toto mundo transubstantiata est, entia hujusmodi sola quantitate dimensiva, & forma constarent, unde fiet, ut magna pars naturalium rerum nec substantialia erunt, neque accidentalia, sed monstra quædam naturæ, immo nec naturæ, quum miraculose subsisterent. Quod si V. ex hujusmodi entibus triticum fieret, atque ex eo panis, hic consecrari non posset, quia nec verus panis esset, nec totus ille, sed sola ejus quantitas, & forma in carnem Christi converti posset, immo nec quantitas, quæ remanere in Eucharistia deberet. Quod si VI. contingeret, hominem ex solis panibus consecratis vesci; decursu longi temporis [illegible] totum, aut fere totum substantiale corpus amitteret, maneretque anima solam quantitatem informans, & similia monstra, inquit Suarez; facile possunt excogitari, & maximum omnium est dicere, hæc omnia naturaliter sequi ex primo miraculo consecrationis. Necessario ergo dicendum est, concludit idem, in instanti, in quo hujusmodi generationes ex speciebus consecratis fiunt, aliquam veram, & substantialem materiam existere, ex qua fiant.

36. Neque dicas cum Capreolo, (*in 4. d. 12. ad argument. co*... *conclu.*) quem Cajetanus, Sotus, aliique Thomistæ sequuntur, i... quantitatem dimensivam converti in substantiam, & hoc potius ... detur asseruisse D. Thomas (*q. 77. art. 5. ad 3.*) quum ait, q... quantitas dimensiva panis retinet naturam propriam, nimirum a... dentis, & accipit miraculose vim, & proprietatem substantiæ, & ... deo potest transire in utrumque, id est, in substantiam, & in di... sionem, & clarius art. seq. Dictum est, quod species sacramentales sunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur: ... eadem ratione, qua convertuntur in cineres, aut vermes, poss... converti in corpus humanum, atque illud nutrire. Quod idem rep... tit in solut. ad secundum, & tertium, & alibi. Ferrariens. (*in 4. co*... *Gent. cap. 66.*) fatetur, utramque opinionem teneri posse ex mente Thomæ, nimirum vel quantitatem dimensivam in materiam novæ f... mæ converti, vel in ea tanquam in subjecto novam formam suscipi quamvis in suo esse accidentali remaneat. Neuter tamen dicendi mo... dus sustineri potest. Et secundus quidem satis impugnatus manet. Minus autem sustineri potest primus. Magis enim distat accidens ... substantia, quam corpus ab spiritu, quæ in aliquibus univoce conveniunt; nec divinitus autem corpus in spiritum converti potest: ergo &c. II. in primum subjectum nihil converti potest, alias non esset primum; sed materia est primum subjectum: ergo. III. materia non producitur nisi a Deo per creationem; sed creatio non est conversio: ergo nihil materiæ produci potest per conversionem alicujus in ipsam. IV. quod in aliud convertitur, non manet idem in eo, in quod

quod convertitur; sed quantitas dimensiva manet eadem; i...
nam est prima, & naturalis proprietas materiæ, prima autem ...
tas subjecti per suummet subjectum adveniens, corrumpi. no...
ergo quantitas in materiam converti non potest. V. si acc...
substantiam converti potest: ergo & quodlibet in quodlibet...
jus esset miraculum conversio quantitatis dimensivæ in materia...
mis, quam conversio panis in corpus Christi, nam conversio ...
est miraculosa, quanto ejus extrema magis inter se distant; sed ...
nite magis inter se distant substantia, & accidens, quam pani...
caro: ergo &c. Sexcenta ejusmodi argumenta statim cogitanti oc...
rent.

37. Nec felicior est Suarii responsio. Putat enim, ut vidimus, ...
cessariam esse aliquam substantialem materiam, ex qua vermes ...
generentur. Sed unde hæc materia sumitur? Respondet esse eande...
numero materiam, quæ in pane fuerat transubstantiata, quod et...
Alensis, Bonaventura, & Innoc. (*citati apud ips.*) dixisse viden...
Sed hæc panis materia neque in Eucharistia, neque alibi erat in...
rum natura: ergo oportuit eandem numero reproduci. At ma...
nisi per creationem produci non potest; creatio autem fieri ne...
nisi a solo Deo: vermes ergo ex Eucharisticis speciebus generat...
nullo inferiori, & naturali agente producuntur. Nullum enim a...
naturale potuit materiam creare, & multo minus recreare: Nu...
agens naturale potuit in materia a Deo creata in ipsomet ins...
creationis eandem disponere, & formam vermis introducere.

38. Vide igitur in quot, & quanta se conjiciunt angustias a...
res isti, ut unius vermis generationem explicent, vel blatta...
nutritionem ex pane consecrato. Planius ergo, & verius dice...
videtur, per consecrationem panem evanescere, forma ejus subst...
abeunte, & materia in vapores aereos resoluta, cujus particula...
tilissimæ locum, quem panis occupabat, extrinsecus ambiant, ...
figuram &c. panis transmutentur. Inde & homo nutriri & ...
generari, & sensus immutari ab hujusmodi coagulato, &c. in...
aere naturaliter, & sine ullo rationis tormento, & fidei ...
possunt. Tum frangi superficies illa aerea, & scindi, & in...
redigi, omnia denique, quæ circa panem Eucharisticum accidu...
nomena facillime explicari possunt, quæ positis accidentibus...
lo subjecto existentibus nullo rationabili modo explicari ...
Denique etiam illud intelligitur, quomodo in Eucharistia non ...
substantia, nec materia quidem panis, & tamen nec in nihi...
digatur, nec in orbe terrarum sine loco existat, nec in corp...
sti transeat, in quo item explicando Theologorum ingenia ...
quentur. Hujus autem explicationis facilitatem, ac simplici...

gnovit D. Thomas, (*q. 77. cit. art. 5.*) dum ait: Si substantia panis remaneret in hoc Sacramento, aut ejus materia, facile esset assignare, unde aliquid sensibile generari posset. Sed hoc est falsum &c. Falsum est utique, quod in Sacramento remaneat substantia, aut saltem materia panis; at non est falsum, nec fidei contrarium, quod maneat extra Sacramentum in ambiente, & proximo aere, im[illegible]no necessario manet, si nec in nihilum abit, nec transit in corpus Domini. Si ergo nihil adversus fidem Catholicam in nostra explicatione est, si miracula diminuuntur, quæ in alia quavis sententia innumera, & crebriora ponantur necesse est, si phenomena omnia mel[illegible]us, & simplicius explicantur, si plenius, & clarius Sacramentariorum argumenta diluuntur, quare hic opinandi modus admittendus non *erit?* Certe Petrus de Alliaco Card. in 4. Sent. dist. 6. hæc opinio, in[illegible]*quit*, non potest reprobari nec per evidentem rationem, nec per auctoritatem cogentem.

39. Superest, ut rationibus, quibus hanc positionem impugn[illegible] D. Thomas, respondeamus. Sic enim ait: (3. *p. q. 77. art.* 5.) Quidam *di*xerunt, quod ea, quæ ibi generantur, non fiunt ex speciebus sa[illegible]mentalibus, sed ex aere circumstante. Quod quidem multipliciter [illegible]paret esse impossibile. I. quia id, ex quo generatur aliquid, [illegible] alteratum, & corruptum apparet; nulla autem alteratio, vel cor[illegible]ptio apparet in aere circumstante: ergo ex eo vermes, vel cin[illegible] non generantur. Hæc tamen ratio non convincit. Nam quot alte[illegible]tiones fiunt quotidie in aere, & elementis reliquis, vel etiam in c[illegible]sioribus corporibus, immo in proprio nostro corpore, quæ ab in[illegible] sensu non percipimus? Deinde quia in speciebus Eucharisticis a[illegible] hujusmodi vermium productionem, coloris mutationem, & quoddam pulverizationis initium cernimus, vel humiditatem, aut quid simile, unde illas ad corruptionem tendere conjicimus. Distinguit autem [illegible] Thomas species sacramentales ab aere ambiente; sed illæ species n[illegible] nisi ipsemet aer, vel in ipso aere sunt; unde quum species sacramentales alterantur, aut corrumpuntur, quod sensu percipi potest aer est, qui corrumpitur, aut alteratur. In aere autem innumera vagantur rerum omnium, & corporum particulæ, & insectorum semina, & terrea corpuscula, ex quibus condensatis superficies illa coalescit, quæ locum, ubi panis erat, & corpus Christi est, quodam quasi velo circumtegit, atque ambit. Secundo argumentatur D. Thomas, quia natura aeris non est talis, ut ex eo per tales alterationes talia generentur. Nec hæc tamen ratio efficax est. Quamvis enim ex solis aeris particulis, vermis v. g. generari non possit, tamen in aere, uti diximus, innumera innatant, fluitantque terrena corpuscula, & rerum minima semina, quæ vi humiditatis, & caloris conjungi pos-

Numquid naturæ, ut sola quantita...

possunt, & in insectum efformari.
va, aut color, aut figura sunt ejus
ri naturaliter possit? D. Thomas, quia in magna Potest contingere, hos...
40. Tertio opponit D. Thomas, quia in corpore aeris ex aere generari, non es...
secratas comburi, aut putrefieri in corpore aeris ex aere generari; non ...
rem possibile tantum de terreno inspissatione ex supra dictis: ergo. Huic ... nis
gna, & valde sensibili obviam itum est apparens conflata est, sed ex
difficultati jam obviam superficies illa apparens omnigenis. Non enim ex m...
aeris particulis superficies illa, atque omnigenis. Deinde ex magna...
aliis aquosis, ac terreis, atque inspissatione id fieri posse concedit ipse D. T...
condensatione, & determinare possit, quantum aeris, & dictorum
mas. Quis autem volumen in massam aeream compactum sit, quæ sup...
pusculorum volumen panis æqualis appareat? Quarto inquit D. Thom...
ficiei, & crassitiei accidere corporibus circumstantibus, puta ferro,
quia idem posset integra remanent post prædictorum generationem.
lapidibus, quæ ratio convincit stante nostra explicatione. Nam neque
neque hæc ratio convincit massa fieri sine miraculo posset, quæ frang...
ferro, aut lapidibus, quæ tereretur dentibus, quæ sic visum, olfactum,
tur manibus, quæ afficeret, sicut ipsa afficeret substantia panis,
stum, tactumque afficeret Angelis authoribus in aerei corporis massa sine
tamen Deo, aut Angelis authoribus in aerei corporis massa sine
lo miraculo fieri possunt. Nec in ferro, aut lapide naturalium s...
na rerum inveniuntur, quæ fluitant in aere, ut posset esse locu...
neration i insectorum, nutritioni, alterationi, corruptioni & ca...
actionibus, & passionibus, quarum species consecratæ capaces
experientia teste, inveniuntur. Et argumenta quidem ab natura
tione desumpta satis, ut reor, clare soluta sunt.
41. Quæ vero ex Christi, aut aliis Scriptorum sacrorum v...
aut contra dogma ipsum, aut contra allatas probationes afferun...
futilia sunt, & passim trita. In Patribus autem nonnulla sunt
scura, ac difficilia valde, quæ brevi calamo perstringenda su...
enim opponuntur nonnulla loca Tertulliani, quorum tritissimu...
(lib. 4. cont. Marcion. cap. 40.) Acceptum panem . . . corpus su...
cit: hoc est, corpus meum inquiens, id est, figura corporis m...
item, (lib. 1. cont. Marcion.) Christum in pane corpus suum re...
tasse. II. nonnulla Origenis loca, ut quod ait, (in comm. in ...
tom. 1.) cibus, qui verbo Dei, & oratione sanctificatur, se...
materiale quod habet, in ventrem abit, & per secessum em...
nec materia panis, sed sermo Dei prodest. Item corpus illud
cum, & symbolicum vocat. Basilius in Liturgia Eucharistian...
typum vocat corporis, & sanguinis Christi. Similiter typum...
lavit Nazianzenus, (Orat. 11.) & Chrysostomus, (in Ps. 22.)

gustinus: (*cont. Adimant. Manich. cap.* 12.) Non dubitavit Dominus dicere: hoc est corpus meum, quum figuram daret corporis sui .... (*in ps.* 3.) corporis, & sanguinis sui figuram discipulis commendavit, & tradidit. Eucharistiam vocat Ambrosius (5. *de sacr.* cap. 4.) similitudinem pretiosi sanguinis. Et item: Non iste panis qui in ventrem vadit, sed panis vitæ, qui animæ substantiam refici... Theodoretus autem (*dial.* 2.) signa mystica ab sua natura non r... cedere; recederent autem, si substantia panis in corpus Christi conve... *teretur*, ut panis esse desineret. Non ergo ex sententia Patrum ve... *rum*, & naturale Christi corpus; sed ejus figura, & symbolum in Eu...charistia nobis datur. Cyril. Hieros. (*Catech.* 4. *mystagogic. cath.* 3.) ait, panem consecratum non esse nudum panem, sicut chrisma consecratum ...*non est* merum oleum; sed non propterea oleum in substantiam alian... *dicimus* transmutari: ergo nec panem. Innumera sunt his similia ... *quæ* ex Patribus expiscantur Novatores, maxime Petrus Martyr, & ...*Albertinus*, ut antiquam fidem convellant, & sententiam de reali pr...æsentia sæculi decimi obscurissimi, & rudissimi inventum novum fuisse, p...*rsua*deant a Paschasio Radberto, Rabano Mauro, Ratramno Corbejen... , & Joanne Scoto Erigena excogitatum. Secundo item ex antiquæ ... siæ praxi, & disciplina eruere conantur, non eamdem fuisse pri... rum sæculorum, & nostram fidem circa realem præsentiam. I. ... olim Eucharistiam Laici accipiebant nudis manibus, quod ex C... Tolet. I. habetur in cap. Si quis 11. qu. 1. & ex Syn. Trullan. cap. ... & ideo communicaturi apud Augustinum (*lib.* 50. *homilia in* 26. & 252. *de temp.*) lavabant manus. II. Fœminæ apud eundem nitida ... bebant linteamina, ubi corpus Christi exciperent, quæ Domini... dicuntur in Conc. Altisidior. (*cap.* 42.) ibi: unaquæque mulier, c... communicat, Dominicale suum habeat. Non enim licebat fœmin... ut ibidem (*cap.* 36.) dicitur, propria manu Eucharistiam accipe... III. Ad infirmos Eucharistiam Laici etiam pueri deportabant. U... Presbyter ab Serapione vocatus, quum domo exire nequiret, pu... exiguam partem Eucharistiæ dedit jubens, ut eam madefactam in ... senis infunderet, quod puer implevit, ut est ap. Nicephor. (6. *cap.* 6.) Romula item ap. Gregorium (*hom.* 40. *in Evang.*) a Redempt... magistra sua Eucharistiam petiit in mortis articulo, quam illi Re... dempta ministravit. Ex quo patet IV. Eucharistiam apud viros, & fœminas in privatis suis ædibus asservari solitam, quod Tertulliani in 2. ad uxor.; & Cyprian. in lib. de Spectac. testimoniis liquet. In Ægypto etiam, ut ait Basilius, (*Epist. ad Cæsar. Patrit.*) unusquisque de populo habet communionem in domo sua acceptam a Sacerdote communicante, & distribuente. V. Iter agentes, ut Tharcisius apud Bedam, (*in Martyrol.* 18. *K. Sept.*) aut navigantes, ut frater Ambrosii ap.

ap. ipsum (*Orat. funeb. de frat. suo.*) Eucharistiam secum d
VI. in viminea cistula apud Hieron. (*Epist. 4. ad Rustic.*
Eucharisticus, & in vitreo vase Vinum a Presbyteris asser
VII. venienti ad se Episcopo Episcopus salutandi gratia, E
stiam mittebat, quod est apud Eus. lib. 5. hist. Ec. (*cap. 24.*
Eucharistia dabatur infantibus ex Cypr. (*tract. de laps.*) Aug.
de Trin. cap. 10.) & Evagrio, (4. *hist.* cap. 35.) qui etiam
Constantinopoli in more positum fuisse, ut quæ superessent p
culæ, pueris impuberibus Ecclesiæ inservientibus distribuerent
IX. nullæ adhibebantur aut benedictæ, aut distinctæ a profanis
stes, nullæ benedictiones, aut preces præter verba Christi. in Cœ
& Orationem Dominicam, uti scribit Gregorius. (*lib.* 7. *epist.* 6
Hæc autem omnia, & alia, quæ commemorari possent ex anti
multa, non fierent, si verum Christi corpus, & sanguinem in Euc
ristia esse credidissent, sicuti nunc fieri sunt prohibita postquam s
tentia de reali præsentia invaluit: antiqui ergo Christi corpus ver
& naturale in Eucharistia præsens non agnoverunt.

42. His tamen adeo egregie, ac solide responsum est ab Bella
no, & aliis post eum Scholasticis, ac Dogmaticis Theologis, ut
dem diluendis oleum, atque operam perdidisse videamur. Co
enim adductos Patres, quorum pro reali præsentia clariora, &
briora testimonia supra attulimus, non ita esse loquutos, nisi
comparatione ad cruentum sacrificium Crucis, cujus Eucharis
typus, & figura est, quamvis in eo non minus, vere & pr
Christus præsens adsit, ut supra explicatum est. Quod autem T
lianus Christum repræsentari dixit, potius pro nobis facit, na
presentare proprie significat præsens aliquid exhibere, unde id
Baptismo Filium repræsentans: hic est, inquit, Filius meus &
genes autem materiale vocat id, quod exterius apparet sensibu
mirum species sacramentales, quæ corrumpuntur, & in vent
beunt. Similiter Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosii,
gustini verba intelligenda sunt, nec non Theodoreti, qui sig
stica, ait, ab *sua natura* non recedere extrinsecus, quatenus
sus informationem, *nam hostia* consecrata eodem ac prius mo
sus afficit. Quod autem intrinsecus, & invisibili modo panis
tialiter immutetur, ipsemet docet dicens: intelliguntur autem si
quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa
esse creduntur. Cyrillus autem nihil dixit non verum. Nam
ma sanctificatum non est merum oleum, quod sanctificandæ,
borandæ animæ vim nullam habet; non tamen dixit, oleum
ritum Sanctum, cujus virtute sanctificatur, sicut dixit, panem
consecrationis fieri corpus Christi, & vinum ejus sanguinem

oleum sanctificatum novam virtutem acquirit; at panis consecratus non novam solum virtutem, sed novam acquirit substantiam, nec hoc Cyrillus negat, quum illud affirmat. Similis est ad omnia alia, quæ opponi possunt, responsio.

43. Quod autem secundo loco opponebatur de certis ritibus, & consuetudinibus antiquæ Ecclesiæ, quæ parum congruæ, ac decentes videntur, neque cum fide realis præsentiæ componi posse: Hæc, inquam, si attente conspiciantur, non defectui fidei, aut diversitati in credendo, sed primorum Christianorum simplicitati, paupertati, modestiæ, & temporum necessitati tribuenda sunt, quando nec templa habebant, nec vasa, nec apparatum aliquem, qui Paganorum incursibus non paterent, quando ob instantis undique necis timorem opus erat, ut arma spiritualia & navigantes, & iter facientes, & domi clausi ad manum haberent, quapropter & Mariæ Stuardæ Scotorum Reginæ præterito sæculo Eucharistiam secum habere, & propriis eam manibus sumere concessum fuisse, memoriæ proditum est. Adde pro omni externo ritu, & cultu supplevisse egregiam fidem, vivam spem, ferventem charitatem, & pietatem sincerissimam fidelium primitias Spiritus habentium. Adde apud veteres nonnulla ex iis, quæ ... nuntur, non de pane consecrato, sed de pane benedicto, qui ... gia dicebatur, intelligenda. Adde multos ex iis ritibus etiam ... sextum sæculum in usu fuisse, quum tamen Gregorii Magni ... Missam Pontificiam absolutam fuisse, & præsentiæ realis senten... ubique regnasse, iidem fateantur adversarii, paucis exceptis, qu... lam de decimi sæculi innovatione fabulam excogitarunt, qui t... ipsius Paschasii, Rabani, Ratramni, & aliorum ejusdem ætatis s... ptorum lectione, ac testimoniis confutantur. Vid. Natalis Alex. sæcul. X. dissertat. 10., 11., 12., 13., 14.

44. Ex dictis autem multa deducuntur Corollaria. Primum: C... stus sub utraque specie totus est. Nam in Eucharistia alia ponu... vi verborum consecrationis, ut vini sub specie sanguis, & cor... sub specie panis; alia per naturalem concomitantiam, ut supra ... ctum est; sed hæc naturalis concomitantia æque reperitur tam ... sanguine respectu corporis, quam in corpore respectu sanguinis, ... in utroque horum respectu Divinitatis, & animæ, hæc enim omn... in Christo sunt naturaliter, & personaliter conjuncta: ergo ubicun... que ponatur corpus, ponitur sanguis, & anima, ac divinitas, & si... militer ubicumque ponitur sanguis, ponitur corpus, Divinitas, atqu... anima, id est, totus Christus.

co...

COROLLARIUM II.

45. Christus non est in Eucharistia localiter, sive eo modo, quo locatum est in loco. Cum corpore enim Christi ponitur in Eucharistia ejus quantitas dimensiva, quæ naturaliter comitatur, & inhæret substantiæ corporis: corpus ergo Christi naturaliter exigit esse in to eo loco, qui æqualis esset ipsius quantitati dimensivæ, sive magnitudini, nam locus, & locatum æqualia esse oportet, ut dici in 4. Physic.; sed locus, in quo Christus est Sacramentaliter, longe minor magnitudine corporis Christi, ut patet: Christus ergo non est in Eucharistia eo modo, quo corpus locatum est in loco, sive localiter. Quod & ratione confirmat D. Thomas. (q. 76. art. 5. Nam substantia corporis Christi in Eucharistia succedit substantiæ panis: unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subjectum harum dimensionum, sicut erat substantia panis, & ideo substantia panis ratione suarum dimensionum erat ibi localiter, quia comparabatur ad locum mediantibus dimensionibus propriis, sive quæ ipsi naturaliter debebantur; substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus quantitatibus alienis, secundum quas est in l... Est igitur quædam contrapositio: nam magnitudo corporis, seu quantitas dimensiva Christi est ibi, sicut erat substantia panis, & substantia corporis est ibi, sicut erat quantitas dimensiva panis.

COROLLARIUM III.

46. Christus est totus in singulis partibus, etiam divisis, Eu... speciei. (ib. art. 3.) Dictum est enim, Christum esse in ... per modum substantiæ, id est, per modum, quo substantia est sub ... dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est ... modum illum, quo quantitas dimensiva corporis est sub ... dimensiva loci. Natura autem substantiæ tota est in qualibet ... dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte panis est tota ... est tota natura aeris, & sub qualibet ... nis, & hoc indifferenter, sive sint actu indivisæ, & divisibiles ... quum frangitur panis, sive sint actu divisæ ... tia. Corpus igitur Christi, quod comparatur ad ipsas, eo modo, quo substantia panis comparabatur ad ipsas, est ... qualibet parte dimensionum panis, & idem de vino.

COROLLARIUM IV.

47. Corpus Christi est in Eucharistia immobiliter. (*ib.* *art.* 6.) Loquimur autem I. de motu locali, nam de aliis infra dice[illegible]tur. II. loquimur de eo quod est moveri per se, non per accidens, sive ad motum alterius. Quod enim non est in Eucharistia secundum locum, non potest localiter moveri. In eo enim, quod movetur sec[illegible]undum locum per se, oportet, ut parti anteriori corporis respondeat p[illegible]rs anterior loci: oportet ergo, ut diversis partibus corporis respond[illegible]ant diversæ partes loci; sed in Eucharistia diversis partibus corpor[illegible]s, & sanguinis Christi non respondent diversæ partes loci, ut sta[illegible]utum est, nam integre, ac plene est sub quavis parte loci: Christus[illegible] *ergo* in Eucharistia non movetur per se secundum locum. Per ac[illegible]*idens* autem ad motum specierum corpus etiam Domini aut elevatur[illegible], aut deprimitur, aut in sacra pompa circumfertur, quod ab Trid[illegible]tino dictum est. Nam etiam motis nobis, ut in 2. Topicor. dicitur, *mo*ventur ea, quæ sunt in nobis, & mota navi, movetur qui in p[illegible] sedet. Aliter autem motis nobis moventur ea, quæ sunt in nob[illegible] modum corporis contenti sicut sanguis, & viscera, aliter ea, [illegible] sunt in nobis non per modum corporis sicut anima, & cogita[illegible] Ad quem modum reduci debet quod dicitur, Christum moveri [illegible] accidens secundum esse, quod habet in Eucharistia, in qua non [illegible] sicut in loco.

COROLLARIUM V.

48. Corpus Christi in Eucharistia pati non potest, aut ab aliq[illegible] exteriori immutari. Omnis enim passio rei corporeæ incipit a mo[illegible] & contactu corporis, aut agentis immutantis ad rem immutatam, [illegible] patientem. Nam agens, & patiens oportet esse simul, nec potest [illegible]liqua causa corporea agere in distans, quin agat in medium. Corpu[illegible] autem, & sanguis Christi non sunt in Eucharistia nisi mediantibu[illegible] dimensionibus panis, nec sunt ibi modo divisibili, & extenso, u[illegible] supra dictum est; quum autem ab exteriori causa accidentia illa ex[illegible]trinseca corrumpuntur vi agentium naturalium, corpus Christi in Eu[illegible]charistia esse desiuit, & quamvis ibi remaneret, quum sit indivisi[illegible]biliter, & inextense, nullo modo contingi, aut alterari, aut divi[illegible]di, aut immutari posset: est ergo Christus in Eucharistia modo im[illegible]passibili, quod item verum fuit Christo in mortali vita existente. Quamvis enim in nocte Cœnæ Christi corpus passioni, & morti ob[illegible]noxium esset, immo passioni, & morti proximum, tamen sub panis spe-

specie quum corpus suum discipulis dedit, impassibili m... & ita intelligendum reor Hugonem Victorinum, qui donum... bilitatis, ut Scholastici loquuntur, Corpori Christi in Cœna... sum fuisse, docuit. (4. de Sacr. cap. 12.)

COROLLARIUM VI.

49. Christus in Eucharistia nullam vitalem, animalem, aut ... ralem operationem, aut sensationem habet. Sensus enim est po... nata affici, atque immutari ab exteriori sensibili. Sensatio item o... est affectio quædam corporis; sed corpus Christi in Eucharistia nullo exteriori agente affici, aut immutari potest, ut ostensum ... ergo nec videre, aut audire, vel quoquo modo sentire potest. Q... si ab iis, qui minimam immutationem requirunt, longe est, mu... magis ab reliquis vitalibus, & naturalibus operationibus. Hinc vi... est Joanni (*Apoc.* 5.) tanquam agnus occisus. Quod si quando Patr... & Mystici Doctores dicunt, Christum in hoc mysterio videre, audi... &c. intelligendi sunt metaphorice, ut videre, & audire dicant ips... intelligere, & cognoscere, sicut metaphorice dicunt, corpus Chr... dentibus atteri, frangi, conspui, conculcari, comburi, &c.

COROLLARIUM VII.

50. Corpus Christi in Eucharistia (*ib. art.* 7.) nullam rem co... ream afficere, atque immutare potest, atque adeo nec videri, nec ... diri, nec quoquo modo sentiri potest etiam a Beatis. Nam Co... non aliquid in corpora externa facere potest, nisi per suamet a... dentia, seu activas qualitates immutando medium: accidentia au... corporis Christi sunt in Eucharistia mediante substantia, ita c... hujusmodi accidentia non habent immediatam habitudinem nequ... ipsum Sacramentum, nec ad corpora, quæ ipsum circumstant, ... ideo non possunt immutare medium, vel aliquo modo circumst... corpora per suas qualitates afficere, ut videri, aut sentiri po... Secundo item: Quia corpus Christi est in Eucharistia non pe... dum rei locatæ, sed per modum substantiæ, ut dictum est. Su... tia autem quatenus talis, non est visibilis ab oculis corporis ... nec subjacet alicui sensui, nec item Imaginationi, sed solum ... cujus objectum est quidditas, ut est in 3. de Anim. Corpus ... Christi proprie loquendo secundum modum existendi, quem ... in Eucharistia, nec sensu, nec imaginatione percipi potest, e... beatis, qui nihil nisi extensum secundum locum, & coloratu... dere possunt.

COROLLARIUM VIII.

51. Præsentia corporis Christi in Eucharistia nec est circumscriptiva, nec definitiva. Præsentia Circumscriptiva dicitur, per quam res ita est circumscripta ab ambiente loco, ut nulla ejus pars extra locum sit, & ita circumscripta, ut quamvis tota sit in toto loco, non sit tamen tota in quavis parte loci, & hæc præsentia propria corporum est; sed corpus Christi non est ita circumscriptum in hoc loco, ut non alibi existat, nec ita circumscriptum est, ut non sit totum in singulis partibus loci, uti dictum est: præsentia ergo Corporis Christi non est circumscriptiva. Sed nec definitiva. Definitive enim esse in loco dicitur, quod ita est in loco, ut nihil ejus extra hunc locum sit, intra illum tamen eadem in toto, & in singulis est partibus, sicut substantia aquæ contentæ in vase, a vase quidem definita est, quia nihil ejus extra vas est, in vase autem toto, & in singulis ejus partibus aquæ substantia, & natura tota invenitur, & hæc præsentia est propria substantiarum; corpus autem Christi non ita continetur sub his speciebus sacramentalibus, ut alibi extra eas poni non possit, & facto existat: ergo Sacramentalis præsentia non est definitiva, quamvis huic proprius aliquid, quam de circumscriptiva participet.

COROLLARIUM IX.

52. Quidquid sit de potentia Dei absoluta, certum est, præsentiam Sacramentalem ab naturali, & quantitativa pendere ex præsenti providentia, & Christi institutione, atque eam ita necessario præsupponere, ut nisi Christus alicubi naturaliter, & quantitative existeret, in Eucharistia præsens Sacramentaliter esse non posset. Christus enim ut summus novæ legis Sacerdos est, qui panem sanctificat, atque immutat, atque ex eo pane per verba consecrationis corpus suum facit; sed munus summi Sacerdotis competit Christo secundum humanam naturam, ut supra stabilitum est (*lib.* 12. p...) ergo nisi alicubi in propria natura, atque specie humana naturaliter, & quantitative existeret, corpus suum Sacramentaliter præsens ponere non posset, & ejus rei similiter faciendæ discipulis potestatem conferre. Hinc.

CO-

COROLLARIUM X.

53. Quum in triduo mortis anima separata a corpore, C
homo non fuerit, atque adeo neque Sacerdos, certum mihi est,
lo temporis intervallo a morte usque ad resurrectionem Euchar
confici non potuisse ab ullo Apostolorum. Nos enim, inquit Chry-
stomus, (hom. 60. ad pop. Ant.) & alii PP. similia, ministrorum
mus locum, qui vero transmutat, & sanctificat, ipse est....
est illa mensa, & minus habet nihil. Non enim illam Christus, h
autem homo perficit, verum & hanc ipse quoque.... Unde &
Laice, quum Sacerdotem videris offerentem, non Sacerdotem esse
tes facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam quod
concursu Christi ut Sacerdotis physico, actuali intelligendum es
late explicat, & probat Suarius ipse disp. 57. sect. 1. Sed mini
rialis, & vicaria causa nihil facere potest, cessante motu, & ac
ne principalis agentis: ergo cessante Christi ut hominis operatio
uti cessavit in triduo mortis, nullus inferior Sacerdos Eucharis
conficere potuisset. Sed dices, etiam in baptismo, & reliquis
cramentis homines Christi ministri sunt, quorum ministerio
stus baptizare, & nos ungere dicitur, unde illud Augustini: (
6. in Joann.) Petrus baptizet, hic est qui baptizat, Judas
zet, hic est qui baptizat, & tamen si in triduo mortis qui
ptizasset, baptismus erat verus, & ratus: ergo etiam Panis D.
duo mortis consecratus erat verum corpus Christi. Item in
mas, (3. p. q. 81. art. 4.) & Theologi passim docent, si ut
mortis aliquis Apostolorum consecrasset, futurum fuisse, I
sub specie Panis sine sanguine, & sine anima poneretur.
men nihil obstant. Non enim eodem modo Sacerdos est mini
ptismi, & Consecrationis. Baptizat enim nomine proprio dic
go te baptizo, quamvis efficaciam, & virtutem non ipse trib
ptismo, sed Christus & in hoc sensu dixit Augustinus Chris
ptizare in omnibus baptizantibus; quoniam eorum actioni D
tiam sanctificationis alligavit. Actio igitur baptizandi est propria actio
nistri, licet sanctificatio per eam actionem significata sit
meritis, & passione Christi; at in consecratione Sacerdos tanqu
ratur nomine proprio, sed verbis, & nomine Christi
mi operantis, cujus actionem invisibilem ipse repræsentat qua
ptismus effectum suum sortiri potest in virtute Christi, s
non existeret; at consecratio, per quam Christus æternum
cerdotium exercet, necessario Christi ipsius primi, & summi
tis existentiam, & actionem supponit. Nam quomodo esset

in æternum Christus, si nihil haberet ultra quod Deo offerret? Ubi autem offert, & immolat nisi in Altari? Est item aliud discrimen: Nam Christus est author aliorum Sacramentorum secundum [illegible] divinam naturam, ut Deus enim est author gratiæ; at Eucharistiæ, [illegible] quæ non solum sacramentum, ut infra, (*lib.* 15. *prop.* 6.) sed etiam sacrificium est, author est Christus secundum munus Sacerdotis, quod [illegible] sine humana natura esse non posset. Christus vero ut Deus sempe[r] [illegible] *extitit*, & ideo sicut efficaciam aliquam tribuit veteribus sacrame[n]tis *ante* Incarnationem, ita & novis post mortem. At Christi hum[anitas] *in* triduo mortis non fuit, unde & ejus Sacerdotium tantisper [illegible] cessavit quoad immolationem hostiæ incruentæ, ut infra dicetur. Loca [illegible] *autem* D. Thomæ, & similes loquutiones Theologorum non sunt a[d] [illegible] *rem*. Ita enim loquuntur ad distinguendum id, quod ponitur vi *verbo*rum, ab eo, quod ponitur per concomitantiam. Si enim cor[pus es]set separatum ab anima, non poneretur anima vi verborum sub specie panis. At item dici potest: Si corpus esset separatum a Divinitate, non poneretur ibidem vi verborum Divinitas. Admissa [illegible] *igitur* hypothesi possibili, aut etiam impossibili, naturæ rerum, & [illegible] cum aliis connexio disquiritur, quin conditionis possibilitas, a [illegible] possibilitas inde eruatur. Dicimus enim: Si Spiritus Sanctus non [illegible] cederet a Filio, ab eo non distingueretur, & hujusmodi sexc[illegible] Hæc igitur hypothetica: si in triduo mortis Apostoli consecra[illegible] ibi poneretur corpus, & non anima, hunc sensum habet: Si c[illegible] esset separatum ab anima, sicut fuit in triduo mortis, poneret[ur vi] verborum consecrationis corpus, & non anima. Hinc autem no[illegible] fertur, potuisse Apostolos in triduo mortis Eucharistiam conficer[e].

53. Quod etiam confirmatur solidissimo argumento. Nam com[me]moratio, aut significatio rei alicujus non instituitur, aut fit pro tempore, pro quo res ipsa figurata, aut significata præsens es[t] [illegible] propria natura, & substantia; sed sacrificium incruentum institu[tum] est in commemorationem, & repræsentationem sacrificii cruenti, q[uod] Christus in Cruce obtulit: ergo præsente victima illa cruenta, q[uæ] in Cruce oblata fuerat, non decuit, nec potuit in ejus commemor[a]tionem, & repræsentationem incruentum sacrificium celebrari. In [e]jus rei confirmationem etiam nunc in tribus diebus ante Pascha, quu[m] passio, & mors Domini veluti præsens colitur, incruentum sacrificium in Ecclesia non celebratur, quam Ecclesiæ consuetudinem e[x] Apostolica institutione descendere habetur in cap. Sabbatho de consecr. dist. 3. ex Innoc. I. in Ep. ad Decent. ibi: Adeo non est dubium Apostolos eo biduo jejunasse, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Cur autem Ecclesia ab Apostolis edocta in anniversario passionis, & mortis Christi Eucharistiam confici

fici prohibuisset, si ipsis Apostolis in illo vero triduo mortis ipsa
cere licuisset? Addo, non solum [illegible] corporali, sed nec [illegible] totis
ginta diebus, quibus Christus præsentia corporali cum discipulis
resurrectionem conversatus est, potuisse Apostolos consecrare, C[illegible]
non consecrante; propter rationem datam; quia nimirum nisi Ch[illegible]
operante) operari non poterant, & Christo corporaliter præsente,
erat locus mysticæ commemorationi, ac repræsentationi mortis ips[illegible]
quamvis contrarium scripserit Raimundus paradoxorum assertor eg[illegible]
gius lib. de prim. Mis. sect. 1. (cap. 2.) Addo item, neque post Asc[illegible]
sionem Domini Apostolos Missam ullam celebrasse. Nam Luc. A[illegible]
1. ante descriptum Sp. Sancti adventum Apostolos, ait, fuisse perse[illegible]
rantes unanimiter in oratione, & obsecratione; at post Spiritus Sa[illegible]
cti adventum eos, ait, fuisse perseverantes in communicatione fracti[illegible]
nis panis, & orationibus, quia nimirum ante Pentecosten nondu[illegible]
erat usus Sacrificii, & Communionis. Cujus ratio est; quia usus S[illegible]
cerdotii cum usu Legis conjunctus est: Lex autem nova promulga[illegible]
solenniter non fuit, nisi per Spiritus Sancti adventum, ut tene[illegible]
communiter melioris notæ Theologi: ergo ante Spiritus Sancti adv[illegible]
tum novo Sacrificio Apostoli uti non debuerunt. Hinc Hesych[illegible]
(in 9. Levit.) novum sacrificium, inquit, cœpisse ab Apostolis c[illegible]
brari ex quo Spiritus Sanctus adveniens .... omnium gentium conso[illegible]
mitias ad Apostolorum Cœnaculi superiora collegit. Cui [illegible] 21. [illegible]
Paschasius Radbertus in lib. de Corp. & Sang. Domini (cap. [illegible] Sa[illegible]
quo, inquit, renovati sunt Apostoli per adventum Spiritus [illegible] Ec[illegible]
& inebriati musto charitatis.... credimus hunc calicem [illegible] in or[illegible]
consecratum, quoniam ille Spiritus veritatis induxit eos [illegible] ultimæ [illegible]
veritatem, & in omnem plenitudinem doctrinæ. Hujus [illegible] (ca[illegible]
tionis fundamenta debemus Bonæ Card. Rer. Liturgic. lib. [illegible] ten[illegible]
Porro Apostolos in triduo mortis consecrare non potuisse [illegible] Led[illegible]
tiquitus author Gloss. in cap. Timorem de Cons. dist. 2. & Cien[illegible]
pud Suarez, Novissime autem in tract. de vit. abscond. Card. [illegible] nostra[illegible]
Suarius in 3. p. D. Thom. q. 75. disp. 48. section. 2. hanc [illegible] cont[illegible]
tentiam falsam vocat, & communi Theologorum doctrinæ [illegible]
Diluit autem rationes quasdam invalidas, quibus Glossa [illegible] al[illegible]
mius ad id probandum utuntur; rationes autem a nobis [illegible] confirmandam [illegible]
attingit quidem: Quas vero ipse pro suæ sententiæ confirmatione [illegible] Nam [illegible]
ducit, futiles sunt. Nam I. inquit, in Apostolis erat character [illegible]
dotalis, & potestas consecrandi. Sed hæc ratio nulla est [illegible]
est in dormientibus, & amentibus. Potest autem esse cara[illegible]
testas, & impediri ejus usus. Verba, inquit, erant per se effica[illegible]
sicut nunc sunt. Sed verba non habebant, aut habent [illegible] &c [illegible]
persona proferentis, sed ex persona ejus, cujus nomine [illegible]

proferuntur, qui tunc nusquam erat. Sed Christus, inquit [illegible] erat sufficiens instrumentum Divinitati conjunctum, per quod Deus Verbum operaretur. Sed ubi erat Christus? Nam neque Verbum u[illegible]atum corpori, neque Verbum unitum animæ, Christus, id est, De[illegible]s homo dici potest. Hinc quamvis Deus Verbum corpus sibi unitu[illegible] sub panis speciebus ad vocem Apostolorum constituere posset, [illegible] quis enim hoc negaverit?) at ea non esset actio Christi: non e[illegible]set actio Dei, atque hominis, atque adeo nec Sacerdotis, atque adeo nec sacrificium: ergo quum ex institutione Christi hoc Sacramen[illegible]um non conficiatur nisi per modum sacrificii, non potuissent Aposto[illegible] in triduo illo Eucharistiam consecrare, quod erat &c.

COROLLARIUM XI.

55. Corpus Christi præter Eucharistiam nusquam in terris [illegible]st. Id contra Recentiores Ubiquistas probatum est alibi, (*lib.* 10. *pr*[illegible]. 15.) quum de Christo disseruimus.

COROLLARIUM XII.

56. Eucharistia adoranda est. In ea enim Christus totus con[illegible] tur, verus Deus. Quamvis autem, quod est ap. Bonav., (*in* 3. [illegible] *art.* 1. *q.* 1.) omnis fidelis recte adorans hostiam consecratam, a[illegible] sub ea conditione, si perfecta fuerint circa ipsam omnia, q[illegible] consecrationem necessaria sunt ex institutione Christi; tamen, [illegible] chardus explicat, (*in* 3. *dis.* 24. *q.* 4.) non opus est, neque item [illegible] pedit, ut fideles hanc conditionem adhibeant explicite in actuali [illegible] gitatione, quod item docuit D. Thomas in 3. sent. (*dist.* 9. *q.* 1. [illegible])

SCHOLION.

57. Multas hic quæstiones agitare solent Scholastici, Recentio[illegible] præsertim, qui ut Vasquius ait, (3.*p.q.*75.*disp.*181.*c.*1.) dum subtilib[illegible] speculationibus rimari omnia, ac de singulis omnia dubia, quæ sibi so[illegible] occurrunt, prescrutantur, quo magis ab iis se extricare conati sun[illegible] eo majoribus difficultatibus se implicant. Ex quo etiam effectum es[illegible] inquit, ut mysterium fidei nostræ non modo ad explicandum diffic[illegible] lius, sed etiam adversariorum nostrorum cavillationibus, & argutii[illegible] magis fuerit expositum. Nimirum in omnibus, sed maxime in rebu[illegible] ad fidem spectantibus, Pauli sententia (*Rom.* 12.) valet: Non plu[illegible] sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Mysterium enim

enim fidei, quod est ap. Magistrum credi salubriter potest
gari salubriter non potest.

PROPOSITIO IV.

Sacrificii Eucharistici ratio stat in oblatione, consecratione, & consumptione utriusque speciei.

1. Porro si JESUS Christus Dominus noster ipse summus Sacerdos Dei Patris est, & primus se ipsum in Sacrificium obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdo
bene fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & sacrifici
verum, ac plenum tunc in Ecclesia offeret, si secun
dum quod ipsum viderit obtulisse. Regula Cypriani est (ep. 63
Christus autem in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixi
ac fregit, dedidque discipulis suis dicens; accipite & manducate: h
est enim Corpus meum. Docti igitur sacris institutis in Missa P
mum naturalem panem, & vinum Deo bonorum omnium authori
ferimus ante consecrationem. Deinde panem, & vinum oblatum
bis Christi consecramus. Tum panem consecratum, jam non pane
sed Christi corpus effectum, iterum Deo offerimus, nostræ Red
ptionis mysteria recolentes: deinde hostiam frangimus, & ejus
ticulam in calicem immittimus: postremo oblatum panem, & vi
consumimus, & circumstantibus id poscentibus distribuimus. Ex
ergo quinque præcipuis Sacerdotis actionibus, quænam præ cæ
an omnes ad Essentiam sacrificii pertineant, quærunt hæretici,
sacrificii rationem in Eucharistia negantes. Mentem autem nos
quam Ecclesiæ esse putamus, diversis assertionibus aperiemus.
cendum est enim I. oblationem panis, & vini ante consecrat
non esse quidem de essentia sacrificii, esse tamen de illius i
tate, velut sacrificii præparatoriam. Christus enim accept
benedixit, ut apud Mathæum (cap. 26.) dicitur, gratias agens
nihil fuit aliud, quam verbis, aut signo aliquo externo
offerre, ac dicare, seu præparare, ac sanctificare. Unde
Liturgiis dicitur gratias agens sanctificavit, seu benedixit
autem legitur, Dominum gratias egisse primum Patri, nisi
gnum aliquid, & mirabile facturus erat, uti quum quinque
multiplicavit Joan. 6., & quum alios septem Math. 15., & qu
zarum resuscitavit Joan. 11., & quum Eucharistiam instituit
nunquam legitur, rem inanimem prius benedixisse, nisi qu
gnum aliquid circa eam erat operaturus, ut quum panes mu
vit Marc. 8., & Luc. 9., & quum Eucharistiam instituit

Benedictio autem Christi, non deprecatio, sicut nostra, sed effectio est, & benedicere Dei, est benefacere. Quum ergo panem in carnem suam mutandum benedixit, & gratias agens fregit, saltem illum Deo Patri obtulit, ac per hunc modum sanctificavit, ac præparavit, ut in suum corpus vertendum esset. Hoc etiam in Missa imitamur dicentes: Suscipe sancte Pater .... hanc immaculatam hostiam .... Veni sanctificator &c. & benedic hoc sacrificium, quod tuo sancto nomini præparatur. Ex quo patet, non per hanc oblationem sacrificium fieri, sed per eam materiam consecrandam præparari. Neque in hoc Catholicos Theologos dissidentes invenio.

2. Dicendum II. consecrationem, seu conversionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi esse de essentia Sacrificii. Assertio hæc in omnibus præcedentibus propositionibus satis est probata. Clamant enim Concilia, Patres, Theologi, & universa consentit Ecclesia, corpus, & sanguinem Christi Deo Patri in Missa offerri, immolari, mactari &c. esse victimam, esse hostiam &c. victima autem est de intrinseca ratione sacrificii; corpus autem Christi non est victima, nisi per consecrationem, & repræsentatio Dominicæ passionis per ipsammet consecrationem agitur, ut D. Thomas docet. (*q.* 73. *art.* 1. *&* *q.* 80. *&* 82.). Nam id fit in recordationem Domini, quod tunc (in Cœna) factum est; sed in Cœna Dominus corpus suum in Eucharistia posuit: igitur & nos quum sacrificamus, illam nunc quoque offerimus hostiam, quæ tunc oblata fuit, & non aliam, sicut Hebræorum Pontifices, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ, & sacrificii facimus recordationem, quæ sunt verba Chrysostomi: (*homil.* 17. *in epist. ad Hebræ.*) recordationem autem non nudam, inquit Tridentinum, (*can.* 3. *sess.* 22.) aut consistentem, ait Perronius Card. (*Oeuvres divers.*) in sola operatione ejus facultatis animæ, quæ memoria dicitur, qualis item est, atque excitatur in nobis, quum flagellati, aut crucifixi Domini imaginem contemplamur, sed consistentem in sensibili actione aliqua, & externa sacrificii imitativa, repræsentativa, & commemorativa oblationis illius, per quam Christus in Cruce semetipsum obtulit immaculatum Deo .... Quotidiana itaque Ecclesiæ oblatio & veritatem continet, & imaginem sacrificii Crucis: veritatem quidem quantum ad substantiam victimæ, quæ est ipsum corpus, & sanguis Christi; imaginem autem quantum ad actum immolationis, quæ ibi cruenta fuit; hic mystica solum & incruenta. Ad sacrificium enim commemorativum, quod vere, & proprie sacrificium sit, non satis est, si solum sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo in se continens rem eamdem, cujus mors repræsentatur. Sic enim non diceretur res ipsa, cujus mors repræsentatur, in sacrificium offerri, atque adeo neque verum sacrificium, sed

sed signum tantum esset, aut larva sacrificii.... Nam quo pacto vere, & reipsa in sacrificium offerri dici potest id, circa quod actio Sacerdotis offerentis non reipsa, sed tantum in similitudine quadam, aut figura versatur? Cæterum quum ipsemet Christus sit sub speciebus panis, & vini, & circa illum actio Sacerdotis offerentis ita versetur, ut ipsemet per species panis, & vini, ex peculiari modo, quo a Sacerdote consecratur, repræsentet cruentam, & realem mortem sui ipsius, & ea repræsentatione denotet Deum authorem vitæ, & mortis, quamvis non dicatur reipsa vere, sed in sola figura, & similitudine occidi, & mori, tamen vere, & reipsa immolari dicitur, & in sacrificium offerri. Verba sunt Vasquezii in 3. p. disp. 222. (cap. 8.) Sacrificium autem dici consuevit quum res immolata, tum immolatio ipsa, sive actio immolativa. Igitur quod attinet ad rem immolatam, nimirum corpus, & sanguis Domini, sacrificium Altaris non est figura, aut symbolum Sacrificii Crucis; quod attinet vero ad actionem immolativam, seu modum offerendi, qui diversus est, sacrificium incruentum Altaris sacrificii cruenti commemoratio solum, & repræsentatio symbolica est.

3. Ex dictis patet quomodo intelligenda sit nonnullorum opinio dicentium, sacrificii rationem ab corporali Christi præsentia non pendere, unde sequitur, inquit Couraier. in Apol. pro Angliæ Episcopis, Anglos, qui admittunt uti nos oblationem, & commemorationem cruenti sacrificii, idem, quod & nos sacrificium admittere, quamvis realem Christi præsentiam in Eucharistia non admittant. Hic tamen author vel sibimet contradicit, vel non de eodem in individuo, sed de eodem in genere sacrificio loquitur. Ipse enim in ep. ad Archiep. Paris. Profiteor, inquit, cum tota antiquitate, non solùm Eucharistiam esse verum sacrificium, sed etiam J. C. realiter præsentem sub mortis symbolis, & figura offerri, nec futurum esse idem sacrificium, quod in nostris altaribus offertur, si JESUS Christus ibidem non esset realiter præsens. Quum ergo ait, Anglos, quamvis Christi realem præsentiam respuant, veram tamen rationem sacrificii admittere, vel loquitur de sacrificio repræsentativo in genere, de cujus ratione non est realis præsentia rei immolatæ, vel dicit futurum fuisse idem Altaris sacrificium, quod Ecclesia celebrat, etiam si Christus non esset realiter præsens, cujus contradictorium alibi supra citatus dixerat. Fatemur enim & nos, potuisse Christum instituere aliquod sacrificium commemorativum, & repræsentativum Crucis, quin ipse præsens sub symbolis poneretur. Unde præsentia Christi non est de ratione sacrificii figurativi ut sic, & in hoc vere, & recte loquitur Apologiæ Scriptor. Dicimus tamen, præsentiam Christi esse de ratione hujus sacrificii, quod Christus de facto instituit, & Ecclesia celebrat: ergo si An-

Angli commemorationem, & figuram sacrificii cruenti Eucharistiam esse fatentur, & realem Christi præsentiam negant, habebunt quidem sacrificium typicum, & figurativum, sed non idem, quod Christus instituit, & quod in nostris altaribus celebratur. Itaque Gallus ille non tam malus Catholicus habendus est, quod contendit Tournelius, (*q.* 8. *art.* 2. *&* 3. *de Euchar.*) quam malus Logicus, qui rationem generis ab speciei ratione non distinxit, quod recentiorum Gallorum commune vitium est.

4. Dicendum III. oblationem, quæ immediate sequitur consecrationem, esse de ratione sacrificii Eucharistici. Probatur: Nam per omne sacrificium aliquid offertur Deo, unde communiter dicitur ab Theologis cum D. Thoma (2. 2. *q.* 85. *art.* 3. *ad* 4.) oblationem latius patere quam sacrificium, nam omne sacrificium oblatio est, non vero omnis oblatio est sacrificium. Oblatio igitur est de natura, & ratione sacrificii; sed non ea, quæ fit ante consecrationem, nam ea non versatur circa materiam proximam sacrificii, sed circa materiam remotam, nimirum panem, & vinum naturale: ergo ea, quæ fit post consecrationem. Contrariam tamen sententiam tenet Bellarminus, (*lib.* 1. *de Miss. cap.* 27.) cujus fundamenta tamen infra evertentur.

5. Dicendum IV. fractionem hostiæ, aut ejus commixtionem cum Calice non esse de ratione sacrificii. Hæ enim actiones, inquit D. Thomas, (*q.* 81. *art.* 6.) solum significant corpus mysticum.... Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut-pro-
pter hoc sit necessarium aliquid reiterari. Quamvis enim Christus pa-
nem fregerit, id non alicujus mysterii significandi gratia, sed ob di-
stribuendi commoditatem fecit.

6. Dicendum V. (3. *p. q.* 82. *art.* 4.) sumptionem ipsiusmet Sacer-
dotis celebrantis esse de essentia, sive intrinseca natura sacrificii Eu-
charistici. Probatur I. Ex Concilio Toletano, cujus decretum habetur
in cap. Relatum de Cons. dist. 2. ubi reprehenduntur Sacerdotes, qui
quum multa sacrificia in die celebrarent, in sola tamen extrema sa-
crificii parte sanctæ communionis gratiam sumebant, quasi, ait, non
sit toties illi vere, & singulari sacrificio communicandum, quoties
immolatio facta constiterit. Nam quale erit sacrificium, cujus nec ipse
sacrificans particeps esse dignoscitur? Ex quibus verbis patet, id Con-
cilium reprehendisse, quoniam putavit consumptionem illam esse de
intrinseca ratione sacrificii. Et confirmari potest ex doctrina D. Thom.
ajentis Sacerdotem omnium adstantium nomine sacrificium offerre, &
sumere; sed quod sacerdos agit nomine adstantium, sive tanquam
publicus Ecclesiæ minister est de natura, & ratione sacrificii, nam
quæ privata sunt sacerdotis, ex ejus arbitrio, ac merito, seu dispo-
sitione pendent: ergo &c. II. Quod non est de Essentia, & natura sa-
cri-

crificii, si prætermittatur, non est aut per se, aut multo minus per alium supplendum; sed si Sacerdos sacrificans non consumat, jubetur, aut novas species consecrare, si possit, aut si ipse non possit, alius jubetur Sacerdos species consecratas consumere, & inchoatum sacrificium perficere, ut ex doctrina Ecclesiæ docet D. Thomas, (*ib. art. 6. ad 3.*) & totius orbis Christiani praxis concordat: ergo quia sumptione prætermissa, sacrificium plenum, & perfectum non esse, semper Ecclesia existimavit. III. Nam in eo sacrificium a mera oblatione differt, quod sacrificium aliquam rei oblatæ physicam destructionem, aut immutationem importat, quam mera oblatio non exigit. Sacrificium enim proprie dicitur, (2. 2. q. 85. *art.* 3.) quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & benedicitur, & comeditur, & hoc ipsum nomen sonat. Nam sacrificare, est aliquid sacrum circa rem facere. Oblatio autem dicitur, quum Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, etiam si nihil circa ipsos fiat. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non contra; sed in tota actione Missæ, inquit Bellarminus, (*lib. cit. cap. ult.*) nulla est alia realis destructio victimæ, aut immutatio præter istam: nam per consecrationem non consumitur victima, sed ponitur. Respondet Suarezius: (*q. 83. in 3. p. disp. 65. sect.* 5.) hoc esse proprium hujus sacrificii, & singulare, quod non est ad destruendum, sed ad efficiendum. Sed si hoc ita est: ergo Eucharistiæ non convenit definitio sacrificii ab ipso tradita, (*disp. 73. sect. 6.*) ut sit oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum legitime institutum divinæ excellentiæ. Dices, fieri immutationem in pane, & vino; sed hæc nec est sensibilis, aut externa, nec est sufficiens; non enim panis, & vinum, sed corpus, & sanguis Christi sub eorum speciebus est res in Eucharistia oblata. Dices, fieri circa corpus Christi immutationem aliquam realem, quia novam præsentiam acquirit. Verum per hanc acquisitionem victima præsens ponitur immolanda, non immolatur. Dices, fieri immolationem mysticam, & symbolicam, quatenus vi verborum seorsum corpus ab sanguine ponitur: ergo erit sacrificium mere typicum, & symbolicum, nam qualis immolatio, aut mactatio, aut immutatio victimæ, tale sacrificium est. Verum hæc omnia ex oppositorum solutione magis elucescent.

7. Dicendum VI. neque necessitate sacrificii, neque necessitate divini præcepti necessarium est, ut omnes, aut aliqui præter Sacerdotem de oblatis participent. Prima pars probatur. Nam consumptio victimæ est actio propria Sacerdotis, sicut oblatio, & consecratio; sed ad naturam sacrificii non pertinet, nisi quod est actio propria Sa-

Sacerdotis, qua talis; ergo consumptio victimæ ab alio quam ab offerente non est de natura, & essentia sacrificii: ergo sicut Sacerdos unus nomine adstantium, immo totius Ecclesiæ offert, ita nomine totius Ecclesiæ victimam oblatam consumit: non igitur adstantium omnium consumptio, aut aliquorum necessaria est, sicut non est necessaria singulorum oblatio, aut consecratio. Item II. Sacrificium ex sua natura est oblatio facta Deo &c. ut supra; (*lib.* 6 *prop.* 14.) sed oblatio ex sua natura non exigit, ut ab uno fiat, vel a pluribus: ergo &c. III. In Concilio Nannetensi (*can.* 30.) reprehendentur Presbyteri, qui Missam soli celebrabant, & in Toletano (*can.* 9.) Clerici, qui quum plures Missas celebrassent, solum in extrema Missa communicabant; sed in hujusmodi Missis nullus communicabat: ergo non ignotæ fuerunt antiquitati ante annos 1300. Missæ, in quibus adstantes nulli communicarent. Ita argumentatur Bellarminus, (1. *Miss. cap.* 27.) sed hæc ratio non videtur efficax. Dici enim quis potest, Missas illas imperfectas, & inanes fuisse, nec verum in illis sacrificium peractum, quod de Missis, in quibus nec ipse Sacerdos communicabat, certissimum est. Sed de Conc. Nannetens. id gratis diceretur. Non enim Concilium indicat solitariam Missam verum, & proprium sacrificium non fuisse, sed deinceps non fieri, prohibet. Nec ex Conc. Toletano deductum argumentum elumbe est. Nam quale, inquit Concilium, sacrificium est, in quo nec ipse sacerdos particeps esse dignoscitur? Supponit ergo verum esse sacrificium illud, in quo saltem ipse sacrificans de altari participat. Unde solum jubet, ut quotiescumque Sacerdos corpus Christi immolat, toties perceptionis participem se præbeat. IV. Si Eucharistiæ participatio ab alio, quam ab offerente esset de ratione sacrificii, ejus distributio ad solos Sacerdotes spectasset; sed dispensatio Dominici corporis, & sanguinis aliquando fiebat per Diaconos, ut patet ex Actis Martyrii S. Laurentii: ergo Eucharistiæ distributio non est actio ad naturam, & rationem sacrificii spectans. V. Antiquitus, quamvis rarissimi, nonnulli tamen ordinabantur sine adscriptione ad certam Ecclesiam, atque adeo sine ulla cura animarum, quod de se ipso scribit Paulinus; (*ep.* 6. *ad Sev.*) sed hi Presbyteri nulli Sacramenta ministrare poterant, & tamen sacrificabant: ergo sacrificium ab Sacramenti administratione, atque adeo ab adstantium participatione non pendet. Ex dictis patet secunda pars.

3. Dicendum VII. verbum illud: *utriusque speciei* in assertione positum, ad omnes illas actiones esse referendum, id est, utramque speciem offerri, utramque consecrari, & utramque sumi oportere, ut integrum, atque perfectum sit sacrificium. Ratio autem est, quam D. Thomas tetigit. (*locis cit. q.* 80. & 83.) Nam sacrificium Altaris, & ve-

verum est sacrificium, quatenus per illud verum corpus, & sanguis Christi Deo Patri offertur, sicut ipse Dominus obtulit, & typicum, aut symbolicum est sacrificium, quatenus per illud figuratur cruenta immolatio Crucis: igitur ad naturam sacrificii hujus pertinet tam illud, quod requiritur ad rationem veri sacrificii, quam illud quod requiritur ad mysticam significationem illius. Est autem Eucharistia sacrificium unum, non unitate indivisibilitatis, sed unitate ordinis & aggregationis, sicut unum artefactum ex diversis partibus compositum, quod etiam D. Thomas docuit. (*3. p. q. 73. art. 2.*) Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, & *datur per modum cibi*, & potus, ex quibus una hominis refectio *coalescit. In toto* autem eterogeneo, sive ex partibus dissimilibus composito unamquamque partem per se disponi oportet, ut in aliarum compositionem veniat, maxime si unaquæque ab ordine suo naturali extrahatur, & in alium superiorem elevetur. Necesse est igitur utramque speciem (sive simul, sive seorsim) offerri, & utramque consumi; quum sine his veri, & proprii sacrificii ratio stare non possit. Item sacrificium non esset quale Christus instituit, nisi verum ibi poneretur corpus ejus, quod fit per consecrationem: consecratio igitur utriusque speciei ad sacrificium Eucharisticum est omnino necessaria. Rursum: quamvis per consecrationem, oblationem, & sumptionem compleretur, & perficeretur sacrificium, non tamen esset memoriale passionis, & figura cruenti sacrificii, nisi seorsim, & sub diversis symbolis ponerentur corpus, & sanguis. Significatur enim, hæc in morte Domini separatæ fuisse, quamvis de facto in eo, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, conjuncta sint.

9. Contra prædicta tamen multa opponuntur quum ab Hæreticis, tum ab ipsis Catholicis, quorum non una in his omnibus opinio est. Et circa primum quidem de oblatione panis, & vini ante consecrationem nulla esse videtur difficultas: Quamvis enim panis ipse naturalis, & vinum proprie Deo offerantur ante consecrationem, & etiam post consecrationem species panis, & vini quoquo modo ad rem sacrificatam pertinere videantur, quod Bellarminus dixit; (*loc. cit.*) pertinent tamen in primo quidem naturali statu tanquam materia remota. Ex quo per anticipationem jam in ipsa oblatione dicitur hostia immaculata, & calix salutaris, quo item sensu Cyprianus: (*serm. de Eleemos. & lib. 2. Epist. 3.*) in Dominicum sine sacrificio venis, id est, sine pane, & vino, quæ ad sacrificium offeras. Post conversionem autem pertinent quum ad naturam Sacramenti ut infra, tum etiam ad naturam sacrificii non ex parte rei sacrificatæ, sed ex parte modi sacrificandi symbolici, & incruenti. Suarius (*in 3. p. q. 83. disp. 75. sect. 1.*) id ipsum explicuit dicens, species intrinsece pertinere ad rem obla-

oblatam in hoc sacrificio, ita ut res oblata per modum termini non sit tantum Christus nude sumptus, sed simul cum speciebus, quatenus cum ipsis unum compositum sacramentale constituit. Ista tamen, inquit Petrus de Marca, (*diss. posth. de Sacrifi.*) quæ quibusdam durior videtur sententia, ita temperari potest, ut dicatur rem oblatam primario, & principaliter (immo unice) esse corpus, & sanguinem Christi; sed species necessarias esse ad modum hujus sacrificii constituendum, nempe, ut sit visibile, mysticum, & incruentum, sic ut pertineant ad rem oblatam per consequentiam quamdam, ut corpus, quod erat in Cruce apertum, hic sit opertum. Et hoc sensu intelligendi sunt Patres dum dicunt panem offerri, animam reficere, vivificare &c. Sæpe etiam de Sacramento, & sacrificio sine distinctione loquuntur, quæ unius sunt alteri tribuentes.

10. Contra secundam assertionem de necessitate consecrationis argumenta hæreticorum, & Paganorum supra soluta sunt, quibus nimirum aut præsentiam realem Christi, aut veritatem transubstantiationis impugnant, vel veram in Eucharistia sacrificii rationem. Catholici vero, qui consecrationem partem summe necessariam sacrificii fatentur, diversimode id probant, & ex probationum debilitate, res ipsa diversimode impugnatur. Dicunt enim: Si consecratio esset de ratione sacrificii, ideo, quia per ipsam maxime vera fit immutatio rei oblatæ, dum panis in carnem, & vinum in sanguinem convertitur; sed hoc non, quia alioqui panis, & vinum essent res in Eucharistia oblata, quod falsum esse supra dictum est: ergo consecratio ex hoc capite non pertinet ad rationem sacrificii. II. ideo juxta alios consecratio est de ratione sacrificii, quia per ipsam victima, sive res oblata, nimirum corpus Christi præsens ponitur in altari; sed hæc ratio non sufficit, nam positio victimæ in altari non est immolatio, potest enim victima ante altare sisti manu cujusvis, etiam non Sacerdotis, quin immoletur, ut in agnis, & bobus patet: ergo &c. III. Ideo consecratio spectaret ad intrinsecam rationem sacrificii, quia per eam mystice, & incruente Christus immolatur, dum seorsim sub diversis speciebus corpus, & sanguis ponitur. Sed nec hæc ratio sufficit. Qualis enim immolatio est, tale est sacrificium: ergo si per consecrationem solum fit symbolica, & mystica, non realis immolatio, Eucharistia non erit reale, & verum sacrificium, sed solum mysticum, & symbolicum, quæ Calvini sententia est. His autem ita respondemus. Ad primum quidem negatur major. Non enim ideo dicimus consecrationem esse partem necessariam sacrificii, quia per eam panis in carnem Christi convertitur, unde argumentum contra nos non militat. Neque dicimus, ut in secundo assumebatur, consecrationem ideo solum pertinere ad sacrificium, quia per eam victima

præ-

præsens ponitur in altari. Non enim quævis positio hostiæ in altari sacrificium est, aut actio Sacerdotis, ut argumentator innuit. Sed si ponatur in altari hostia, quæ sub propositis Symbolis ante non erat: quæ poni non poterat nisi supernaturali potestate a Christo certis ministris commissa: si ponatur hostia rationalis, cui notum est verum, & serium propositum ministri offerentis: quæ ad ejus nutum se sponte sistit, semet Patri offert, & sub speciebus sensibilibus, & consumptilibus semet constituit pro fidelium salute: si talis, inquam, ut vere ponitur, hostia ponatur, vide an talis victimæ talis positio ei similis sit, qua quis vitulum, aut agnum aris admovet. Ad tertium dicitur, Eucharistiam & esse verum sacrificium incruentum, & esse typum, & figuram sacrificii cruenti. Ratio ergo in tertio argumento adducta valet quidem ad hoc secundum manifestandum, quatenus per diversas formas verborum, & diversa symbola repræsentatur separatio corporis ab sanguine, in quo propria sacrificii cruenti ratio consistit. Non valet tamen ad probandam rationem veri, & realis sacrificii, nisi alia adjungantur, quæ nuper exposuimus, & illud maxime, quod vi consecrationis Christus eo modo ponitur in Eucharistia, ut consumi, & physice immutari possit per propriam & veram desitionem, non existentiæ naturalis, quam habet in cœlo, sed existentiæ Sacramentalis, quam habet in Eucharistia, de quo in sequentibus argumentis redibit sermo.

II. Contra tertiam partem assertionis de oblatione, quæ consecrationem sequitur, argumentantur Bellarminus, (*lib.* I. *de Miss. cap.* 27.) & Tournelius (*q.* 8. *art.* 2.) Non enim est de ratione sacrificii, quod Christus in Cœna non fecit; sed non legitur Christum se in sacrificium obtulisse: ergo oblatio &c. II. Nec Apostolos oblationem aliquam adhibuisse, legimus. Nam præter verba consecrationis nihil aliud, quam orationem Dominicam adhibuisse, scribit Gregorius. (*lib.* 7. *Epist.* 63.) III. Sacrificium præcipue agitur in persona Christi, ut supra (*in præc.*) ostensum est; sed oblatio, de qua loquimur, non fit in persona Christi, sed in persona ipsius Ministri, aut Ecclesiæ: ergo &c. IV. quia oratio vocalis non videtur ad rationem sacrificii necessaria. Sed hæc omnia futilia sunt. Ad primum enim negatur minor, cujus falsitas ex innumeris supra adductis PP. testimoniis constat. Sed, inquiunt, hujus oblationis verba non legimus. Sed nunquid putant nos de his verbis: *Suscipe Sancte Pater*, vel: *Unde & memores, Domine &c.* in assertione loquutos, ut verba hæc de natura sacrificii esse dicamus? Immo putant, nos de verbis loqui? Scimus, Christum se Patri obtulisse & in Cœna, & in Cruce. Scimus, omne sacrificium esse oblationem. Sive his, sive aliis verbis, sive verbis, sive solum interno animi voto, sive signate, sive id exercite

te fiat, quid contendimus? Fatetur Bellarminus, oblationem aliquam ad essentiam sacrificii necessario requiri; at oblatio sacrificii fieri non potest, nisi præsens sit victima; at victima in Eucharistia non est præsens nisi post consecrationem. Si qua ergo oblatio est de essentia sacrificii, ea maxime, quæ fit post consecrationem. In omnibus Liturgiis hujusmodi oblationem significantia verba præscribuntur. Dominus ipse, ait Bellarminus, quamvis non iisdem verbis panem consecrandum obtulerit, quibus nos modo offerimus, tamen obtulisse aliquomodo, aperte scribit Cyprianus lib. 2. ep. 3., & colligitur ex illa cæremonia benedicendi, & elevandi oculos in cœlum, & gratias agendi, quam Dominum præmisisse omnes Evangelistæ partim, partim antiquissimæ Liturgiæ testantur. Quod si panem consecrandum Christus obtulit, nonne potius panem consecratum, id est, suum corpus, & sanguinem obtulerit? Obtulit, inquit, non tamen necesse est, ut ea oblatio immolationem præcedat, ipsa enim immolatio oblatio esse potest. Bene quidem. At immolatio non est quæcumque rei immutatio, aut consumptio, sed immutatio, aut consumptio facta in honorem Dei, & in protestationem divinæ excellentiæ. Et hunc animum, sive simul cum actu consumptionis, sive ante fiat, sive verbis exprimatur, sive non, sive his verbis, sive aliis exprimatur, oblationem dicimus, quam ad sacrificii rationem necessariam esse nemo negaverit, nisi qui velit de verbis disputare. Hoc autem animi propositum in Missa his verbis explicamus: *Unde & memores &c.* Ad secundum de Apostolis eadem est responsio. Quamvis enim verba, quibus offerebant, non legamus, tamen ipsos sacrificasse, & immolasse, scimus. Dictum autem Gregorii (*lib. 7. epist.* 63.) intelligendum est ita, ut de iis præcibus, quas nunc in Missa dicimus, nullas habuerint Apostoli præter verba Consecratoria, & Orationem Dominicam. Non quod alias preces, aut orationes nostris similes confessionis, impetrationis, demissionis, gratiarum actionis &c. non adhibuerint. Neque unquam id negare Gregorius potuit. Ut enim alia prætermittam, quæ alibi opportunius adducentur, est insignis Augustini locus in Ep. (59.) ad Paulin., ubi exponens illud Pauli in 1. ad Timoth. cap. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones, ita loquitur: Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia in celebratione Sacramentorum, ut precationes accipiamus, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici: Orationes, quum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive ut nostri Codices legunt, postulationes fiunt,

quum

quum populus benedicitur. Tunc enim Antistites, velut Advocati susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Juxta Augustinum ergo, multo antiquiorem Gregorio, diversitas precationum, quas nunc frequentat Ecclesia, ex Apostolica institutione descendit, & jam apud Paulum in usu erat pro sacrorum mysteriorum celebratione.

12. Tertium argumentum infirmum est. Nam quum hoc sacrificium conspicuum sit, seu sensibile, & externum, oportet, ut actiones invisibiles Christi, per visibiles actiones, sensibilesque ministri inferiores repræsententur. Unde sicut minister est vice Christi, ita verba profert, & consecrat; & offert vice Christi, & externe operatur, ac sensibiliter, quod Christus insensibiliter operatur. Christus ergo semet offert, & nos offerimus, nam minister operatur nomine Ecclesiæ, quæ per JESUM Christum offert, ut Irenæus loquitur. (*lib.* 4. *cap.* 32.) Et Christus ipse offerens, ipse etiam oblatio est, (*Aug.* 20. *de Civ. cap.* 20.) cujus rei Sacramentum quotidianum voluit esse sacrificium. Necessaria est igitur & oblatio Christi, ut primi Sacerdotis, & agentis, & oblatio Sacerdotis, ut ministerialis Sacerdotis ex institutione ipsius Christi, (*Trid. sess.* 22. *cap.* 1.) qui in nocte Cœnæ Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Neque vero ex eo, quod Christus sit primarius Sacerdos, sequitur, ut per se immediate omnia faciat, quæ sunt ad sacrificium necessaria, sed ut alia quidem per semet faciat, ut oblationem, & consecrationem, alia vero per ministrum suum, sed ex authoritate, atque institutione sua, ut oblationem, & consumptionem, quæ fiunt nomine Ecclesiæ ex institutione Christi. Quartum autem non est ad rem. Non enim dicimus, hæc verba: *Unde & memores &c.* esse de essentia sacrificii, neque ulla omnino verba, nisi ex præcepto Ecclesiastico. Oblatio enim, de qua loquimur, nihil est aliud, quam animus, aut propositum agendi illud in honorem Dei, & protestationem supremi ejus dominii.

13. Adversus quartam assertionem opinatus est Recentior quidam Vitæ absconditæ scriptor putans, immissionem particulæ panis in calicem esse de necessitate sacrificii per physicam immutationem, quæ fit in Christi corpore tunc ad vitam sensibilem, atque animalem redeuntis. Sed tota illa moles falso nititur fundamento. Neque enim Christus in Eucharistia ullius animalis, aut vitalis operationis est capax, ut supra (*in præc.*) statutum est. De authore dictum alibi.

14. Major est difficultas circa septimam assertionem de necessitate sum-

sumptionis utriusque speciei. Christus enim in Cœna verum, & proprium obtulit sacrificium, quod supra dictum est; sed non legitur, Christum corpus suum, & sanguinem sumpsisse. Id autem sacri authores dixissent, si ad instituti sacrificii naturam, & intrinsecam rationem spectaret. Ad argumentum respondetur I. cum D. Thoma: (3. *p. qu.* 81. *art.* 1.) Christum Dominum corpus suum, & sanguinem sacramentaliter sumpsisse. Quamvis enim hoc in Evangeliis non legatur, (*ad* 1.) legitur autem, quod panem, & calicem acceperit; non est autem intelligendum, quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt. Nam I. difficultas ex eo, quod nihil potest esse in se ipso, (*ad* 2.) eadem est sive Christus corpus suum habuisset in manu, sive in ore, sive in pectore: ergo si corpus suum sub specie panis in manibus habuit, cur non ore accipere potuerit? Sed intelligendum est, quod accepit eo modo, quo discipulis accipiendum tradidit, quum dixit: accipite, & manducate. Accipite, & bibite: ipse igitur, & manducavit, & bibit, quod de ratione convivii, aut Cœnæ esse videtur. Quamvis autem Christus non se manducaverit, aut biberit spiritualiter, (*ad* 3.) seu propter obtinendum effectum sacramenti, quo non egebat, potuit tamen alium effectum in eo producere sacramentalis sumptio ab eo, quem in nobis producit, diversissimum. Secundo alii respondent: Christum nec sub specie panis manducasse corpus suum, nec sanguinem bibisse, & tamen consummasse sacrificium, & victimam consumpsisse dici posse, quia consumendam aliis tradidit Sacerdotibus. Nam in Cruce, inquit Bellarminus, (*loc. cit.*) Christus vere se ipse sacrificavit, quia occidendum se obtulit, quamvis non se ipse occiderit. Item: in veteri testamento de ratione Holocausti erat combustio, quæ tamen non erat actio Sacerdotis, sed vere dicebatur Sacerdos cremare victimam, quum ignem illi subjiciebat. Hæc tamen responsio non videtur sufficiens. Nam etiam quando Sacerdos corpus Christi fidelibus manducandum præbet, vere diceretur corpus Christi consumere, quamvis ipse nihil acciperet, quod tamen quasi contra rationem veri sacrificii improbatum est in Conc. Toletano sup. cit. Quare prima responsio, & simplicior, & clarior, & majori authoritati innixa est. Inquit enim Hieronymus, (*epist. ad Lesbiam.*) Dominus ipse conviva, & convivium, comedens, & qui comeditur. Quod non est intelligendum respectu diversorum.

Nam quid hoc est miraculi, si
Torva leæna lupum, mandit lupus ipse capellam?

Unde antiquus hymnus a D. Thoma allatus

Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

15. Ad-

15. Adversus septimam Porro assertionem, qua distributionem Eucharistiæ inter adstantes nullo modo necessariam esse diximus, multis insurgunt Novatores, & maxime Kemnitius in Exam. Conc. Trid. In confectione enim Eucharistiæ id omnino faciendum est, quod Christus fecit, quum ipse præceperit: Hoc (quod ego facio) facite in meam commemorationem; sed Christus benedixit, fregit, deditque discipulis adstantibus: ergo distributio Eucharistiæ inter adstantes de ratione mysterii est. II. id confirmatur exemplo Synaxis Apostolicæ consistentis in oratione, & communicatione fractionis panis. (*Act.* 2.) III. Paulus in I. ad Cor. aperte supponit, omnes Cœnæ Dominicæ adstantes de pane eodem manducasse: *Panis, inquit, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Item: jam non est Dominicam cœnam manducare: unusquisque enim suam (privatam) cœnam præsumit ad manducandum, pauperibus exclusis: non ergo manducant cœnam Dominicam qui, exclusis aliis, de corpore Domini participant. Unde Chrysostomus: (*comment. in hunc locum.*) Quod Dominicum est, privatum fecerunt. Cœna enim Domini communis esse debet.... (*Homil.* 3. *in* 1. *cap. ad Ephes.*) Frustra autem quotidiana habetur oblatio, quum nemo sit, qui simul participet. Porro si quis ad convivium vocatus, manus laverit, atque accubuerit, & tamen nihil gustaverit, nonne ei, a quo fuerat vocatus, contumeliam facit? An non satius fuerat, prorsus non comparuisse?..... Quisquis ergo mysteriorum consors non est, impudens, & improbus adstat. IV. id ipsum convincitur ex omnibus Liturgiis quum antiquioris, tum recentioris etiam Latinæ Ecclesiæ, ubi ritus distribuendæ Eucharistiæ traditur, & distributio facta supponitur. Unde & versus, qui, communicante populo, canebatur, *Communio* dicitur, & *Poscommunio* ea oratio vocatur, quæ post populi communionem dici consuevit, in qua propterea semper plurali numero Sacerdos loquitur: Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: Refecti cibo, potuque cœlesti: Hæc nos communio, Domine &c., ac similiter in omnibus reliquis. An non ludibrium est, ut in Missa, ubi nullus communicat, dicat Sacerdos: Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus.... Sacramenta, quæ sumpsimus &c.? V. confirmatur ex Ecclesiæ decretis. Nam in Can. 10. inter eos, qui dicuntur Apostolici, jubentur omnes adstantes communionem accipere, quod decretum innovavit Concilium Antiochenum cap. 2. Exstat item decretum Anacleti Papæ, (*ep.* 1.) & habetur in Can. Peracta de Cons. dist. 2. Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

16. Horum tamen omnium facilis est solutio. Ad primum dicitur, nos

nos id omne, quod ad naturam sacrificii, & Sacramenti pertinet, eodem modo facere, quo Christus fecit. Christus autem in Cœna tria fecit. Nam I. confecit sacrificium. II. Instituit Eucharistiæ Sacramentum. III. Instituit Sacramentum Ordinis, quum Apostolis sui corporis consecrandi, & distribuendi potestatem largitus est. Actiones igitur Christi in Cœna, non omnes ad singula referendæ sunt, sed accommode distribuendæ. Nam ad Sacramenti institutionem sola consecratio sufficit, per quam sub speciebus, signisque sensibilibus Christus fons gratiæ ponitur. Præter consecrationem autem ad rationem sacrificii requiritur Oblatio, & consumptio victimæ ab ipso Sacerdote, & hæc tria in Missa nos quoque facimus. Fractio autem, & distributio facta discumbentibus pertinet ad sacri ordinis exercitium. Et ideo ad Christi imitationem etiam Ecclesia Neopresbyteris in sua ordinatione corpus Domini accipiendum ultro largitur. Nec enim aliis, quam recens tunc ordinatis Sacerdotibus corpus suum in Cœna Christus dedit, quod bene notavit in Concil. Tridentino Alphonsus Salmeronius. Præterea in omni etiam sacrificio quemcumque optantem, & poscentem Sacerdos ad communionem admittit, optaretque sancta mater Ecclesia, ut in Missis singulis adstantes omnes Sacramentaliter communicarent, ut in Conc. Trident. dicitur. (*Ses.* 22. *cap.* 6.) Quod si id non faciant, an ideo sacrificii vis, & ratio ab hominum voluntate pendebit?

17. Ad secundum concedimus ita olim factum fuisse inter Christianos primitias spiritus habentes, & idem nunc fieri optaret Catholica Ecclesia. Sed non inde efficitur, perfectiorem tunc quam nunc fuisse oblationem; sed perfectiores tunc quam nunc fuisse Christianos. Ad tertium distinguo: omnes, qui manducabant, de eodem pane manducasse, concedo; omnes simpliciter, nego, aut subdistinguo: omnes manducasse ex divino præcepto, aut necessitate sacrificii, nego; ex propria voluntate, & charitatis fervore, concedo. Alter vero locus Apostoli ex eadem Epist. non est ad rem. Non enim ibi agitur de cœna corporis Domini, sed de Cœna diei Dominicæ, sive Agape, aut convivio, quod Christiani celebrabant die Dominica, & in Dominico, sive Ecclesia, ut est communis Doctorum expositio, ibi enim divites, pauperibus exclusis, largius epulabantur, aliis esurientibus, quod Apostolus reprehendit, opponens epulis illis luxuriosis frugalem mensam Christi, unde subdit: Ego autem accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c. Quæ in confirmationem adducuntur Chrysostomi verba, male in alium sensum detorquet Kemnitius. Quum enim dico: frustra esse solem, quum nemo sit, qui ejus luce fruatur, non dico Solem esse inutilem mundo, sed dico esse inutilem iis, qui ejus luce frui nolunt. Ex loco autem Chrysostomi potius

as-

assertio nostra probatur. Inde enim evidenter colligitur, fuisse tempore Chrysostomi quotidianum sacrificium, id est, Missas, in quibus nullus communicaret; sed hujusmodi sacrificia, si imperfecta fuissent, & contraria Christi institutioni Ecclesia non permisisset, sed pœna mulctasset, & in posterum prohibuisset, sicut prohibuit Missam, in qua ne quidem ipse sacrificans particeps esse dignoscitur, in cit. cap. Relatum: ergo quia Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, semper licitas, & validas habuit Ecclesia. Sed dices: Chrysostomus eum, qui adest, & de Sacrificio non participat, impudentem, improbum, & Christo contumeliosum vocat: ergo quia adstantes omnes communicare tenentur. Sed I. argumentum non est ad rem. Aliud enim est, ut de sacrificio participare tenerentur saltem ex consuetudine antiqui Christiani, de quo alibi, (*lib.* 15. *pr.* 8.) aliud, ut hæc participatio sit de essentia sacrificii, de quo nunc agitur. II. dici posset, forte tempore Chrysostomi viguisse adhuc antiquam consuetudinem, aut præceptum Anacleti, vel aliquod in Græcia simile. III. & melius respondetur, Patres in concionibus ad populum, & maxime Chrysostomum, qui erat in dicendo vehementissimus, dum ad meliora, & tutiora plebem hortantur, etiam bona, sed minus perfecta improbare, ac reprehendere videri, quod in præsenti accidisse puta. Non enim malum est sacrificio interesse, & non participare, sed multo melius esset interesse, & participare, quod Chrysostomus optabat, & optat nunc Ecclesia: unde per quemdam orationis excessum eos impudentes, & improbos vocat, non quia malum faciant, sed quia quod melius est, facere negligunt, aut contemnunt.

18. Nec urget argumentum ex Liturgiis antiquis, aut recentioribus petitum. Nam per Ecclesiasticas rubricas Sacerdotes erudiuntur non solum circa ea, quæ semper accidunt, & quæ ad rationem sacrificii pertinent, sed etiam de iis, quæ frequenter accidunt ex usu, & consuetudine, aut præcepto. Unde quum frequenter in Missis aliqui communicent, circa modum dispensandæ Eucharistiæ etiam erudiantur, necesse est. Deinde Sacerdos in sacrificio, sicut in Officio loquitur tanquam publicus Ecclesiæ minister; in tota autem Ecclesia nunquam desunt plures, qui de Altaris sacramento participent, quum Laici, tum saltem Sacerdotes sive hic, sive alibi, Romæ, aut Mexici. Unus autem panis est, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. De toto ergo sive hic, sive alibi communicantium numero minister sanctus loquitur, quum dicit: *quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus.... Sumpsimus, Domine, solennitatis annuæ votiva Sacramenta &c.* Nec item urget quintum argumentum ex Ecclesiasticis decretis. Nam sicut Ecclesia adstringit fide-

deles, ut nunc in die Paschæ corpus Domini accipiant, & tamen non ideo existimat eam acceptionem pertinere ad naturam sacrificii illius diei; ita potuit præcipere, ut omnes quotidiano sacrificio adstantes communicarent, quin crederet communionem illam esse de ratione sacrificii quotidiani, de quo solum nunc disputatur. Nam de quotidiana, aut frequenti communione alibi disserendum est. (*lib.* 17. *prop.* 11.)

19. Contra septimam tandem assertionem de necessitate utriusque speciei consumendæ, non contemnendum est argumentum. (3. *p.* *q.* 82. *art.* 2.) Nam novi Sacerdotes quum ordinantur, Episcopo celebranti concelebrant, totumque canonem, & ipsa consecrationis verba pronuntiant: consecrant ergo, & vere sacrificium Deo offerunt; sed de Calice non participant: ergo utriusque speciei consumptio non est de essentia, & ratione sacrificii. Nec solum in sacris Ordinationibus, sed extra eas etiam viguisse in utraque Ecclesia hanc consuetudinem, ut simul cum Episcopo suo Presbyteri celebrarent, multis firmant viri antiquitatis eruditi Morinus, & Bona. Et Græci quidem usque ad præsentem diem id observant, ut in iis urbibus, in quibus non nisi unum templum est, solus Episcopus celebret, Presbyteris omnibus circumstantibus, & concelebrantibus. De Ecclesia Latina exstat antiquum Pontificale Eccl. Rhotomag. ap. Menardum: Mos est Romanæ Eccl. ut in confectione corporis, & sanguinis Domini adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis, & manibus conficiant, testisque locupletissimus est Innocent. III. in 4. de Myst. Miss. (*cap.* 25.) Consueverunt Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, quumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem recipere. Exstat de hac re notabilis Canon Concilii Arvernens. jubens, (*can.* 14.) ut Presbyteri in diebus solennioribus nullo in loco divina mysteria celebrent nisi cum suo Episcopo in Civitate. Morem tamen hunc acerrime improbavit Durandus in 4. Sent., (*di.* 13. *q.* 2.) quem multi, inquit Bona, ex Scholasticis sequuti sunt, rem clarissimam intricatissimis difficultatibus implicantes, quorum aliqui multa in ea sibi fingunt incommoda, & pericula.... ac si in Ecclesia nihil unquam factum sit, nisi quod fieri nunc vident. Illos nimirum in varia absurda præcipites egit antiquorum rituum desuetudo, & ex desuetudine ignorantia... Desiit autem hic mos, ait, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit, nam in Ordinatione Sacerdotum, & Consecratione Episcoporum adhuc viget, sed post fundatos, lateque propagatos Mendicantium Ordines. Ita ille. Quidquid autem de hoc sit, dicendum videtur cum Richardo Midletonio, Cajetano, & aliis Theologis, Neosacerdotes proprie sacrificium non conficere, sed solum Epi-

Canonem proferant, id
Episcopum ordinantem. Quamvis enim totum potestatis, cujusdamque veluti pos-
tamen faciunt in signum acceptæ Unde & eis Cajetanus, & Suarius
sessionis per eum actum acceptæ. sunt, ut neque Episcopum præveni-
(*q.* 78. *disp.* 61. *sect.* 3.) auctores consecrandi directum, ac determinatum
re præsumant, nec animum consecrandi simul cum E-
habeant, sed ad summum disjunctive, vel consecrandi vel solum mate-
piscopo, si possunt eodem tempore verba proferre, Ecclesiæ in casi-
rialiter proferendi verba. Et hæc videtur esse mens apud Suarium: Or-
bus similibus. Unde Vetus Pontificale Romanum Idemque evincitur
dinati, inquit, omnia dicant, ac si celebrarent. (*q.* 82. *art.* 2.) Ait
ex ratione, aut potius congruentia *D. Thomæ.* ita novi ordi-
enim: Sicut Apostoli Christo cœnanti *concœnaverunt*, Apostoli in cœna
nati Episcopo ordinanti concelebrant. At non ideo ut patet er-
obtulisse sacrificium dicendi, quum non consecraverint, consecrationis
go nec Neopresbyteri. Dices: ergo incassum verba maxime quum id
proferunt, quod non exiguum videtur absurdum, proferre incassum
faciant ex Ecclesiæ instituto. Respondeo, non traditæ sibi pote-
Primo quia ut dictum est, ea proferunt in signum herbas vellit, qui
stasis, unde sicut non incassum lapides jacit, aut januam aperit cla-
in agri possessionem immittitur, & non incassum verba profert, qui
vi, qui ostiarius ordinatur &c. ita non incassum Ordinis possessionem
conficiendæ Eucharistiæ potestatem accipit, & in animum serium ha-
immittitur. II. Quia hujusmodi verba proferentes possit, aut saltem
bent simul cum Episcopo consecrandi, si id fieri fuit institutio Ec-
id faciendi, quod Ecclesia jubet. III. Quia id non consuetudo Ecclesiæ
clesiæ Catholicæ, sive universæ, sed particularis exeunte, nondum
Romanæ, quæ tempore D. Thomæ, & sæculo 13. Secundum consuetu-
totam Europam occupaverat. Unde D. Thomas: Præterea dici potest,
dinem, inquit, quarumdam Ecclesiarum &c. Episcopo verba pro-
Neosacerdotes consecrare quidem, si simul cum sacrificium sit velut
ferant; sed tamen non sacrificare. Quia quum compositum, ut
quoddam totum artificiale ex partibus dissimilibus cooperationem, & com-
supra ex D. Thoma, nil prohibet quempiam ad Sic Laici simul cum
munionem unius partis admitti, & non alterius. de oblatis, etiam sub
Sacerdote offerunt, & quandoque participant Contra novi Sacerdotes
utraque specie, & tamen non sacrificant. victimam non consu-
offerunt, & si vis, consecrant, sed sacrificii Nec est simile in
munt. Unde neutri sacrificare proprie dicuntur. facilius, ut simul
consecratione Episcopi. Inter duos enim multo est difficultas, quum
verba proferantur, & ex parte sumptionis nulla est ergo consecratum
utramque speciem uterque accipiat. Episcopum & innuitur in cap.
cum consecrante vere sacrificare probabilius est, Quod

Quod sicut de Elect. ubi inter Papæ, & aliorum Episcoporum consecrationem discrimen assignatur.

PROPOSITIO V.

Sacrificium Missæ & Impetratorium, & Propitiatorium est.

1. NAm Latreuticum, & Eucharisticum esse, non inficiantur nostri temporis Hæretici. Et quidem propitiatorium esse si probaverimus, etiam Impetratorium esse probatum erit. Difficilius enim ab offenso, & ultore veniam, quam ab charo, & amico beneficium expectes. Utrumque autem ex ipsamet sacrificii notione, ac natura evidenter apparet. Sacrificium enim est actus Religionis, ut supra (*lib. 6. prop.* 14.) statutum est; Religio autem circa Dei cultum versatur, ut ibidem dictum est; cultu autem non prosequimur nisi ea, ex quibus in nos fructus aliquis, atque emolumentum derivatur, ut ex D. Thoma alibi dictum est: ergo ex sacrificiis, & oblationibus aliquem in nos fructum derivandum speramus, & credimus. Quis enim, ut ab Tullio dictum est, (1. *de Natura Deor.*) Deos, quamvis natura optimos, & præstantissimos, coleret, nisi humana curarent, & nobis benefici essent? Hæc est enim inter honorem, & cultum differentia. Nam honor debetur Optimo; Cultus autem benefico, & nobis proficuo. Unde Turcarum, & Sinarum Reges potentissimos, sed ab quibus nihil boni obtinendum speramus, debito honore prosequimur, sed non cultu; colimus autem Reges nostros, & Parentes, & amicos, & artes, & scientias, & agros, & vineas. Colit servus Dominum, & Patronum Cliens, & Creatura Creatorem. Hinc Cultus ab D. Thoma definitur, ut sit studium alicui rei adhibitum, quam utilem nobis, & profuturam speramus. Jam vero ab Summo, potentissimo, & beneficentissimo Deo omnia bona speramus, abque Eo solo veniam commissorum scelerum habere possumus: ergo hæc per sacrificium, qui præcipuus est cultus, aut Religionis actus, intendimus: sacrificium ergo quodcumque ex sua natura Dei propitiandi, & ab eo quicquam impetrandi vim habet, & maxime ea sacrificia, quæ ab ipso Deo instituta sunt, & quæ tanquam sibi gratissima, nobis, ut offerremus, injunxit; tale autem est sacrificium novæ Legis, seu Missa Catholicorum, ut supra (*prop.* 2. *huj.*) statutum est: Missa igitur sacrificium propitiatorium, & impetratorium est, quod erat &c.

2. Probatur eadem veritas secundo ex communi omnium eorum, qui Deum verum, aut etiam falsos Deos coluerunt consensu, & praxi. Quotquot enim ab initio mundi sacrificia obtulerunt, eo fecerunt ani-

animo, ut ab Deo, sive ab existimatis Diis bona impetrarent, veniam postularent erratorum, mala imminentia depellentur &c. An non rei hujus in Romanorum, Græcorum, Medorum, Ægyptiorum, Persarum innumera historiis commemorantur exempla? Quid apud Hæbreos, quibus credita sunt eloquia Dei? Nonne Hostiis pro peccato, & pro delicto, & Pacificis aut Deum offensum propitiabant, aut adjutorem deposcebant? Hanc igitur vim duplicem sacrificio inesse existimabant, non solum a Deo edocti Hebræi, verum & Gentes omnes naturæ lumine ducente. At in Christiana Lege omnes antiquorum sacrificiorum differentias una implet Dominici sanguinis, & carnis oblatio: hæc ergo sicut impetratoria, ita & propitiatoria est. Confirmatur ex libro Job, qui ante Legem scriptam vixit, & pro filiis suis quotidie sacrificium Deo offerebat dicens: (*cap.* 1.) Ne forte peccaverint filii mei. Item amicis ejus multa, & imprudenter loquutis Deus ipse jubet, ut sacrificarent pro peccato suo dicens: (*cap. ult.*) Offerte holocaustum pro vobis, & orabit pro vobis servus meus Job, & suscipiam faciem ejus pro vobis, ut non imputetur vobis stultitia: ergo faciem Jobi orantis pro peccatis amicorum sacrificantium Deus suscipiet, & faciem JESU Christi filii sui dilecti, in quo sibi bene complacuit sese offerentis, & interpellantis pro nobis non suscipiet, ut non imputentur nobis stultitiæ, & iniquitates nostræ? Confirmatur II. Nam lex, & Sacerdotium Aaronicum formam habuit futurorum, quod Paulus ait; sed sacrificia veteris Legis a peccato mundabant. Scriptum est enim: (*Levit.* 4.) Offerat sacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato illius, & dimittetur ei, quod non solum de immunditia Legali, & pœna temporali, sed etiam de pœna æterna, & reatu culpæ intelligendum est, non ex opere operato, seu ex vi operis ipsius, sed ex opere operantis, sive ex fide offerentis, cujus fidei protestatio erat sacrificium oblatum: ergo multo magis mundantur peccata, & Deus propitiatur per sacrificium novæ Legis antiquis illis longe sanctius, & perfectius.

3. Probatur tertio assertio proposita testimoniis novi Testamenti. Scriptum est enim: (*Matt.* 26.) Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.... (*Luc.* 22.) Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur. Utrobique autem Græce, non effundetur, sed effunditur, in præsenti legitur, & utroque modo dici potest. Sanguis enim, qui in Cruce effundendus erat, in Cœna tanquam actu fusus oblatus est in remissionem peccatorum. Pretium quippe solvendum erat in Cruce, sed applicandum singulis per Sacramenta, & sacrificium, aliaque media secundum propriam cujusque dispositionem, ut supra (*lib.* 10. *prop.* 19.) explicatum est. Con-

Confirmatur ex Paulo: (*Hebr.* 5.) Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, quasi dicat: Omnis Sacerdos ratione muneris, ac ministerii sui id habet, ut sit Sequester, ac Mediator inter Deum, & homines, ut Deum peccatis hominum placatum, & propitium reddat per dona, & sacrificia, quæ tanquam publicus minister offert pro populo. Sacerdos igitur omnis propitiator est, & Expiator peccatorum populi; sed munus proprium Sacerdotis, qua talis, est oblatio sacrificii: omne igitur suapte natura expiatorium, & propitiatorium est. Missa autem est verum sacrificium, ut supra: ergo. Confirmatur secundo: Eucharistia dicitur (*Luc.* 22.) Novum testamentum in sanguine Christi, & Calix novi Testamenti; sed non ob aliam rationem, nisi quia per eam novi Testamenti promissiones nobis applicantur, & earum simus participes; una autem ex novi Testamenti promissionibus est remissio peccatorum: per Eucharistiam ergo remissio peccatorum obtinetur; sed non per ipsam ut Sacramentum est, de quo infra: (*lib.* 15. *prop.* 6.) ergo per ipsam ut sacrificium est. Probatur media: Nam Eucharistia, ut Sacramentum est, solum prodest sumenti, ut Sacramenta cætera. Secundo: Nam ad participationem Eucharistiæ, ut Sacramentum est, opus est, ut homo se ipsum probet, (1. *Corinth.* 11.) & sic de pane illo edat, & de calice bibat, si enim manducat, & bibit indigne, id est, cum peccati mortalis conscientia, judicium sibi manducat, & bibit: ergo per participationem Eucharistiæ, ut Sacramentum est, non expiatur peccatum, sed expiatum supponitur, atque adeo per Eucharistiam, ut Sacramentum est, non obtinetur remissio peccati, quod erat probandum.

4. Probatur quarto assertio ex antiquissimis Lyturgiis. Nam in illa, quæ Jacobo Apostolo tribuitur, sic legitur: Offerimus tibi, Domine, incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi. Dices: hanc Liturgiam non esse Jacobi Apostoli. Equidem id fateor. At antiquissima est. At multi Catholicorum fœtum Jacobi Apostoli esse, existimarunt cum Bona Card. (*Rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 8.) At nonnulli Patres, veteresque Scriptores testimoniis ex ea desumptis usi sunt. At communi usu recepta ante Basilii tempora, ejusque verbis usa est Trullana Synodus, & ex ea multa desumpserunt, & ad Liturgias suas transtulerunt Basilius, & Chrysostomus. Aliqua his a Recentioribus addita fuisse, non inficiamur, nec tamen ideo iis, quibus Liturgiæ omnes, & Ecclesiæ ritus congruunt, fides est deneganda. Consonat Liturgia Basilii, ubi sic legitur: Dignos efficito nos, qui puro corde stamus coram Te, tibique ministramus, & offerimus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo.

culo populi tui. Adsonat Liturgia Chrysostomi, ubi: Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis. In Liturgia, quæ Clementi Romano adscribitur, similia leguntur. In Missa Ambrosiana hæc habentur: Rogo te, Deus altissime, Pater sancte, ut pro peccatis meis possim intercedere, & adstantibus veniam peccatorum promereri, & pacificas singulorum hostias immolare. In Missa Maronitarum, quæ in eorumdem Collegio Romæ cum versione latina habetur, dum Sacerdos celebrat, Chorus subinde Hymnos canit ab S. Ephremo, ut inquiunt, compositos, quorum unus talis est:

Gloria Trinitati
Perpetua, atque æterna
Super incensum hoc suavitatum,
Quod offerimus in honorem tuum.
Remittas in eo, Domine, omnia debita nostra,
Et dimittas in eo stultitias nostras.

Id Missa Romana, quæ ante sæculum septimum in usu erat, quamquam Mathias Flaccus Illyricus invenit, Lutheranorum rigidiorum Princeps, & Argentinæ excudit, sic legitur: quo per ministerii hujus exhibitionem peccatorum meorum adipisci merear remissionem, & mihi, & his omnibus, pro quibus offertur, tuam misericordissimam propitiationem concede, tum his similia multa, ut illud in oblatione Calicis: Concede, Clementissime, ut pro redemptione nostrà, & etiam totius mundi in conspectum Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Sacerdoti dicenti: Orate pro me, fratres, respondebat populus: Suscipiat &c. ipseque te exaudiat, qui te constituit intercessorem pro peccatis nostris. In Missa Lugdunensi apud Gallos: Hanc hostiam, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, & omnium offerentium, & eorum, pro quibus offertur, peccata dimitte. Infinitus essem, si Missæ Mozarabicæ in Hispaniis olim usitatæ, Ruthenæ, Cophticæ, aliarumque multarum testimonia commemorare vellem, quæ apud harum rerum Tractatores inveniri possunt.

5. Probatur quinto conclusio ex Patrum traditione, & consensu. Antiquissimus enim Justinus Eucharistiam, ait, (*dial. cum Triph.*) offerri pro expiatione peccatorum ..... Ista est enim, ait Origenes, (*hom.* 13. *in Levit.*) commemoratio sola, quæ Deum hominibus propitium reddit. Quid ita? quoniam ipsa incruentæ victimæ oblatio, ut Athanasius inquit, (*in serm. de def. ap. Damas.*) propitiatio est. Christum siquidem pro peccatis nostris immolatum offerimus, ait Cyril. Hierosolymit., (*catech.* 5. *mystag.*) ut & nobis, & illis eum, qui beni-

nignissimus est, propitium reddamus.... Sacerdos itaque pro tota civitate, & quid dico pro tota civitate? pro universo terrarum orbe legatum, & oratorem agit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat, quod est apud Chrysostomum. (*in 6. de Sacerd.*) Græcis his consonant Latini Patres, Ambrosius in lib. 1. de Officiis: (*cap.* 48.) Offert, inquit, se Christus tanquam Sacerdos, ut peccata nostra dimittat, loquitur autem ibi, non de Crucis, sed de Eucharistiæ, sive Altaris sacrificio. In altari enim, ait alibi, (*in exorth. ad Virgin.*) hostiam salutarem offerimus, per quam mundi hujus peccatum aboletur. Hieronymus in epistolam ad Titum: (*cap.* 1.) Quid dicendum de Episcopo, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Augustinus: (*qu.* 57. *in Levit.*) In multis sacrificiis, quæ olim pro peccato offerebantur, unum hoc nostrum figurabatur sacrificium, in quo vera fit remissio peccatorum.... (*serm.* 11. *de Sanct.*) Ibi enim, nimirum, in Altari, ait alibi, pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Confirmatur ex Concilio Bracarensi III., (*can.* 1) quod octavo sæculo celebratum fertur: Quum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione peccatur?

6. Accedit denique Concilii Tridentini apertissima definitio: (*ses.* 22. *cap.* 2.) Docet Sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum recta fide, & puro corde ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.... (*can.* 3.) Si quis ergo dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis; non autem propitiatorium aut solum prodesse sumenti, neque pro vivis, atque defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

7. Concilii tamen, id est, Catholicæ Ecclesiæ sententiam impugnant Lutherus, (*lib. de captiv. Babil., & de abrogand. Miss.*) & Kemnitius. I. enim ajunt: Eucharistiam Sacramentum esse, non sacrificium. Sed hæc ratio supra impugnata, & Eucharistiam non solum Sacramentum, quum asservatur, aut sumitur ab non consecrantibus, sed etiam sacrificium esse, dum conficitur, & offertur, abunde probatum est. Hinc ruit alterum Lutheri argumentum: Nam baptismus, inquit, unius, aut chrismatio non prodest, nisi sumenti: ergo nec Eucharistiæ sumptio. Ruit, inquam. Nam sacrificium est de genere oblationis, & intercessionis. Sacerdos enim in offerendo legatum populi

puli, & oratorem agit, ut supra Chrysostomus. Munus autem, aut preces pro populo, aut ejus nomine oblatum, aut factæ Principi, non solum prosunt Legato offerenti, sed multo magis iis, in quorum persona, & nomine offertur, ut planum est, & quotidie experimento comprobatur. At ablutio, & Chrismatio &c. non sunt de genere orationis, sed de genere causæ efficientis, quæ non operatur, nisi in subjecto physice præsente. Ruit etiam tertium argumentum ex Kemnitio. (*in 2. p. Examin.*) Ajebat enim: Si per Missam peccata dimittuntur: ergo frustra confugimus ad remedia difficiliora, uti sunt Baptismus, confessio peccatorum, opera satisfactoria &c. Ruit, inquam, hæc argumentatio. Sacrificium enim quum sit de genere oblationis, & intercessionis, non est causa physica, & efficiens gratiæ, sed solum causa moralis, quatenus Deo munus offert gratissimum, & in quo sibi infinite complacet, ut ad misericordiam flectatur, sicut flectitur Princeps obsequio, & donis subditorum. Sacramenta autem sunt causæ efficientes, ut ita dicam, & immediate operantes in nobis gratiam modo infra (*lib. 15. prop. 1.*) explicando, gratiam, inquam, sanctificantem, & peccata delentem. Verbo: Sacramenta effective nos sanctificant: sacrificium, quamvis ex opere operato, atque institutione Christi sit impetratorium auxiliorum divinorum, quibus nos pœniteat, & quibus ad gratiam disponamur, non est tamen per se immediatæ collativum ipsius gratiæ sanctificantis.

8. Dices: sacrificium ex opere operato est infallibiliter impetratorium eorum donorum, & auxiliorum divinorum, quibus ad pœnitentiam, & gratiam præparemur: ergo & qui offerunt, & ii, pro quibus offertur, infallibiliter obtinent ea auxilia; hoc autem falsum esse cernitur, nam maxima pars eorum, qui sacrificant, aut pro quibus sacrificium offertur, in peccatis suis vivunt, ac moriuntur, alioqui nullus fere hominum periret, quum pro omnibus sacrificium passim offeratur: ergo sacrificium Missæ non est infallibiliter impetratorium, aut propitiatorium. Sed quisquis ita arguis, nonne vides, in sacrificio Crucis idem argumentum fieri posse? Deinde, est ne idem impetrare auxilia, quibus quis ad pœnitentiam moveatur, atque excitetur, ac de facto pœnitere? Impetrantur ergo per sacrificium auxilia, quibus voceris ad fidem, quibus exciteris ad pœnitentiam, quibus movearis ad perfectionem, sed non tibi datur per sacrificium ut credas, ut te pœniteat, ut perfectus sis, quæ sine tua cooperatione fieri non possunt, vocationi enim, & excitationi, & motioni potes dissentiri, si velis, potes spiritum extinguere, potes mediis a Christo institutis ad animæ tuæ sanctificationem non uti. Impetramus a Deo arma, quibus hostem vincere possimus, sed non datur nobis hostem vincere. Impetratur gratia, ut velimus, sed non ipsum velle, & per-

& perficere pro bona voluntate. Denique non opus est, ut sacrificium omnem suum effectum sortiatur statim. Nam etiam sacrificium Crucis non statim suum omnem habuit. Neque item opus est, ut habeat determinatum illum effectum, quem offerens, aut ii, pro quibus offertur, intendunt. Adjuvantur ergo infallibiliter in spiritualibus per oblationem sacrificii, sed ita, atque eo tempore, & modo, quo Deus sacrificium acceptaverit, atque ei propitius esse voluerit.

COROLLARIUM I.

9. Altaris sacrificium non solum spiritualium, sed etiam temporalium bonorum impetratorium est. Jubet enim Paulus Apostolus (1. *Tim.* 2.) fieri orationes, & postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus his, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus. Quod de sacrificio singulariter intelligendum esse, vult Augustinus. (*ep.* 59. *ad Paulin.*) Consonat Cyrillus Hierosolimit. describens Eucharistiæ offerendæ ritum, qui cum nostro adammussim congruit. Postquam confectum est, inquit inter alia, (*Cat.* 5. *Mystag.*) illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, in summa pro omnibus, qui auxilio indigent. Chrys. hom. 79. ad pop. Antioch. Ad altare Sacerdos pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro ipsam gubernantibus jubetur offerre addit infirmis hom. 72. in Mat. addit & pro terræ fructibus homil. 21. in Actis Ap. Habertus testatur, in quibusdam codicibus Liturgiæ S. Chrysostomi addita fuisse hæc verba: Nicolai Sanctissimi universalis Papæ longa sint tempora. Pro Imperatore autem, & imperii incolumitate antiquitus oratum patet ex Origene, Athenagora, Athanasio, Optato Milevitano, Lactantio, Arnobio, Tertulliano. Nos, inquit, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, (*hist.* 7. *cap.* 11.) rerum omnium Creatorem, qui Valeriano, & Gallieno, sacratissimis Imperatoribus imperium tradidit, adoramus, & colimus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile, & inconcussum permaneat. In Missa quoque Romana, & antiquis aliis Collectæ exstant, sive orationes pro terræ fructibus, pro aeris serenitate, pro pluvia &c. quatenus temporalibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus, nec enim aliter temporalia orationis materia sunt, ut supra, (*lib.* 6. *prop.* 12.) quum de oratione dictum est.

CO-

COROLLARIUM II.

10. Sacrificium Missæ vim habet impetrandi infallibilem ex opere operato potissimum. Minus Latine quidem, (non enim timemus ferulas Grammaticorum) sed tamen aptissime ita loquuntur Theologi, ut distinguant, quando opus ex ipsa sua natura, aut ex Dei institutione effectum infallibiliter sortiatur independenter ab hominum, & ministrorum voluntate, quando autem ex humano actu, & dispositione offerentium, aut quomodolibet circa divina operantium. Quandoque enim munus oblatum Principi tale est, ut ex sua natura animum Regium flectere, & inclinare ad pietatem, aut benevolentiam possit; quandoque autem, quamvis exiguum, vim, & efficaciam magnam habet ex dignitate, & charitate, sive gratia offerentis. Unde vidua illa, (*Marc.* 12.) quæ duo minuta in gazophilacium misit, plus dedisse dicitur, quam ditissimos Judæorum. Porro sacrificium universa Ecclesia Deo offert per membra, & ministros suos, sed non eodem modo. Alii enim solum offerunt veluti in habitu, ut ii omnes, qui nec sacrificio adsunt, nec de eo cogitant, tamen cultum Deo dari cupiunt. Alii actu offerunt, qui nimirum adsunt, & saltem voce Sacerdotis offerunt sua vota, ac preces Deo. Alii tanquam in causa sunt sacrificii offerendi, & hi quamvis non adsint, magnam tamen ex eo utilitatem capiunt, ut qui Missas dici jubent, hortantur, præcantur &c. Quarto denique Sacerdos Ecclesiæ minister, atque orator, vicesque Ecclesiæ gerit, & vices Christi. Præter hos autem ipse Christus est principalis offerens, ut supra (*prop.* 3. *huj.*) explicatum est. Quibus suppositis, non de præcipuo offerente, nimirum Christo, cujus manus invisibiliter extenta sacrificat, seque metipsum offert Patri suo, sed de inferioribus offerentibus assertio procedit. Hinc autem ratio assertionis. Nam quoniam Christus idem Sacerdos est, & victima sacrificii nostri, sequitur, idem esse sacrificium Eucharistiæ, & sacrificium Crucis sola offerendi ratione diversa, ut Tridentinum loquitur; (*sess.* 22. *cap.* 2.) sed actio Christi non pendet ab inferioris ministri dispositione, aut voluntate: ergo sive dignus sit, sive indignus minister, dummodo Eucharistiam conficiat, riteque offerat, infallibiliter dona spiritualia impetrat, & temporalia item, quæ fuerint, & eo modo, ac tempore, quo fuerint ad æternam salutem conducentia.

11. Dixi *potissimum*, quia præter hanc vim certo, & infallibiliter impetratoriam, quæ oritur ex dignitate rei oblatæ, & offerentis primarii, qui est Christus, aliquid etiam accedit oblationi ex dignitate Sacerdotis, aut Ministri nomine Christi, & Ecclesiæ offerentis. Nec

Nec dubium est quin sacrificium oblatum a Martino, gemma Sacerdotum, aut ab quoquam viro sanctissimo, majoris sit apud Deum virtutis, & meriti. Christus enim in sacrificio altaris nihil jam meretur, aut satisfacit, quum non sit in statu viæ, sed solum impetrat applicando passionis suæ satisfactionem, & merita; sed potest Christus moveri ad applicandum majorem passionis suæ fructum ex majori charitate, & dignitate Sacerdotis celebrantis: ergo potest vis impetratoria oblationis crescere ex majori dispositione, & dignitate offerentis. Et hic sensus est totius populi Christiani, qui Missas ab sanctioribus, & perfectioribus viris dici cuperent, eorumque sacrificiis se, suaque omnia commendant, in eumque finem opes suas largissime profundunt. Hic tamen effectus ex intentione, & dignitate ministri proveniens non est certus, atque infallibilis. Christus enim, inquit hic Suarezius, (*in art.* 1. *q.* 83. 3. *par. disput.* 79. *sect.* 2.) ut nunc offert, quamvis fortasse semper actu offerat; tamen non necesse est, ut semper efficaciter intendat obtinere effectum illum, quem Sacerdos, aut alius offerens intendit. Et ideo etiam ex hac parte non est necesse, ut hæc impetratio sit infallibilis. Quod autem illud necessarium non sit, patet, quia nulla lege, aut promissione se obligavit Christus ad efficaciter petendum, quidquid privatus offerens petit, aut desiderat, neque hoc sequitur ex natura sacrificii, neque semper expedit, & aliunde rebus ipsis, & effectibus constat non ita fieri.

COROLLARIUM III.

12. Effectus immediatus sacrificii ex opere operato non est justificatio impii, aut primæ gratiæ infusio, neque infusæ gratiæ augmentum, neque remissio peccatorum venialium, neque bonorum temporalium obtentio, neque omnis pœnæ remissio temporalis. Sacrificium enim, uti dictum est, non operatur ut causa physice efficiens, sed uti causa moralis per modum orationis, & impetrationis. Unde per se immediate non confert gratiam, nec eam auget, aut peccatum quodvis remittit, sed solum agit, ut placatus oblatione Dominus, gratiam, (auxiliantem,) & donum pœnitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittat, sive ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, quæ sunt Tridentini verba. (*Sess.* 22. *cap.* 2.) Unde si eos, pro quibus offertur, recte dispositos inveniat, inquit D. Thomas, (*in* 4. *sent. dist.* 12. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 4.) eis gratiam obtinet, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed quatenus gratiam contritionis eis impetrat. Bona autem temporalia non infallibiliter obtinentur, & ex opere o-

pe-

perato per virtutem sacrificii, uti dictum est, quia non habent cum salute æterna necessariam connexionem, atque adeo neque absolute postulari possint, ac debeant. De pœna autem temporali cum distinctione loquendum est, unde signate dictum: *non esse effectum hujus sacrificii ex opere operato remissionem omnis pœnæ*. Igitur ex opere operato pars pœnæ aliqua per sacrificium remittitur; non autem semper tota pœna. Nam Eucharistia, inquit D. Thomas, (3. *p. q.* 79. *artic.* 5.) quatenus sacrificium est, ex se habet vim satisfactivam: in satisfactione autem magis attenditur affectus offerentis, quam rei oblatæ quantitas: ergo quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen applicatur satisfactio iis, qui offerunt, vel his, pro quibus offertur secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna. Hæc D. Thomas. Utramque autem partem probat Suarezius: (*loc. cit. sect.* 6.) Nam hoc sacrificium aliquid confert ex opere operato, ut statutum est: illud autem esse debet aliquod spirituale commodum, nam temporalia ex opere operato non confert, ut item dictum est: hoc autem commodum spirituale non est quid positivum, id est, per collationem alicujus boni habitualis, aut actualis: ergo negativum per remotionem alicujus mali; sed non culpæ, quæ per sacrificium non deletur, sicut per causam proximam, ut cum D. Thoma statutum est: ergo pœnæ. Hoc autem argumentum non plene convincit; negabitur enim minor. Nam per sacrificium obtinebitur positivum aliquod commodum, nimirum major affluentia auxiliorum supernaturalium, quibus misericordiam consequamur, & ad gratiam præparemur, ut cum D. Thoma loquitur Tridentinum. Tamen argumentatio non omnino enervatur. Nam per auxilia, quæ impetrantur per sacrificium, non remittitur effective ipsa pœna, sed disponimur ad pœnitentiam, atque ad opera satisfactoria, per quæ nobis pœna remittatur. Unde remissio pœnæ non per hoc dici potest effectus immediatus, & per se sacrificii. Est autem, nam est per se opus satisfactorium, & omnibus aliis præstantius, & aliunde nullum Sacramentum qua tale est per se remissivum pœnæ temporalis. Est item ex opere operato. Non enim requiritur actualis dispositio in offerentibus, sed solum ut sacrificium rite offerant. Confirmatur hac alia ejusdem Suarezii argumentatione satis congrua. Nam proprius, & immediatus effectus sacrificii, aut cujusquam externæ cæremoniæ ille esse videtur, ad quem obtinendum est primario, ac directe instituta; sed sacrificium & Crucis, & Altaris, & veteris legis multa, & omnia fere etiam a Paganis instituta primario sunt ad Deum pro peccatis hominum offensum placandum, ad ejus misericordiam implorandam, ad eum, qui infensus supponitur, propitium reddendum, ut

ut iræ suæ flagella a nobis avertat, id est, ut pœnam debitam remittat, aut condonet: omnis enim Pontifex ab hominibus assumptus (*Hebr.* 5.) constituitur pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, quod est esse propitiatorium, & satisfactorium, id est, pœnæ aut inflictæ, aut infligendæ remissivum: Sacrificium ergo Altaris ex ipsa sua institutione, & fine primario est pœnæ temporalis remissivum, nam æterna remitti non potest nisi deleta culpa, quæ immediate, uti diximus, non deletur per sacrificii oblationem, sed per Sacramenti susceptionem. Confirmatur item. Nam sacrificium Altaris sine injuria sacrificii Crucis institutum est, ut Tridentinum inquit, (*Sess.* 22. *c.* 2. *can.* 4) quoniam non illud evertit, sed potius ex illo vim suam omnem, & efficientiam sortitur, ad hoc enim institutum est, ut per illud salutaris sacrificii Crucis virtus applicaretur; sed Christus patiens, & in Cruce moriens operatus est Redemptionem nostram per modum satisfactionis a pœna: ergo hæc satisfactio, quæ repeti non potest, primo, quia fuit plenissima, secundo, quia Christus jam non mori, nec pati potest, debuit nobis per sacrificium applicari, atque adeo applicatio satisfactionis Christi est proprius, & immediatus Eucharistici sacrificii effectus, saltem pro iis, qui per propria opera Deo satisfacere non possunt, ut infra explicabitur. Huc accedit, Eucharistiæ immolationem proprie solum repræsentare externos cruciatus, & mortem Christi, secundum quam pro nobis satisfecit, non internos actus, per quos meruit. Unde & satisfactionis in utraque forma meminit Christus dicens: Hoc corpus meum, quod pro vobis tradetur .... hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.

13. Quoniam vero momenta isthæc non videntur rem plane conficere, nec Tridentinum Concilium, aut D. Thomas alium videntur tribuere sacrificio huic effectum, quam impetrationis, immediatum, & proprium, & D. Thomas, remissionem partis, aut totius pœnæ non videtur tribuere nisi propriæ dispositioni offerentis, & eorum, pro quibus offertur, hæc opinio probabilis solummodo, non omnino certa, & tanquam fidei dogma tenenda est, ut ipse fatetur Suarezius. (*loc. cit.*) Igitur quum neque infusio gratiæ, neque ejus augmentum, nec mortalis, aut venialis culpæ remissio, neque pœnæ temporalis condonatio, neque bonorum temporalium obtentio sit proprius, & immediatus effectus Eucharistiæ ex opere operato, quatenus sacrificium est, relinquitur, totum effectum sacrificii ex opere operato positum esse in infallibili impetratione auxiliorum supernaturalium, quatenus hostia sibi gratissima placatus, & propitiatus Dominus talia auxilia largitur, quibus cooperando peccatorum nos pœniteat, & gratiam consequamur, & a pœna liberemur, & tem-

po-

poralia subsidia, quatenus ad salutem conducentia fuerint, obtineamus. Nec tamen ideo dicendum est, ut aliqui dixisse videntur, sacrificium nullum habere effectum positivum ex opere operato. Nam impetratio auxiliorum supernaturalium effectus est quidam positivus, ut contra Suarezium dicebamus, & aliunde est ex opere operato, nam certo, & infallibiliter impetratur quodvis ex meritis Christi a quocumque non ponente obicem independenter a voluntate celebrantis, uti dictum est, & omnes consentiunt: ergo.

COROLLARIUM IV.

14. Sacrificii incruenti, sive Eucharistici vis impetrativa infinita est; actualis autem impetratio, sive cujusvis oblationis effectus, seu valor, & fructus finitus est. Prima pars constat. Nam sacrificii vis omnis ad impetrandum innititur sacrificio Crucis, cujus est repræsentatio, & meritis Christi, qui etiam in Altari hostia est, & offerens; sed sacrificium Crucis, & omnia merita Christi, & singula sunt infiniti apud Deum meriti, & pretii: ergo vis impetrativa sacrificii incruenti infinita est. Unde per unum sacrificium possent impetrari omnibus hominibus in infinitum exstituris omnia auxilia ad salutem necessaria, & quamvis Eucharistiæ sacrificium per infinita sæcula repetendum esset, & in singulis ingentes fructus quivis hominum perciperet, tamen ejus virtus impetrativa nunquam exhauriretur, quia nunquam possunt hominibus tot dona dari, aut tot peccata remitti, quam Christus vita, & morte sua meruit. Et hic proculdubio sensus est eorum Doctorum, qui Missæ unius valorem infinitum esse, dixerunt. Loquuti sunt enim de valore Missæ ad impetrandum, non de actuali impetratione cujusvis Missæ, atque ita intelligenda sunt verba D. Thomæ ajentis: (*lect. 6. in 6. Joan.*) Alia Sacramenta habent singulares effectus; sed in immolatione hujus Sacramenti (nimirum in celebratione Missæ) effectus est universalis pro tota Ecclesia, pro vivis, & defunctis, quia continetur in ipso causa universalis omnium Sacramentorum, id est Christus, qui est omnium gratiarum. In eodem sensu loquuti sunt alii cum Ruardo Tappero ajente: (*art.* 16. §. 2.) Ad omnia valet Sacramentum Altaris, ad quæ valuit victima Crucis. Nam quodcumque donum in Cruce Christus hominibus meruit, per Altaris sacrificium eis potest applicari, & ideo, inquit Suarezius in qu. 83. 3. p. artic. 1. (*disp.* 79. *secti.* 12. *ass.* 3.) quantum est ex parte sacrificii, oblatum pro multis non minus prodest singulis quoad impetrationem, quam si pro uno tantum esset oblatum.

15. Secunda autem pars propositi Corollarii est communis sententia Theologorum, & satis ex praxi, & usu Catholicæ Ecclesiæ de-

du-

ducitur. Nam si actualis impetratio sacrificii infinita esset, per unum sacrificium impetrarentur omnibus hominibus omnia dona spiritualia, immo & omnia temporalia conducentia ad sanctificationem animarum suarum, immo ad perfectionem omnem, cujus capax est natura hominis: ergo non posset Altaris sacrificium repeti, sicut repeti non debuit sacrificium Crucis, quia Christus una cruenta oblatione consummavit in æternum sanctificatos, merens eis omnia dona, & satisfaciens semel pro omni culpa, & pro omni pœna; sed sacrificium Altaris quotidie repetitur, & repetendum præcipitur omnibus festis, & feriatis saltem consulitur, & pro aliquibus etiam injungitur: ergo quia nec omnia bona, neque hominibus omnibus actu, & infallibiliter impetrantur per sacrificium incruentum. Item quia pro re eadem obtinenda multa sacrificia offerri sæpe solent, Ecclesia approbante, & hortante: ergo quia existimat impetrationem illius rei non esse infallibilem vi unius sacrificii, atque adeo actualem impetrationem sacrificii non esse infinitam.

16. Licet autem res certa sit, causa tamen a priori non est adeo certa. Nam sacrificium incruentum idem est cum sacrificio Crucis sola offerendi ratione diversa, ut Tridentinum loquitur; sed in sacrificio Crucis non solum erat infinita virtus impetrandi, sed etiam merendi, & satisfaciendi pro quacumque culpa, aut pœna: ergo idem est hoc sacrificium, atque adeo quæcumque dona actu infallibiliter per ipsum impetrantur. Porro ad hujus argumenti solutionem, & cruenti, atque incruenti sacrificii disparitatem assignandam, tria Bellarminus proponit, (*lib.* 2. *de Miss. cap.* 4.) quæ mihi, inquit, salvo meliori judicio, videntur id magis probare. Primum est ex parte hostiæ. Nam in sacrificio Crucis hostia fuit ipsum esse naturale Christi in propria forma humana; in Altari autem hostia, seu res oblata est esse mysticum, & Sacramentale Christi. Hæc tamen ratio, ut ipsemet inquit, assignat quidem differentiam inter utrumque sacrificium, sed non tantam, quanta est inter finitum, & infinitum. Nam inter esse naturale Christi, & esse Sacramentale non est infinita disparitas. Secundo assignat differentiam ex parte offerentis. Nam in sacrificio Crucis offerens fuit ipse Christus per semetipsum, & in propria persona; in sacrificio autem Missæ offerens est Christus per Ministrum, seu Sacerdotem visibilem. Hæc autem ratio, quæ Bellarmino videtur efficacior, mihi videtur infirmior. Supponit enim, Christum ita se offerre per Ministrum, ut non ipse per proprium actum sese immolet, atque offerat Patri Deo, eumque interpellet pro nobis, quod falsum est, ut supra statuimus. Tertiam rationem petit ex ipsa Christi institutoris voluntate. Nam etiam si posset Christus per unam incruentam oblationem sive per se, sive per alium factam quælibet

libet a Deo, & pro quibuscumque impetrare, tamen impetrare noluit, cujus voluntatis non est ulterior inquirenda ratio. Congruenter tamen hæ assignari possunt. I. ut sacrificium Deo gratissimum, & Religioni velut connaturale, frequenter Deo offerretur in Ecclesia. II. ut studium nostrum, ac devotio excitaretur, quæ frigesceret, ac langueret, si adeo facile, ac prompte omnia bona consequeremur. III. ut omnia fierent secundum divinæ providentiæ ordinem in rebus statutum, in quibus agentis superioris virtus universalior attemperatur, & effectum habet accommodatum naturis, & agentibus inferioribus, nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.

17. Quamvis autem hæc omnia congruenter dicta sint, tamen videtur inter sacrificium cruentum, & incruentum quoad infinitatem, nullum esse discrimen assignandum, sed dicendum cum D. Thoma; (*q. 79. art. 7.*) quod sicut sacrificium Crucis prodest quidem omnibus, & ad omnia necessaria ad salutem, quantum ad sufficientiam, non tamen habet effectum in omnibus, sed solum in illis, qui passioni Christi conjunguntur per fidem, & charitatem, ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis .... (*art. 5.*) Unde quamvis ex sui quantitate, (id est ratione rei oblatæ, & primarii offerentis) sufficiat ad satisfaciendum pro omni, & omnium pœna, (& ad impetrandum quodvis quibusvis) tamen fit satisfactorium; aut impetratorium iis, pro quibus offertur, aut etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis: igitur quum quantitas devotionis infinita esse non possit, impetratio actualis, & fructus sacrificii, aut effectus infinitus esse non potest.

18. Optima sunt ad rem præsentem verba Cajetani in 2. tomo opuscul. (*tract. 3. q. 2.*) Sumptum enim hoc sacrificium, ait, secundum opus operatum dupliciter considerari potest, nimirum secundum se ipsum absolute, & secundum se ipsum ut applicatum huic, aut illi. Si consideretur opus operatum absolute, sic est immolatio JESU Christi. Et quantitas hujus sacrificii est infinita, ita quod est infinite impetratorium, & meritorium, & satisfactorium. Est enim infinite magis gratum Deo, quam sint exosi omnes peccatores. Verumtamen sicut infinitas sacrificii cruenti est secundum sufficientiam, & non secundum efficientiam, & in genere causæ universalis, non determinatæ ad hunc, aut illum; ita & sacrificium incruentum est ex sui natura infinitæ sufficientiæ, & universalis, sive non determinatæ efficaciæ. Et sicut efficacia passionis Christi determinatur, & applicatur actu huic, aut illi per hoc, aut illud Sacramentum, ita efficacia sacrificii incruenti determinatur ad hunc, aut illum per hanc, aut illam devotionem. Et quoniam devotio pertinet ad applicationem, per quam virtus universalis Eucharistiæ determinatur ad hunc, aut illum ho-

hominem, vel effectum: in immolatione autem JESU Christi absolute, & secundum se spectata, nulla præsupponitur talis determinatio, patet, quod loquendo de effectu hujus sacrificii ex solo opere operato secundum se, nullum habet effectum particularem in homine quocumque, sed tantum in ordine ad Deum, qui per ipsum colitur, laudatur, propitiatur, & invocatur, ut tanquam protector noster aspiciat nos, prospiciens in faciem Christi sui.

19. Unde in hoc (pergit Cajetanus) apparet multorum error, qui putant hoc sacrificium ex opere operato solo habere certum terminum, & certam mensuram satisfactionis, aut meriti applicabilis huic, aut illi, tanquam partem aliquam thesauri meritorum Christi inde decerptam, & huic tali Missæ correspondentem. Hoc autem non esse verum, patet ex jam dictis. Nam in omni Missa Christus immolatur; immolatio autem Christi secundum se considerata est infiniti apud Deum pretii, & satisfactionis, & meriti: non ergo tali immolationi talis limitatus fructus, aut mensura satisfactionis correspondet, sed hæc limitatio, & determinatio aliunde sumenda est, quam ex natura immolationis.

20. Si vero sumatur opus operatum sacrificii, ut applicatum huic, aut illi, sic ejus effectus, aut fructus finitus est juxta devotionem, & dispositionem eorum, pro quibus offertur. Porro in applicatione hujus sacrificii duo sunt, nimirum applicatio ipsa, & fructus ex tali applicatione proveniens, duoque actus his correspondentes. Nam applicatio sacrificii sequitur intentionem offerentis: fructus autem inde proveniens sequitur devotionem, & sicut potest celebrans applicare, vel pro se, vel pro aliis, ita potest fructum impetrare sibi, vel aliis. Actum intentionis applicativæ exercet Sacerdos dicens: Hanc igitur oblationem tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, . . . una cum famulo tuo Pontifice nostro N., Antistite nostro N. . . . Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. N., & omnium circumstantium &c. Deinde eorum, pro quibus offert, proportionem, ac dispositionem proponit dicens: Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, ut nimirum juxta fidem, ac devotionem, tu solus cordium scrutator, preces exaudias, & postulata concedas . . . Non enim quantum intendit Minister, aut quivis offerens per sacrificium impetrare, tantum impetrat, sed quantam devotionem, & fidem habet is, pro quo offertur, tantum ex infinito illo thesauro haurit.

21. Intentio ergo celebrantis solum est, ut ex infinitis illis donis, quæ Christus nobis meruit, partem aliquam assequatur juxta suam fidem, ac devotionem hic, aut ille, pro quo, aut pro quibus sacrificium offert. Unde Sacerdos non applicat fructum Missæ per intentionem suam, sed per intentionem repræsentat Deo, tanquam publi-

cus

cus Ecclesiæ minister necessitates, & vota hujus, aut illius, ut eas Deus sacrificio Christi placatus accipiat, eumque miseratus exaudiat. Fructus enim sacrificii ex opere operato non est pœnitentia, aut remissio pœnæ, aut fides, aut charitas; sed impetratio eorum auxiliorum, quibus adjuti, contritionem, & remissionem pœnæ, & reliqua spiritualia dona consequamur, uti dictum est. Quamvis autem omnia sint, atque infinita per unam Missam impetrabilia, tamen actu non nisi determinata, & certa impetrantur per quamlibet hoc loco, aut tempore dictam, & sic, aut sic applicatam, & hoc sensu loquuti videntur Doctores illi, qui dicunt, cuilibet Missæ correspondere certam mensuram impetrationis, aut fructus. Porro hæc certa mensura major erit, aut minor secundum numerum eorum, pro quibus offertur, & eorum devotionem: numerum autem, ac internam devotionem eorum, quibus sacrificia singula applicabuntur, aut qui de ejus fructu participabunt, solus Deus novit, & fortasse ille, de quo minus Sacerdos cogitat, majorem ex suo sacrificio fructum haurit. Necesse est igitur, ut taxator, ut ita loquamur, & distributor hujus fructus sit Christus ipse, ut primarius Sacerdos, & offerens, & qui solus scit pro quibus, & quos effectus hoc, & hujus, & pro his sacrificium acceptandum sit a Patre. Qui igitur semper interpellat pro nobis Sacerdos, (*Rom.* 8.) & Episcopus animarum nostrarum, multo magis id munus exercet in sacrificio, in quo ipse sese immolat, atque offert Patri. Et hoc voluisse videtur Scotus dicens, (*quod lib.* 20.) oblationi Christi, ut a Christo est, correspondere specialem fructum ex opere operato, quando nimirum Christus aurem non accommodat intentioni, aut precibus Sacerdotis, quod & facere posse, & sæpe facere non dubium est. Nam sicut Sacerdos intentionem suam applicat pro hac, aut illa persona, ita sæpe pro hac, aut illa necessitate, uti pro dono pœnitentiæ, pro dono castitatis, pro sanitate, pro navigatione prospera; sed tamen in his sæpe Christi offerentis, & applicantis voluntas ab celebrantis intentione discordat, quia non semper Christus suam intentionem accommodat intentioni Sacerdotis: ergo similiter dissentire, aut discordare poterit relative ad personam, pro qua sacrificium offertur. Unde Samueli pro Saule sacrificia, & preces offerenti dictum est: Usquequo tu luges Saul, quum Ego projecerim eum.... (*Reg.* 1. *cap.* 16.) Nemo enim potest corrigere, quem ille despexerit. (*Eccles. cap.* 7.)

22. Sed obstant nonnulla, quæ pro majori dictorum claritate prætermittenda non sunt. Nam I. contra ultimo dicta argumentatur Suarezius: (*disp.* 79. *cit. sect.* 8.) Christus, postquam pro nobis satisfecit in passione sua, de cætero fructum nobis applicandum reliquit vel ex opere operantis per actus, & dispositionem ipsius hominis divino auxi-

auxilio adjuti, vel ex operato opere per Ecclesiam, & ministros suos juxta illud: (1. *Corinth. c.* 4.) Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, quibus commisit facultatem ligandi, solvendi, offerendi &c. ergo nullus specialis fructus correspondet oblationi, aut impetrationi, ut est a Christo, qui distinctus sit a fructu correspondente impetrationi, & applicationi a Ministro factæ. Hujus quidem argumentationis antecedens verissimum est, sed consequentia non tenet. Christus enim per passionem suam & meruit nobis, ut mereremur, & meruit nobis, ut satisfaceremus, & meruit nobis, ut impetraremus. Meritum autem, & satisfactio non sunt ex opere operato fructus immediatus sacrificii, quatenus talis, ut supra dictum est, sed solum mediatus, quatenus per oblationem intercessorem facimus Christum, ut obtineamus a Deo auxilia, quibus adjuti, contritionem, fidem, aut virtutem aliam consequamur. Fructus ergo sacrificii, qua talis, ex opere operato solum est impetratio infallibilis divini auxilii, sive ad bonum operandum, sive ad malum vitandum. Quod si ille, pro quo orat Sacerdos celebrans, gratiæ cooperetur, ejusque impulsum sequatur, fiet in eo contritio vi novi auxilii per Christum impetrati, & hoc est quod dixerunt Concilium Tridentinum, & D. Thomas citati; si autem obicem ponat gratiæ, sentiet quidem illius motionem, atque impulsum, qui tamen fine, aut effectu suo ulteriore frustrabitur ob cooperationis defectum. Itaque si pro peccatore Missa dicatur, non semper ille convertetur, quum tamen sine dubio semper adjuvetur, ut Bellarminus loquitur. (*lib.* 2. *cit. cap.* 5.)

23. Porro Sacerdos offerens, & applicans sacrificium per intentionem suam huic, aut illi, non aliud facit, nisi repræsentare Deo necessitates, & vota hujus, aut illius, cujus fides, & devotio soli Deo, non sibi nota est. Intentio ergo celebrantis veluti conditionata est, atque adeo applicatio, quæ intentionem illam sequitur, non est infallibilis: ergo neque fructus impetrationis necessario, & infallibiliter, vel quod idem est, ex opere operato sequitur intentionem, aut applicationem ab celebrante factam, sed factam a Christo, qui solus novit fidem, & devotionem ejus, pro quo sacrificium offertur. Constant autem ex ipso Suarezio duo. Primum, Christum hic non tantum offerre, quia minister in persona ejus offert ex vi primæ institutionis, sed etiam quia per aliquem actum proprium actu concurrit ad ipsam oblationem, quæ sunt ejus verba disp. & sect. cit. (*num.* 2.) Constat secundum, nimirum, Christum, neque consideratum ut offerentem in persona ministri, neque consideratum ut per se offerentem includere voluntatem absolutam de effectu impetrando. Non quidem ut offerens in persona ministri, quia illam non necessario habuit,

buit, quando Sacramentum instituit, quia neque in particulari, ut per se constat, nec in generali. Non enim voluit absoluta voluntate, ut omnia, quæ per hoc sacrificium postularentur, omnino concederentur; talis enim voluntas æquivaluisset promissioni, quæ non intercessit, neque cum ullo fundamento asseri potest, quum neque necessario sit conjuncta cum institutione sacrificii, neque ulla ratione, aut authoritate probabili constet. Immo ostendi potest non fuisse id conveniens: quia non semper expedit omne id dari, quod per hoc sacrificium postulatur: igitur ex vi institutionis solum voluit Christus hoc sacrificium tam purum esse, & plenum, ac perfectum, ut per se valeat ad Dei voluntatem inclinandam, ut postulata concedat, quamvis necessitatem non imponat ad hoc faciendum neque simpliciter, neque ex aliqua suppositione.

24. Jam vero Christus consideratus, ut nunc offerens, quamvis fortasse semper actu offerat, (quod supra sine dubio asseruit) tamen non est necesse, ut semper intendat efficaciter obtinere effectum illum, quem Sacerdos, aut alius offerens intendit, & ideo etiam ex hac parte non est necesse, ut hæc impetratio sit infallibilis. Quod autem illud necessarium non sit, patet, quia nulla lege, aut promissione se obligavit Christus ad efficaciter petendum quidquid privatus offerens petit, aut desiderat, neque hoc sequitur ex natura sacrificii, neque est semper expediens, & ex effectibus ipsis constat non ita fieri, vel ex indispositione petentium, vel etiam absque indispositione offerentis, vel ejus, pro quo offertur, ex solo libero beneplacito Dei, quo interdum ex duobus æque dispositis concedit uni, quod negat alteri, vel ex alia causa pertinente ad bonum commune, aut ad privatum alicujus personæ.

25. Habemus igitur, ut summatim repetam, duo. I. Christi actum in quotidiano sacrificio esse distinctum ab actu Sacerdotis ministri. II. Christum neque ut repræsentatum per ministrum, neque ut per se offerentem ulla lege, aut promissione teneri ad conformandam voluntatem suam voluntati Ministri, atque adeo, stante hac ministri voluntate, potest Christus oblationem sui corporis applicare efficaciter, sicut pro effectu diverso ab eo, quem Sacerdos intendit, ita pro diversa persona ab ea, cui Sacerdos applicat; sed impossibile est Christum efficaciter fructum passionis suæ applicantem non exaudiri: ergo quum diversa est applicatio Christi, ut esse potest, ab applicatione per ministrum facta, effectus impetrationis infallibiliter sequitur ad applicationem per Christum factam, & non ad intentionem, sive applicationem ministri, quod erat propositum. Hinc ad argumentum in Scholastica forma sic explicari poterit ambiguum antecedens: Christus reliquit fructum passionis suæ ex opere operato Ecclesiæ,

clesiæ, & ministris ejus per Sacramenta, concedo, & in hoc sensu dicuntur Sacerdotes dispensatores mysteriorum Dei; per sacrificium, subdistinguo; per viam efficientiæ, & immediatæ collationis, nego; per viam impetrationis, aut orationis concedo; at oratio, quæ fit pro aliis non infallibiliter exauditur, nisi Christo, ac Deo libere acceptante, nam impetratio nititur gratiæ, non debito. Quod autem additur de potestate offerendi data Sacerdotibus verum est; sed non est idem potestas consecrandi, atque offerendi sacrificium, ac potestas applicandi ad libitum fructum sacrificii, illudque particulatim his, aut illis distribuendi, quum hæc distributio facienda sit juxta fidem, ac devotionem eorum, pro quibus offertur, quæ non possunt esse nota ministris Ecclesiæ, nec Ecclesiæ ipsi, ut ex se patet. Hinc etiam patet solutio ad aliam ejusdem argumenti formam apud Castrop. (*Tract.* 22. *disp. Unic. Punct.* 6. *tom.* 4.) & alios, nimirum: Effectus sacrificii ex opere operato nemini conceditur, nisi medio Sacerdote. I. quia solus ille constitutus est dispensator mysteriorum Dei: II. quia solus in Ordinatione accepit potestatem sacrificium offerendi, & consequenter ejus fructum applicandi pro vivis, ac defunctis. Sed assumptum frivolum est. Nam etiam effectus sacrificii ex opere operantis nemini datur, nisi medio Sacerdote, quia nemo offert sacrificium, nisi Sacerdos. Sine sacrificio autem stare non potest effectus sacrificii nec ex opere operato, nec ex opere operantis. Igitur laboratur æquivoco, sic explicando: nisi medio Sacerdote tanquam conferente, aut distribuente, nego; tanquam ponente materiam, aut causam, ex qua fructus oritur, concedo. Sicut nemo participat de convivio, nisi medio coquo, non quia coquus distribuat fructum prandii, sed quia prandium distribuendum coquus facit. Probationes autem explicatæ jam sunt, quæ assumptum non conficiunt.

26. Dices: ergo intentio, aut applicatio ministri est omnino inutilis: ergo frustra optat quivis Christianus, ut pro se, aut suis sacrificium applicetur: ergo non peccat contra justitiam Sacerdos, si stipendio accepto, Missam pro largiente non applicet. Item: ergo quum vis impetrativa sacrificii secundum se spectata sit infinita, & indeterminata, & non limitetur per intentionem ministri ad has personas, aut effectus, remanet in infinitos effectus, aut personas applicabilis, & consequenter inexhauribilis: ergo tantumdem valet, si pro multis, ac pro uno applicetur, quum fructus non minuatur, aut crescat secundum intentionem ministri: ergo poterit minister multa stipendia accipere, & unico sacrificio satisfacere. Præterea Missæ, quæ ab celebrante non applicantur, dicuntur reponi in thesauro Ecclesiæ; sed si juxta intentionem offerentis non applicatur fructus sacrificii, ejus intentio nihil valet ad fructus distributionem: ergo omnium Missarum

rum valor in thesauro Ecclesiæ perpetuo est reconditus. Ulterius. Theologi communiter dividunt fructum sacrificii in specialissimum, qui respondet ipsi offerenti, specialem, qui respondet ei, pro quo nominatim sacrificium offertur, & communem, qui respondet toti Ecclesiæ fidelium tam vivorum, quam defunctorum, pro quibus in communi celebrans Deum precatur; sed hæc divisio non nititur nisi in intentione applicativa Sacerdotis sic, aut sic applicantis: ergo fructus quantitas sequitur intentionem Ministri celebrantis, cujus contrarium dicebatur.

27. Hæc tamen omnia ex datis principiis enodantur facile. Prima enim consequentia negatur. Non enim inutilis est quævis oratio pro aliis, licet non semper effectum habeat, ut patet in Samuele pro Saule preces, & sacrificia offerente. Oratio enim celebrantis refertur ad Christi applicationem, & Dei acceptationem, quibus solis, eorum pro quibus offertur, fides cognita est, & nota devotio, quam fructus sequitur, ut dictum est. Quod si hæc non habeant, sibi imputent impetrationis defectum. Similiter negatur, & propter eamdem rationem, secunda consequentia. Tertia consequentia falsa item est. Non enim stipendium datur Sacerdoti, ut fructus sacrificii huic, aut illi applicetur, sed ut speciali oratione, quæ intra sacrificium Deo gratior est, ejus meminerit. Pactum ergo quoddam est inter eum, qui stipendium offert, & Sacerdotem, nimirum, hic accipit stipendium pro congrua sua sustentatione, & pro labore, & incommodo corporali, quod pro me subit in dicendo Missam hoc die, hac hora, hoc loco. Non subit autem hunc pro me laborem, sed pro alio, si non pro me particulari oratione Deum deprecatur, nam ex generali oratione pro vivis, ac defunctis semper fructum haurire possum, & certissime haurio, si fidem, ac devotionem habeo. Tenetur ergo ad stipendium restituendum. Ad quartum dicitur, vim sacrificii infinitam, & indeterminatam determinari, & limitari ad impetrationem harum talium gratiarum, & non aliarum, ex actuali applicatione Christi, & acceptatione Dei juxta determinatum numerum, & actualem devotionem eorum, pro quibus hoc numero sacrificium offertur, quæ quidem soli Deo nota esse possunt. Non ergo potest Sacerdos unum ob sacrificium plura stipendia adæquata accipere. Non enim stipendium accipit pro applicatione fructus Missæ, quæ merissima Simonia esset, sed pro congrua sustentatione per modum eleemosynæ, vel per modum locationis, quatenus illud accipit pro labore, & corporali incommodo, quod pro largiente subit: quum ergo semel sacrificans, unico incommodo pluribus satisfacit, non potest ab singulis solidum, & adæquatum stipendium accipere. Illud autem, quod præmittitur, tantumdem valet, si pro multis, quam si pro uno applicetur, distinguen-

guendum est: tantumdem valet quod attinet ad vim impetrativam, quæ infinita est, concedo; quod attinet ad actualem impetrationem, quæ est finita, nego, vel tantum valet ad meritum offerentis, concedo, ad fructum eorum, pro quibus offertur, nego. Et in hoc sensu intelligendus est Hier. relatus in cap. non mediocriter de Cons. dis. 1., ut ibi animadvertit Glossa. Quamvis autem fructus ex opere operato non minuatur, aut crescat secundum intentionem ministri, potest tamen crescere, aut minui fructus ex opere operantis uti dictum est, non quia res oblata fieri possit gratior, sed quia gratior erit ejus oblatio.

28. Ad quartum dicitur, Authores illos improprie, immo falso esse loquutos. Thesaurus enim Ecclesiæ est infinitum pretium meritorum Christi per vitam, & mortem suam. In Eucharistia autem jam non amplius meretur, jam non satisfacit, immo nec proprie jam impetrat. Quidquid enim mereri nobis potuit, jam meruit, pro omni eo, quod satisfaciendum erat, jam satisfecit, omne illud, quod impetrandum erat, jam impetravit. Incruentum autem sacrificium institutum est, ait Tridentinum, (*Sess. cit.*) ut per illud salutaris sacrificii Crucis virtus nobis applicaretur. Unde non per quotidianum sacrificium aliquid thesauri plenitudini accrescit, nec inde aliquid per applicationem, & gratiarum in nos derivationem extrahitur, aut decerpitur, ut minuatur. Falsa item est minor argumenti. Non enim omni fructu vacuum manebit sacrificium, quamvis Sacerdos celebrans pro nullo oraret, aut ipsum privata intentione applicaret. Orat enim ibidem Christus primarius offerens, & interpellat Patrem, orat, & offert item per ministrum ipsum Ecclesia Sancta Catholica, & semper infallibiliter ex omni sacrificio uberrimos fructus percipit in omnibus membris suis, & primario quidem in prædestinatis, ad quorum profectum, & consummationem omnia cooperantur. Secundo in Sanctis, & justis, qui actu Christo fide, & charitate conjuncti sunt. Tertio in publicis personis, ad quas regimen, tuitio, propagatioque Ecclesiæ pertinet, ut Rom. Pontifex, Episcopi, & Christiani Principes, non quidem infallibiliter, quod ad ipsorum justificationem, sanctificationem, aut perfectionem spectant, sed quod spectat ad Ecclesiæ utilitatem. Quarto in omnibus his, qui fide saltem Christo conjuncti sunt, nimirum, orthodoxis, & Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. Numquam ergo sacrificium inapplicatum remanere potest, atque adeo neque ex hoc capite ad thesaurum Ecclesiæ pertinet.

29. Ad quintum dicitur eam divisionem ex antiquis Patribus non haberi, sed inventam fuisse posterius ab Joanne Majore, ut aliqui putant, vel ab Scoto, nec in omnibus satis aptam videri. Non enim offerenti, qua tali aliquis correspondet fructus ex opere operato, sed so-

solum iis, pro quibus offertur. Quod si pro se offerat, tunc ex opere operato fructum percipiet. Secundo, Doctores illi non loquuntur de fructu impetrationis, sed de fructu satisfactionis pro pœna temporali, quem ex mero arbitrio celebrantis distribui, atque ex opere operato, & immediatum effectum oblationis esse, putant. Hoc autem non est omnino certum, ut supra dictum est, & Suarezius monuit. Tertio, quia sententiam traditam non labefactat. Non enim illa divisio pertinet ad quantitatem fructus, ita ut offerenti respondeat maximus fructus, medius ei, pro quo sacrificium nominatim applicatur, minimus iis, pro quibus in communi oratur, hoc enim falsum est, nam fructus hic sequitur fidem, & devotionem eorum, pro quibus sacrificium offertur; maxima est autem fides, ac devotio in Ecclesia sanctorum, & electorum, atque adeo hi maximam, & potissimam utilitatem percipiunt, unde dicitur: In primis pro Ecclesia tua Sancta Catholica. Pertinet ergo divisio illa ad fructus qualitatem, ita ut fructus, qui respondet offerenti pro se oranti, quum personalis sit, non possit alteri communicari, nec item possit alteri suffragari fructus ille, qui respondet eis, pro quibus sacrificium nominatim offertur ex obligatione celebrantis, aut devotione, quales ii sunt, qui aliquo modo concurrunt ad oblationem, vel pro quibus Sacerdos aut ex justitia, aut ex charitate orare tenetur. Æquum enim est, ut qui in sacrificio majorem habent partem, aut magis cum offerente conjuncti sunt, cæteris paribus, majorem ex ejus opere, & oratione fructum percipiant. Hic tamen fructus non est infallibis, nisi accedente Christo applicante, & Deo gratam habente celebrantis voluntatem, & orationem. Quod in tertio fructu communi, & consequente ad generalem orationem pro vivis omnibus, ac defunctis omnes procul dubio dicere tenentur. Non enim pro omnibus Christus actu applicat fructum passionis suæ, quamvis pro omnibus, nemine excluso, Sacerdos oret, immo orare jubeatur; applicaret autem, si voluntatem suam voluntati Ministri conformare, ex lege, aut promissione teneretur. Sacerdos ergo orat duntaxat, ut Christus fructum passionis suæ, his, aut illis juxta eorum fidem, ac devotionem applicare dignetur, & hæc oratio dicitur intentio, aut etiam applicatio ex parte celebrantis; fructum autem immediate, & per se Christus applicat.

30. Sed contra hoc argumentatur Vasquezius multis. (*disp.* 231.) Nam I. inquit: Si Christus immediate, & per se aliquid ageret, ea actio meritoria esset, nam esset oblatio libera, rei gratæ, & a persona Deo grata, & cui mercedis promissio annexa est. II. Nam si Apostoli in triduo mortis consecrassent, sacrificium proprium Deo obtulissent, quale nunc offerimus; at Christus tunc per proprium actum non concurreret, quum non existeret in rebus: ergo. III. Christus

non consecrat panem per se ipsum, sed per Ministrum: ergo nec applicat per se ipsum, sed per Ministrum. IV. quia hoc videtur Christum dedecere. Dicitur enim in canone: jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum &c., sed Christus non oraret Patrem, ut oblatio sui corporis ascenderet in cœlum per manus Sanctorum Angelorum, quum ipse sit multo dignior, & Deo gratior, quam omnes Angeli: ergo. Primum autem horum futile est. Nam cur non merentur animæ beatæ, quum Deo gratias agunt, colunt, & adorant Deum: quum pro nobis orant ex affectu charitatis non necessitate coactæ? Nonnæ omnes hi actus liberi sunt, ac Deo gratissimi, & ex se præmio digni? Dices: deficere illis conditionem vitæ mortalis, aut statum viæ, quem Deus præstituit terminum ad merendum, aut demerendum. Idem ergo tibi dictum habe. Est item in Christo singularis ratio. Christus enim nihil habet ultra, quod sibi, aut suis mereatur. Nam per passionem suam, & mortem quæcumque mereri, aut impetrari possunt, meruit, & impetravit. Unde in sacrificio incruento nihil meretur, aut impetrat, sed a Patre jam sibi concessa distribuit, uti dictum est.

31. Secundum etiam facile solvitur ex supra dictis. Negatur enim id, quod supponitur, nimirum, potuisse Apostolos in triduo mortis consecrare. Immo ex hoc Vasquezii argumento confirmatur doctrina tradita. Nam juxta hanc Vasquezii doctrinam, si Christus per proprium actum concurrit ad oblationem sacrificii in triduo mortis, quando non erat Christus, non potuissent Apostoli consecrare; sed juxta communem Theologorum sententiam Christus immediate per actum proprium semper actu concurrit ad incruenti sacrificii oblationem, ut Suarezius loquitur: (3. *p. q.* 83. *art.* 1. *disp.* 77. *sect.* 1.) ergo in triduo mortis, in quo non erat Christus, nullus Apostolorum consecrare potuisset, quod Suarezius, & passim Theologi supponunt. Ad tertium vero negatur plane antecedens. Quamvis enim oblatio, & consecratio fiat per verba Ministri tanquam conditionem, cui Deus alligavit transubstantiationem, & oblationem, tamen qui immutat, & sanctificat, qui offert, & quod offertur, Christus est, cujus manus invisibiliter extenta sacrificat, ut Chrysostomus, (*homil. de propit. Judæ.*) & Patres loquuntur. Deinde considerandum est, quod alibi cum Suario, & aliis notavimus, Sacerdotem celebrantem non solum agere vicem Christi, sed etiam vicem Ecclesiæ, tanquam ejus Ministrum; & intercessorem populi. Quum igitur consecrat, agit vicem Christi, cujus verbis agit, & cujus invisibilem operationem repræsentat; quum autem se accusat, quum offert, quum deprecatur, agit vicem Ecclesiæ, cujus vota, & necessitates, atque etiam membrorum ejus in singulari preces exponit. Ex quo etiam habetur solutio ad quartum.

Nam

Nam quum sæpe in Scripturis habeatur in Psalmis, apud Tobiam, Apocalypsim &c. orationes Sanctorum ascendere ad Deum per manus Angelorum, eo loquendi modo Ecclesia utitur, Deum orans, non ut sacrificium Christi gratum habeat, aut per manus SS. Angelorum deferatur, sed ut ejus sacrificii oblationem, quæ dicitur oblatio servitutis nostræ, quatenus ab hominibus facta, qui per oblationem sacrificii Christi servitutem nostram Deo protestamur, gratam habeat, & ad se simul cum nostris deprecationibus, ac votis per manus Sanctorum Angelorum deferri jubeat, ut quod nostris meritis non valemus, eorum patrocinio assequamur.

COROLLARIUM V.

32. Sacrificium Missæ tam vivis, quam mortuis prodest. Hoc enim sacrificium propitiatorium est, quatenus Deum offensum ad misericordiam flectit, & impetratorium, quatenus ab Deo gratiam, & cœlestia dona hominibus obtinet; est autem in utroque munere virtutis infinitæ: ergo ejus virtus ad certos homines non limitatur; sed Deus potest propitius fieri, & adjuvare non solum viventes homines, sed etiam mortuos in Purgatorio existentes, de cujus veritate infra constabit: ergo hoc sacrificium non vivis solum, sed etiam mortuis prodesse potest. Idque aperte definitum est in Tridentino Concilio ses. 22. (*can.* 3.) Si quis dixerit, hoc sacrificium.... soli prodesse sumenti, neque pro vivis, ac defunctis, pro pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Confirmatur ex Canone Missæ: Suscipe, Sancte Pater, hanc immaculatam Hostiam... pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis, ut mihi, & illis proficiat ad salutem. Item: Memento, Domine, famulorum &c. qui nos præcesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis... Ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus &c. Quæ, aut similia verba inveniuntur etiam in omnibus antiquis Liturgiis. Quamvis enim omnes illæ, sicut & recentiores aliquarum Gentium, & Regularium Ordinum in singularum partium collocatione, & in verbis, quibus orationes conceptæ sunt, nonnihil differant, iisdem nihilominus membris, & partibus potioribus coalescunt, quæ sunt peccatorum ante omnia confessio, tum introitus, sive quoddam quasi proœmium, deinde Psalmi, & lectiones sacræ Scripturæ, & potissimum Evangelii, Symboli recitatio, manuum ablutio, commemoratio, & invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis, ac defunctis, gratiarum actio, & benedictio, præter oblationem, consecrationem, & communionem celebrantis, quæ non ad ritum, sed ad naturam, & rationem sacrificii spectant, ut supra statutum est. Ita Liturgia, quæ S. Jaco-

bo adscribitur, & Basilii, & Chrysostomi, & Ambrosiana, & Mozarabica, & Maronitica, & antiqua Romana, quam ante annos 700. in usu fuisse, fatetur Mathias Illiricus, qui eam in lucem dedit ante annos ducentos, ubi hæc orandi formula habetur. Pro defuncto: Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgata &c. Pro defunctis: Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem pro animabus famulorum, famularumque tuarum, ut in Sanctorum consortio vita perfruantur æterna.

33. Probatur ulterius assertio ex Conciliis Provinciarum omnium, & Gentium. Nam pro Africa habetur Concilium Carthaginiens. Tertium, (*cap.* 29.) & Quartum (*cap.* 79.) pro Hispania exstat Bracarense (*cap.* 34. *&* 39.) pro Gallia Cabilonense relatum in can. Visum de Consecr. dist. 1. Pro Germania Wormatiense, (*cap.* 10.) pro Italia Concilium Romanum VI. sub Symmacho, pro Græcia in cap. 69. Canonum Græcorum collectorum a Martino Bracharensi. Confirmaturque authoritate Patrum, nam Tertullianus antiquissimus quasi de re jam antiquo stabilita loquitur dicens: (*de coron.*) Oblationes pro defunctis, & eorum natalitiis annua die facimus, & similia alibi. Cyprianus apertissime in 1. Epist. (*Ep.* 9.) Episcopi antecessores nostri salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, & siquis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec pro ejus dormitione sacrificium celebraretur. Eusebius Constantinum, quod optaverat, obtinuisse, asserit (4. *de vit. Cons.*) ut in Basilica Apostolorum sepeliretur, & ita orationum, & mystici sacrificii communione frueretur. Ambrosius pro Theodosio, pro Valentiniano, pro Satyro se sacrificaturum pollicetur in orationibus de eorum obitu, & de obitu sororis Faustini, (*l.* 2. *epist.* 8.) non deplorandam, sed oblationibus animam ejus Domino commendandam. Ephremus Syrus (*Tom.* 1. *Surii.*) in testamento suo sacrificium pro anima sua offerri jubet. Epiphanius (*in Anaceph.*) inter Æerii errores commemorat, non oportere offerre pro iis, qui obdormierunt, itidemque Augustinus in lib. de Hæres., (*cap.* 53.) & Damascenus in lib. de 100. hæres. Cyrillus Hierosolym. (*Catech.* 5. *mystag.*) Missæ ritum describens, orationem recenset pro iis, qui obdormierunt, tum subjungit tanquam dogma Catholicum: Maximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, ac tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. Augustini innumera sunt testimonia, & liber integer de Cura pro mortuis gerenda. In confessionibus quoque (*lib.* 9. *cap.* 12.) matris suæ Monicæ ea ultima verba commemorat: Quæso, ut ad altare Domini memineritis mei. Pro eodem Augustino mortuo sacrificium fuisse celebratum, Possidius ejus disci-

discipulus scribit. Similia Gregorius, Theophylactus, Beda, Damascenus peculiarem habet orationem pro Defunctis. Satis esset pro omnibus Chrysostomus, (*hom.* 69. *ad pop. Ant.*) qui non solum id fieri posse, ac deberi scribit, sed etiam hanc doctrinam, & ritum Ecclesiam ab Apostolis desumpsisse. Non temere, inquit, hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim, illis inde multum contingere lucrum, utilitatem maximam. Idem apud Damascenum asseruit Gregorius Nyssenus Basilii frater, (*orat. pro Defunct.*) atque alii Græcorum, tenentque ex Latinis Rabanus Maurus in 2. de Inst. Clericor., (*cap.* 44.) & Isidorus in 1. de off. cap. 18., favetque Tertullianus his omnibus antiquior, dum eorum ritum vocat traditionem authricem, consuetudinem confirmatricem, fidem observatricem. Atque item ratione confirmatur. Nam is ritus stabilitus jam erat, & antiqua praxi Ecclesiæ confirmatus sæculo tertio, in quo Tertullianus floruit: cœperat ergo observari, ineunte sæculo secundo saltem, aut primo exeunte, qua tempestate in vivis erant adhuc aliqui Apostolorum, aut aliqui viri Apostolici, qui audierant eos, qui a principio viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Confirmatur 2. ex Liturgia Jacobi, qui a multis legitima habetur, aut saltem quamvis ei falso attributa, aut postmodum interpolata fuerit, saltem temporibus Apostolorum vicina est, sicut illa Clementis, quæ habetur in 8. Constitutionum Apostolicar. (*cap.* 19.) Confirmatur quoque ex tritissima illa, & verissima Augustini regula in 4. de Bapt. (*cap.* 24.) Quidquid in tota Ecclesia observatum invenitur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper servatum, ac retentum, id ex Apostolica traditione descendere, recte creditur; sed commemoratio, & oratio pro vivis, & mortuis in oblatione sacrificii in omnibus Liturgiis, & apud omnes Christianas gentes semper observata, & retenta, est & in nullo Concilio invenitur instituta. Nam primum quod de hac re loquitur, est Carthag. tertium, inveniuntur autem Patrum, & Scriptorum eo Concilio antiquiorum testimonia, Eusebii, Tertulliani, Cypriani, Clem. Romani, qui ante annum 417. scripserunt: hujusmodi igitur ritus ex Apostolica traditione descendit.

34. Dogma igitur Catholicum in Corollario assertum invictissime probatum videtur adversus eos, qui se dicunt credere Scripturis. Nam in 2. Machabæorum, (*cap.* 12.) quos libros divinæ authoritatis esse, supra ostensum est, (*lib.* 2. *prop.* 27.) habetur scriptum: Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Quibus tamen vivis, & quibus mortuis, aut quomodo sacrificium pro illis oblatum prosit, disquirendum est. Diversæ enim sunt, multumque inter se distantes vivorum, & mortuorum classes. I. ergo:

go. Ii ex viventibus, qui Electi, seu prædestinati sunt, uberrimos fructus percipiunt ex omnibus, & singulis sacrificiis. Omnia enim, & maxime pietatis opera cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt. (*Rom.* 8.) II. Fructum quoque participant Justi omnes, qui actu fide, & charitate Christo conjuncti sunt. Et hi quidem ex habituali dispositione, quam habent, vi irrevocabilis electionis, aut præsentis charitatis, quamvis actu non offerant, nec de sacrificio cogitent. Hi enim sunt viva membra, quæ exercite, atque ex opere operato participant de omni eo, quod ad salutem animæ spectat, sicut membra corporalia participant unumquodque secundum modum suum de omni eo, quod spectat ad sanitatem, & incolumitatem corporis. III. Participant omnes illi, qui saltem *fide* Christo conjuncti sunt, scilicet baptizati omnes, seu orthodoxi, & Catholicæ, atque Apostolicæ fidei cultores, sive peccatores, *sive justi* sint. Quod si justi non sint, proprie spectant ad hanc *tertiam classem*. Participant autem de fructu sacrificii, sive cœlestia auxilia infallibiliter a Deo obtinebunt per Christum, non quidem *secundum* habitualem dispositionem, quum sanctificante gratia careant, sed secundum actualem fidem, ac devotionem, qua credunt, *sperantque*, aut optant sacrificio adjuvari.

35. Supersunt autem duo vivorum genera, nimirum, Cathecumeni, qui fidem amplexi sunt, sed non eam publice per baptismum professi, & Infideles quicumque, scilicet, qui fidem nunquam amplexi sunt, ut Judæi, & Pagani, vel post baptismum deseruerunt, ut Hæretici. Et pro Catechumenis quidem publice oratum quondam in Ecclesia constat ex Clem. Rom. in 8. Constit. (*cap.* 4. 5.) & habentur hujusmodi preces in Liturg. Chrysostomi. Augustinus item (*ep.* 109.) asserit, Sacerdotem stantem ad Altare pro Catechumenis orare, & habetur in lib. de Ecclesiast. dogm. inter opera Aug. (*cap.* 30.) ibi: Quum sanctarum plebium Præsules mandata sibi legatione funguntur, humani generis causam agunt, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant, ut Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula reseretur. Idque ex Apostolica traditione descendere, ibidem dicitur. Ecclesia item Romana in die Parasceves publice pro Catechumenis orat. At in Conc. Bracarens. (*can.* 35.) & apud Chrysostom. in ep. ad Philip. (*hom.* 3.) oratio pro catechumenis prohibetur, & Ecclesia Romana orare non consuevit nisi in Parasceve, non oblato sacrificio, sicut orat item pro Judæis. Dicendum ergo cum Bellarmino, (*lib.* 2. *de Miss. cap.* 6.) & Suario, (*q.* 83. *art.* 1. *disp.* 78. *sect.* 2.) non peccaturum, qui inter sacrificandum pro Infidelibus quibuscumque, & multo minus, qui pro Cathechumenis orat privato affectu, aut sacrificium offert. Nam Paulus (1. *ad Timot.* 2.)

pro

pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, orandum hortatur, & sacrificamus, inquiunt Tertullianus, (*ad Scapul.*) & Arnobius (4. *cont. Gent.*) pro salute Imperatorum Paganorum tunc, scilicet, in mysteriis, inquit Chrys. (*hom.* 77. *in Joan.*) communes pro non initiatis preces fundimus, & pro universi orbis fructu sacrificamus. Unde in ejusdem, & Basilii Liturgia dicitur: Miserere, Domine, orbis terrarum, errantes revoca, dispersos congrega. Locus ergo Chrysostomi in hom. 3. ad Philip. & Conc. Bracarense intelligendi sunt de Catechumenis ante susceptum baptisma defunctis, ut interpretatur Suarezius. Addit item, prodesse eis sacrificium quoad fructum impetrationis, sunt enim, quamdiu vivunt, spiritualium bonorum capaces; non autem quoad fructum satisfactionis ex opere operato. Existimavit enim, sicut alii multi, sacrificium incruentum esse satisfactorium pœnæ temporalis ex opere operato. Diximus autem, satisfactionem non esse immediatum, & proprium effectum sacrificii Eucharistici, sed solum mediatum, & indirectum, quatenus eo Deus placatus, gratiam, & auxilia concedit, quibus cooperantes, per bona nostra opera Deo satisfaciamus. Quæ doctrina præ oculis habenda est ex Tridentino, & D. Thoma pro quæstionibus omnibus circa sacrificii fructum, & applicationem occurrentibus. Hæc omnia dicta sint, præscindendo a positiva Ecclesiæ prohibitione, qualis est in iis, qui justo, & publico Ecclesiæ judicio excommunicati sunt.

36. Jam vero ex dictis explicari possunt verba Augustini in 1. de Origin. Animæ. (*cap.* 8.) Inquit enim: Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? ergo quum infideles nullo modo sint membra Christi, non enim primum incorporamur Christo, nisi per fidem, nullo modo poterit pro infidelibus sacrificium offerri. Et ideo, addit D. Thomas, (*q.* 79. *art.* 7. *ad* 2.) in canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam. Hæc igitur, & similia exponenda sunt de publica, & solenni Ecclesiæ oratione, aut oblatione, vel Sacerdotis, ut publici Ministri, nomine Ecclesiæ orantis; non autem de ipso, ut privati hominis ex affectu, aut devotione intercedentis, & sacrificium applicantis. II. exponi potest cum D. Thoma eodem (*in* 4. *q.* 2. *dist.* 12.) de his, qui sunt membra Christi aut actu, aut saltem affectu, quatenus optant sacrificio adjuvari, ut verum agnoscere, & colere Deum possint, vel etiam potentia, quatenus oratur, ut fiant membra Christi.

37. Mortuorum autem tria sunt genera. Moriuntur enim quidam in mortali peccato originali, aut personali, & hi quidem in æternum ab cœlesti regno exulabunt, atque ideo ab omni spirituali auxilio, aut munere in æternum privati. Alii in statu gratiæ, non solum remissa omni culpa mortali, & veniali, verum etiam omnis pœnæ tem-

po-

poralis reatu, & hi statim ad supernam beatitudinem admittuntur. Moriuntur denique alii cum nævis quibusdam venialibus, aut cum reatu alicujus pœnæ temporalis, & hi donec purgentur, & plene satisfaciant, in Purgatorio detinentur. Primorum quidem desperata est salus, & ideo nullius auxilii, aut suffragii, aut medii ad salutem capaces sunt. Hinc pro his, qui sibi mortem consciscunt, nisi ante obitum resipiscant, sacrificium offerri prohibetur in Concilio Bracar., (*cap.* 34.) & habetur can. Placuit 16. qu. 5. Qui vero in osculo Domini moriuntur a peccatis omnibus plene purgati, sacrificiis adjuvari non indigent. Sunt enim in plena, & perfecta bonorum omnium fruitione, & gaudio. Restat igitur, ut solum animæ, quæ in Purgatorio detinentur, vivorum oblationibus, sacrificiis, atque aliis piis operibus juvari possint. Posse autem, & de facto juvari, totius Ecclesiæ consensu antiquæ, & præsentis abunde stabilitum est. Solum ergo superest explicandum, quomodo animæ illæ sacrificiis, & bonis aliis operibus juvari possunt.

37. Dictum est enim, remissionem pœnæ temporalis non esse effectum immediatum sacrificii incruenti, sed solum impetrationem infallibilem divini auxilii, cui homo cooperans, possit per propria bona opera satisfacere; sed animæ in Purgatorio hæc auxilia accipere non possunt, quum nihil possint denuo in ordine ad salutem operari, nulla meritoria, aut satisfactoria opera exercere: ergo iis animabus nullus immediatus sacrificii fructus correspondet. Dices: per sacrificium pro illis a Deo acceptatum impetrari eis remissionem aut totius, aut partis pœnæ. Non enim nomine auxilii divini intelliguntur hic illustrationes mentis, & piæ affectiones voluntatis, quibus a Deo ad bonum operandum excitamur, sed quæcumque propitii in nos Dei operatio aut conferentis bonum, aut liberantis a malo. Sed insurges: hoc Dei auxilium infallibiliter obtinetur vi sacrificii oblati pro eo, cujus fidem, ac devotionem Deus novit; sed Deo nota est fides, & devotio omnium animarum in Purgatorio detentarum, quum omnes in Dei gratia obierint, sintque Deo charissimæ: ergo omnes ex unius sacsificii fructu participabunt, id est, a pœnis omnibus liberabuntur, quod sensui Ecclesiæ contrarium esse videtur. Non enim solum pro animabus defunctorum universim, sed etiam pro una, eademque anima multa sæpe offeruntur sacrificia: ergo quia non per singula anima illa infallibiliter juvatur. Hujus autem syllogismi, præmissis concessis, distinguitur consequens, in quo falsum latet suppositum: ergo omnes de unius sacrificii fructu participabunt æque, nego; non æque, concedo. Participabunt enim secundum mensuram fidei, ac devotionis suæ. Quum autem in Purgatorio fides, ac devotio, nec crescere ad meritum vitæ æternæ, nec mi-

nui

nui possint, semper sunt in eo charitatis, & fidei gradu, in quo ex hoc mundo transierunt. Hic autem gradus non erat in omnibus idem, ut patet, unde nec pœnæ sunt pares, nec pari auxilio omnes juvabuntur. Dicitur enim: Ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, nimirum, secundum fidem, spem, & fervorem, quo eam optaverunt, & obtinere studuerunt. Omnes ergo animæ justorum, non solum defunctorum, sed etiam vivorum infallibiliter per sacrificium juvantur, & per unumquodque sacrificium, sed intra infinitam latitudinem minoris, aut majoris fructus juxta majorem, aut minorem dispositionem Christo notam, in qua actu sunt, aut in qua actu fuerunt, quum ex hoc sæculo transierunt. Hinc Ecclesia suffragia sua retrotrahit ad mortis articulum, ac de animabus quasi actu de corpore exeuntibus loquitur dicens: Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, sed Signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam. Nos quidem hostias, & preces tibi, Domine, laudis offerimus, tanquam cultum Majestati tuæ mille nominibus debitum; tu tamen benignus suscipe pro animabus illis &c. fac eas de morte transire ad vitam. Nam quamvis jamdiu in Purgatorio fuerint, tamen relative ad meritum vitæ æternæ, in eodem sunt statu, ac fuerunt in mortis articulo. Juvantur ergo animæ defunctorum justorum per oblationem sacrificii, & juvantur semper; & omnes, & infallibiliter, sed non semper ad remissionem totius pœnæ, sed non semper ad breviationem pœnæ, sed ad mitigationem quandam per ministerium Sanctorum, per aliquas revelationes divinas consolatorias aut de rebus cœlestibus, aut de humanis præsentibus, vel futuris per Sanctorum intuitum, colloquia &c. Sed hæc multo clarescent adhuc ex dicendis circa Purgatorium, atque Indulgentias, & Suffragia.

39. Nonnulla tamen contra dicta in præsenti Corollario prius explicanda sunt, quam ad reliqua de sacrificio dicenda progrediamur. Contra primam enim partem opponitur. Nam in Concilio Illiberitano (*cap.* 29.) prohibitum est, ne pro Energumenis sacrificium offeratur, aut pro eis commemoratio fiat; sed Energumeni esse possunt, non baptizati solum, sed etiam justi: non igitur pro omnibus fidelibus Christianis potest sacrificium offerri. Suarezius hujus canonis rationem reddere difficile existimat, & varias interpretationes ad illum emolliendum affert in loc. sæpius cit. (*disp.* 78. *sect.* 2.) Vera tamen solutio est, ibi non agi de oblatione sacrificii, nec de commemoratione in Missa fieri solita pro aliquibus ab Sacerdote privatim, quum dicit: Memento Domine &c. Supponendum enim est ex antiqua disciplina, quam multis firmat Bona Card., & de qua nos infra, eos qui sacrificio adstabant, munera aliqua, & dona, sive ex quibus sa-

crificium conficitur, ut panem, & vinum, sive alia quæcumque ut lac, mel, fructus, agnum &c. Deo obtulisse solitos, quæ super altare, sed ad Eucharistia separata, & propria benedictione Deo consecrabantur. Hæc autem munera, & oblationes, & eorum, qui obtulerant, nomina Diaconus elata voce recitabat. Prohibitum ergo, ne Energumenorum nomina hoc publico præconio recitarentur, quasi immundi, & qui horrori haberentur potius, quam ædificationi fratrum, maxime quum ita fere vulgo persuasum sit, non nisi in maximorum scelerum pœnam homines in hujusmodi calamitatem adduci. Quod autem ibidem (*can.* 35.) dicatur non esse energumenis negandam communionem, intelligendum est non de communione Eucharistica, sed de politica, & civili. Quod si de Eucharistica, vel in extremo articulo, vel privatim, secluso omni circumstantium horrore, & scandala. Traditam interpretationem confirmant verba ipsius Canonis. *Non enim prohibet ne pro Energumenis sacrificium offeratur, aut pro eis oratio fiat; sed solum ne nomina eorum ad Altare cum oblatione recitentur.* Quidquid tamen de hoc sit, Canon certe ille in desuetudinem abiit, sicut alii multi ad disciplinam spectantes. Et jam inde ab tempore Augustini antiquatum fuisse videtur. Augustinus enim scribit, (22. *de Civ. cap.* 8.) Presbyteros quosdam suos obtulisse sacrificium pro domo ab dæmonum vexatione liberanda. Quod si pro domo, aut bestiis id fieri potest, quanto magis pro filiis Abrahæ, quos alligavit Satanas?

40. Contra secundam autem partem, in qua de mortuis agitur, multa opponuntur. Nam I. locus ex 2. Machabæorum ad rem non facit, quia desumptus est ex libro non Canonico, aut cujus saltem authoritas a multis in dubium vocatur. II. Nam si quid valet, inde deducetur, etiam pro damnatis sacrificia offerri posse. Nam sub tunicis militum, qui eo in bello occisi fuerant, inventa sunt donaria idolorum, quod erat in lege prohibitum, & ideo dicuntur in bello corruisse: ergo in peccato mortali obierant, atque adeo in æternum damnati fuerant, & tamen pro iis sacrificia Machabæus obtulit. Idem suadere videtur authoritas Chrysostomi dicentis, orandum, & plorandum pro iis, qui in fide quomodolibet decesserunt. At Catechumeni, inquit, (*hom.* 3. *in ep. ad Phi.*) ne hoc quidem solatium percipiunt, (nimirum qui ante baptismum decesserunt) sed omni auxilio sunt destituti, uno tantum excepto. Quale illud? Nimirum, pro iis eleemosynas facere. Hinc enim aliquid refrigerationis accipiunt. Augustinus item ait: (*Ench. cap.* 110.) sacrificia, eleemosynæ, orationes pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis consolationes sunt vivorum, non adjumenta mortuorum. Quibus autem prosunt, aut ad hoc

pro-

prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio. Alibi item (*ib. cap.* 112.) de damnatis explicat illud Psalmi 77. Non enim obliviscetur misereri Deus, neque continebit in ira sua misericordias suas. Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, (Origenistis) aliquatenus mitigari. Nam etiam sic intelligi potest, manere in illis ira Dei, hoc est, ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non aliqua divini animi perturbatio. Igitur in ira sua, id est, manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus. Hanc eandem sententiam sequutus Prudentius (*Hymno* 5.) Dæmoni, & damnatis per festum Paschale solatium quoddam, & requiem tormentorum indulgeri cecinit dicens:

Sunt & Spiritibus sœpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte sacra, qua rediit Deus
Stagnis ad Superos ex Acheruntiis...
.. Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec ardent solito flumina sulphure.

41. Confirmatur id ipsum ex multis aliis antiquis Historiis, & Codicibus veterum Missarum. Nam Gregorium Trajani, & Falconillæ animas ab Inferni pœnis liberasse dicitur, ejusque rei, inquit Damascenus, (*serm. de sufragiis mortuor.*) testis est omnis Oriens, & Occidens. Macharii orationibus se, & alios damnatos adjuvari testatus est quidam Idolorum Sacerdos, ut in vitis Patrum habetur. Adrevaldus Floriacensis Monachus in lib. de miracul. S. Bened. (*cap.* 21.) narrat, Floriacenses Monachos in Diœces. Aurelianens. se fide data obbligavisse ad preces pro damnatis fundendas, quatenus & si perpetuis non mereantur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctentur a districto Judice pœnis. Hæc ille, qui vivebat ann. 890. Plures denique opponuntur Missarum, & Precum antiqui Codices, in quibus hæc, aut similis habetur oratio: Te supplices deprecamur pro anima famula tui N. quem traxisti de præsenti sæculo sine pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacræ oblationis libamina saltem tolerabilia ei fiant ipsa tormenta. Liquido ergo constat ex Augustino, Chrysostomo, Damasceno, Prudentio, ex historia, & praxi antiquæ Ecclesiæ etiam damnatorum animas vivorum suffragiis adjuvari.

42. Ad hæc tamen omnia non est difficilis solutio. Et primum quidem de authoritate libri Machabæorum non esse dubitandi locum,

supra demonstratum est. (*lib.* 2. *prop.* 27.) Deinde ex eodem capite argumentans Augustinus, ita ad suos, & nostros adversarios loquitur in libr. de cur. pro mortuis gerend. (*cap.* 1.) In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.... (*cap.* 4.) ut quibus ad ista desunt parentes, & filii, aut quicumque cognati, vel amici, hoc eis ab una exhiberetur pia, & communi Matre. Hinc ad secundum negatur plane assumptum, quod probatio adducta non convincit. Quia donaria Idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ut ex eis accipi possit, quod in reverentiam Idolorum ea desumpserint, sed tanquam victores veluti partem prædæ, quæ eis jure belli debebatur, & tamen per avaritiam venialiter peccaverunt, & propterea in bello corruisse dicuntur, nam etiam venialia peccata, ut illud Ozæ, quandoque pœna mortis punita in Scripturis inveniuntur. Quod autem non peccaverint mortaliter, patet, quia ibid. versu 45. dicitur, eos cum pietate mortem accepisse.... Unde non fuerunt ad Inferos damnati, & sic suffragia eis prodesse potuerunt. Vel dicendum secundum quosdam, quod in ipsa pugna videntes sibi periculum imminere, de peccato illo, qualecumque fuerit, pœnituerunt, & ob hoc probabiliter credi potest, ex eo, quod dicitur: cum pietate mortem acceperunt, id est, mortem, veluti suo peccato debitam pœnam cum patientia, atque animi demissione, & contritione susceperunt, & ideo pro eis facta fuit oblatio. Verba sunt D. Thomæ in 4. Sentent. dist. 45. (*q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1.)

43. Verba quidem Chrysostomi duriuscula sunt, ejusque de hac re opinionem singularem fuisse, multi testantur. Forte Chrysostomus de iis Catechumenis est loquutus, qui quamvis sine baptismo obierant, non tamen constabat, an etiam sine voto, atque animo suscipiendi baptismum, si possent. His namque nullum erat in Ecclesiæ sacrificiis, aut orationibus publicis auxilium, quum pro non baptizatis mortuis oblationes, ac preces publicæ non fierent. Solum ergo juvari privatis precibus, atque eleemosynis poterant, & de his non de certo damnatis loquitur Chrysostomus. Primus porro Augustini locus nobis potius favet, ibi enim diserte tradit valde malis, id est, reprobis nullum esse adjumentum in suffragiis vivorum. Quibus ergo prosunt, id est, non valde malis, sive fidelibus in Purgatorio detentis, his prosunt, vel ut plena sit remissio, id est, ut tota eis pœna remittatur, vel ut ipsa damnatio, id est, pœna temporalis, ad quam damnati sunt, aut brevietur, aut quodammodo sublevetur, ut supra di-

dictum est. Damnatio enim in illis verbis large accipitur pro quocumque cruciatu, aut pœna, ut sic includat ipsam pœnam Purgatorii, quæ quandoque totaliter per suffragia expiatur, quandoque autem non, sed solum diminuitur. Verba sunt D. Thomæ in cit. loco, super quartum Sententiar. Secundum autem Augustini testimonium ad rem non facit. Non enim ibi Augustinus in propria sententia, sed ad Origenistarum sensum loquitur. Permittit vero eis, ut ita locum Pauli interpretentur, ut manente ira Dei, id est, perpetuo cruciatu damnatorum, possit is mitigari juxta verbum Psalmi. Permittit autem, non quia verus sensus Psalmi ille sit, sed quia non est hæreticus, & fidei contrarius, sicut ille, quo Reproborum pœnam aliquando finem habituram somniabant. Non esse autem hæreticam opinionem illam patet, nam etiam post Quintam Synodum, in qua Origenistarum error ille damnatus est, multi Doctores Catholici Reproborum pœnam nonnihil mitigari posse censuerunt, nominatim Glossa in c. Tempus 13. q. 2. & alii apud Sixt. Senensem in 6. Bib. Sanctæ. (*an.* 47.) Nec omnino abhorret Scotus apud Suarezium. (*disp.* 78. *sec.* 3.) Hanc porro quamvis falsam, non tamen ab Ecclesia damnatam sententiam sequuti sunt Damascenus, si Oratio pro defunctis illius est, & Prudentius in 5. illo hymno Καθημερινῶν.

44. Ad Historias porro illas Macharii, & Gregorii Magni de animabus Pagani Sacerdotis, & Trajani dici potest I. fabulosas esse, & ab eorum librorum Scriptoribus nimia credulitate susceptas, de quo singulari dissertat. Nat. Alex. (1. *sæc.* 2.) II. præscindendo ab historiæ veritate, aut falsitate dicendum cum D. Thoma, (*loc. cit. ad* 5. *&* *in* 1. *dist.* 43. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 5.) quod hi non erant finaliter damnati; Presciebat enim Deus, eos Sanctorum precibus ad vitam revocandos, & ibi peccata eis remittenda.... Vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a pœnis absoluta, sed quod ejus pœnæ ad tempus fuerit suspensa, nimirum, usque ad diem judicii. Hæc D. Thomas, qui pro innata illa sua in antiquos reverentia, & maxime in Damascenum, cui erat addictissimus, de facti quæstione disceptare noluit, sed ea cura Criticis aliis relicta, factum cum sana Theologia componere. Unde præmittit: dicendum quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari. Nullo ergo ex capite apparet, factum illud D. Thomæ quondam juveni id persuasum fuisse, quum D. Thomas in utraque responsione a fabulosa illa narratione, ut vulgo ferebatur, se fuisse alienissimum ostendat. Nam in 1. dicit, fieri potuisse, ut Trajanus ad vitam revocatus pœnitentiam egerit, quod Joannes Diaconus in vit. Gregorii non scripsit, nec Damascenus asseruit. In 2. ait, fieri potuisse, ut pœna non sit ei omnino remissa, quod in narratione habetur, sed aliquatenus suspensa.

Non

Non igitur D. Thomas aut juvenis quondam, aut maturior adeo sale Critico caruit, ut fabulosum quiddam in ea narratione non deprehenderet: oculos quidem habebat, quibus antiquorum nuditatem cerneret, sed modestos tamen, ut cooperire, & tegere quoquomodo posset, quam ostentare, quod nuperi Critici faciunt, & subsannare vellet.

45. Porro ut de facto ipso aliquid ex Natali laudato dicamus, Macharii historia non habetur nec in Lausiaca Palladii historia, quam citat Pseudo Damascenus, nec in vitis Patrum, quas citat D. Thomas, licet ibi multa de Macario narrentur. Historia Trajani nullus est contemporaneus author. Primum invenitur apud Joannem Diaconum, qui post annos trecentos vixit, eamque se desumpsisse tradit non ex Romanæ Ecclesiæ scriniis, ubi sincera Gregorii *Acta diligenter* asservabantur, sed ex quibusdam Anglicanarum, aut *Saxonicarum* Ecclesiarum monumentis, de quibus ipse dubitat Scriptor. *Illa* enim narratione præmissa, subdit: Sed quum de præcedentibus miraculis nemo sit Romanorum, qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, ob id vel maxime dubitare videtur, quod tantus Doctor nequaquam præsumeret pro Pagano prorsus orare, qui *quarto* Dialogorum suorum libro docuerit, eandem causam esse cur non oretur a Sanctis in futuro judicio pro peccatoribus æterno igni damnatis, quæ nunc causa est, ut non orent sancti Dei homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis. Ad Damascenum porro dicendum est, eum non esse authorem ejus orationis, in qua hæc habentur. Nam ibi etiam legitur ex Apocryphis Actis S. Theclæ, Falconillam ejus precibus ab Inferis liberatam; ibi habetur, omnes Ethnicos Philosophos, qui secundum rationem vixerunt, & providentiam Dei agnoverunt, per Christum ad inferos descendentem liberatos fuisse; ibi habetur, neminem, qui Christi verbis fidem adhibuerit, periturum esse, & alia hujusmodi. Athanasius, & Gregorius Nyssenus falso citantur: denique ipsi Damasceno contraria, & aperte pugnans doctrina affingitur. Docet enim Damascenus verus in 2. de fid. orth. Angelis lapsum fuisse, sicut homini mortem. Post lapsum enim præclusa est illis omnis resipiscendi facultas, sicut hominibus postquam ex hac vita migrarunt. Dicendum II. Damascenum forte Anglosaxonum narratione deceptum fuisse, quod quidem durum videtur; sed non est omnino incredibile, quum Antoninus, Vincentius Bellovacensis, Tostatus Abulensis, Joannes Gersonius, Hieronymus Lanuzius Episcopus Balbastrensis, Alphonsus Ciaconius, & qui hujus patrocinium suscepit Martinus Azpilcueta Navarrus pii, ac docti viri idem tradiderint, & penultimus ex iis singulari libro mordicus propugnaverit. Quisnam mirabitur, fabulam illam ab Pseudo Damasceno depromptam in Eucho-

ehologias Græcorum irrepsisse, quum etiam in Latinorum Breviaria irrepserit. Vidi egomet Bononiæ Breviarium Ordinis Prædic. typis excussum, ubi in officio S. Gregorii ad diem Martii 12. eadem commemoratur.

46. Jam vero quod de suis Floriacensibus Monachis scribit Aldrevadus se, fide data, ad orandum pro damnatis obligasse, non nisi Monachorum noni, ac decimi sæculi barbariem, & ignorantiam probat. Forte etiam probabilem opinabantur sententiam eorum, qui existimarunt damnatorum pœnas, quamvis non finiri, aut suspendi, saltem mitigari posse per suffragia vivorum, atque adeo falsa pietate ducti, intercessores se, atque Advocatos damnatorum constituerunt. Ea autem opinatio præsumptuosa est, (*in suppl. q.* 73. *art.* 5.) & Sanctorum dictis contraria, vana, & nulla authoritate fulta, etiam irrationabilis, tum quia damnati sunt extra vinculum, & ordinem charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis, tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt...... Unde tutius est simpliciter dicere, quod suffragia nullo modo prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit.... (2. 2. *q.* 10. *art.* 2.) Maximam autem habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa Catholicorum Doctorum doctrina ab Ecclesia authoritatem habet, unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quam Augustini, aut Hieronymi, aut cujuscumque Doctoris. Verba sunt D. Thomæ. Porro ex Floriacensi Monasterio ad alia facilè opinio illa pertransiit, unde similes Collectæ in aliis etiam Breviariis insertæ sunt, maxime quum eo tempore Monachi in exscribendis libris, præsertim Ecclesiasticis, & ad usum Chori spectantibus, Breviariis, Ritualibus, Sacramentariis, Antiphonariis, Missalibus occuparentur. Quum igitur antiquitus Monachi Lateranensi Ecclesiæ inservirent, inde in Scriniis Lateranensis Ecclesiæ nonnulla exemplaria Missalium cum ejusmodi orationibus, & portentosis Collectis inveniuntur, nulla interposita Ecclesiæ Catholicæ authoritate, approbatione, aut communi per orbem terrarum usu.

47. Contra aliam quidem assertionis partem opponitur I. Nam pueri, qui ante usum rationis cum baptismo moriuntur, proculdubio ad cœlos advolant, Deique conspectu fruuntur; sed pro his, D. Thomas sacrificium offerri posse, diserte docet in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. ergo pro Beatis sacrificium offerri potest. II. In Missalibus antiquis ad festum S. Leonis hæc dicebatur Collecta: Quæsumus Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio &c. Dices. In ea Collecta non ita legendum, sed ut nunc habetur: Quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis, hæc nobis prosit oblatio. Sed contra. Nam vel ita orando eumdem sensum semper habuit Ecclesia, vel diversum

sum ab eo, quem nunc habemus? Si primum: ergo Oratio illa mutari non debuit. Si diversum: ergo quum lex credendi legem statuat supplicandi, antiqua Ecclesia credidit sacrificium beatis prodesse, quod præsens Ecclesia non credit. In rebus autem fidei id verius, quod antiquius: ergo oratio illa mutari non potuit. Mutatam autem fuisse publica authoritate, constat ex cap. Quum Marthæ de celebr. Miss. III. Si Beatis Missa non prodest, cur in Missa commemorantur, invocantur, orationes ad ipsos diriguntur &c. Hæc Kemnitius, qui etiam addit, eam SS. commemorationem esse Christo injuriosam, ac Deo, cui soli sacrificium debetur, & sacrificii institutioni repugnantem.

48. Horum omnium tamen facilis est responsio. Ad primum distinguo minorem: pro iis sacrificium offerre licet juxta D. Thomam, quatenus expiatorium, aut propitiatorium est, nego; quatenus *Latreuticum*, & Eucharisticum est, sive laudis, & gratiarum *actionis*, concedo. Deinde quum pueri, quamvis ad usum perfectæ *rationis* non pervenerint, possint tamen habere libertatem sufficientem ad peccandum venialiter, potest ad expiationem hujusmodi sacrificium offerri. Et ideo D. Thomas subjunxit, hoc fieri posse ad *consolationem* parentum, si nimirum anguntur eo, quod filios jam *venialis peccati* capaces decessisse existiment. Ubi autem hujusmodi timor non adest, sacrificium tam pro eis, quam pro aliis Beatis offerri minime potest, nisi modo jam explicando. Ad secundum distinguenda sunt tempora, & disciplina Ecclesiæ circa publicum, & solennem cultum Sanctorum. Mutatum est quidem in collecta illa, & quidem justissime. Non enim facta est mutatio propterea quod nunc non credatur prodesse mortuis beatis sacrificia, & preces vivorum, quod ante crederetur. Non, inquam, sed quia de æterna beatitate Leonis, aut cujusvis beati non constabat antea, sicut nunc constat. Igitur sicut oblatum est sacrificium pro anima S. Monicæ, & pro Augustino, teste Possidio, & pro Ephremo recens mortuis, nunc autem post eorum beatitudinem miraculis a Deo confirmatam, & solenni, ac publico Ecclesiæ judicio declaratam offerri non potest, ita potuit offerri sacrificium pro Leonis Pontificis anima, quod nunc non potest, sicut nunc potest offerri, & orari pro Josephi Laureti anima, quæ anno alio fieri non poterunt, si inter Sanctos adscribatur. Antiquitus item nullis cultus publicus dabatur nisi B. Mariæ, Apostolis, & Martyribus. Unde oratio B. Leonis ita retinebatur, sicut concepta fuerat eo tempore, in quo pro ipso orare licebat; ejus autem cultu deinde per universam Ecclesiam recepto, lectio mutanda fuit, ne præberetur occasio credendi, Ecclesiæ suffragia Beatis prodesse, quem timorem non vanum fuisse, ipsemet satis exemplo suo monstrat argumentator ineptus.

49. Kem-

49. Kemnitio autem interroganti cur, si Missa non prodest Beatis, in ea commemorantur, invocantur, celebrantur? &c. Responsum est jam dudum ab Augustino: (20. *adv. Faust. c.* 21.) Nulli Martyrum, quamvis in memoriam Martyrum constituimus Altaria ... Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud Memorias, & monumenta eorum, quos coronavit ... (8. *de Civ. c.* 27.) Martyribus non constituimus templa, Sacerdotia, sacra, sacrificia ... sed in celebritate illorum, Deo vero de illorum victoriis gratias agimus, & nos ipsos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur .... (22. *de Civ. cap.* 10.) Non Martyribus, sed Deo immolamus, ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, & non Sanctis sacrificat, quamvis in memoriam eorum sacrificat .... (*tr.* 48. *in Joan.*) Nec sic Sanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis. Pulchre autem notat Augustinus, Beatos a Sacerdote in actu sacrificii nominari, & commemorari, non invocari. Non enim in toto Canone Missæ cum Sanctis Sacerdos, sed cum Deo loquitur, & bis quidem Sanctos commemorat primo dicens: Communicantes, & memoriam venerantes, ubi Deum precatur, ut meritis, precibusque Sanctorum nobis concedat, ut in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Secundo dicens: Nobis quoque peccatoribus, ubi Dominum precatur, ut in Sanctorum consortium nos, non æstimator meriti, sed veniæ largitor admittat. Nec in ulla Collecta earum, quæ in Missa dicuntur, postulat directe Sacerdos etiam extra Canonem, ut pro nobis orent, sed ut Deus eos ad orandum pro nobis moveat, & orantes exaudiat per Christum D. N. Quod si aliquando in versiculo aliquo extra Canonem, id est, extra actum sacrificii, ut in Graduali, Communione, Postcommunione &c. invenitur Sacerdos directe Sanctos alloqui, ut quum dicitur: Solve jubente Deo &c. Fac nos innocuam Joseph &c. Recordare, Virgo Mater &c. id quidem, uti diximus, extra actionem sacrificii est. II. rarissime occurrit. III. in Missis quibusdam recentioribus.

50. Commemoramus etiam Sanctos, ut eos honoremus. Nam etiam pro Martyribus, ait Chrysostomus, (*hom.* 21. *in Act. Ap.*) magnus honor est, nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Breviter rem omnem complexa est Ecclesia dicens: ut illis proficiat ad honorem; nobis autem ad salutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Nulla ergo fit injuria Christo,

qui Sanctos, & amicos suos ita honorare voluit, ut quod nostris me-
ritis non valemus, eorum patrocinio assequamur: qui in Sanctis suis
glorificari voluit, dum Sancti non nisi in Christo, & per Christum
glorificantur: qui ipsos ex sui charitate ad orandum pro nobis im-
pellit, ac movet, & orantes exaudit: qui in Sanctis suis triumphat,
& mundum vincit, dum eorum triumphi, & palmæ celebrantur. Ne-
què fit injuria Deo, cui soli sacrificium debetur. Non enim per Chri-
sti immolationem honorantur Sancti, quippe non illis, sed Deo sa-
crificatur, & offertur victima; sed ut ipsa sacrificatio, sive actio no-
stra magis sit grata Deo, in præcedentibus, aut subsequentibus pre-
cibus Sanctorum intercessionem imploramus. Non etiam usus com-
munis totius Ecclesiæ commemorandi, & invocandi Sanctos repugnat
institutioni sacrificii. Non enim in actione sacrificii aliud facimus,
quam quod Christus fecit, & in commemorationem ejus, quod Chri-
stus fecit. Sed in Cœna non solum res oblata, nimirum, corpus, &
sanguis Christi, sed ipse offerens, & victimæ oblatio purissima, at-
que immaculata omnino erant; at in nostri Altaris sacrificio, quam-
vis eadem sit hostia munda, & immaculata, at Sacerdos, qui mini-
sterio Ecclesiæ fungitur, & actio, qua offert, inquinata, & polluta
esse possunt, sicut homines, & humana omnia, unde opus est, ut
se peccatorem fateatur, & suæ immunditiæ conscius opem amicorum
Dei imploret, ut quod meritis suis non valet, eorum patrocinio as-
sequatur. Et hoc bene adnotavit Suarezius dicens: (*loco cit.*) Distin-
guenda est substantia sacrificii ab aliis precibus, quæ cum illo ex
institutione Ecclesiæ conjunguntur. Sacrificium ergo Deo tantum offer-
tur in cultum .... at vero orationes adjunctæ sacrificio &c. bene pos-
sunt directe fieri, vel offerri in honorem Sanctorum, quia non sunt
sacrificium, neque continent cultum Latriæ, sed solum sunt vota mi-
litantis Ecclesiæ, & pia desideria celebrantium, quibus directe preca-
ri Sanctos possumus, ut pro nobis orent, ac Deum, ut pro nobis o-
rantes exaudiat. Unde sicut non dedecet, ut Sacerdos repræsentans
Christum, se indignum, & peccatorem fateatur, ita non dedecet, ut
Sanctorum intercessionem imploret. Rem totam breviter complexus
est D. Thomas, dicens: (*q. 82. art. 7. ad 3.*) Sacerdos in Missa in o-
rationibus quidem loquitur in persona Ecclesiæ, in cujus unitate con-
sistit; sed in consecratione loquitur in persona Christi, cujus vicem
gerit per ordinis potestatem.

51. Argumenta vero, quibus Missam animabus in Purgatorio deten-
tis prodesse impugnant Protestantes, alibi quum de suffragiis, (*lib.*
16. prop. 7.) quum de Indulgentiis, (*ibid. pr. 8.*) quum de Purgato-
rio (*lib. 18. pr. 3.*) tractabitur, opportunius diluentur.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Sacrificium non conficitur nisi in Pane triticeo, & vino vitis, aqua modica admixta.

D. Thomas 3. p. q. 74. art. 1. & 4.

1. RElictis Hæreticorum erroribus, de quibus dictum alibi, (*prol.* 2.) Catholica doctrina stabilitur I. ex ipsa Christi institutione. Scriptum est enim: (*Mat.* 26.) Cœnantibus autem eis, accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate. Hoc est enim Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes, Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Panis autem, quem Christus consecravit, procul dubio ille erat, quem ad prandium adhibebant ex communi usu Judæi, & omnes Palæstinæ populi, nimirum, panis triticeus: ergo in pane triticeo Christus consecravit. Nobis autem præcepit, ut quod ipse fecerat, in sui memoriam faceremus: non igitur Eucharistiam nisi in pane triticeo facere possumus. Simile argumentum de vino efformatur. Nam pro vino Calicem esse metonymicos positum, nemo est, qui dubitet, nam liquida manibus haberi non possunt, nisi in vase contenta. Potus autem in mensis Hebræorum & adhiberi solitus erat vinum ex vite, ut ex tota Scriptura constat, & in illa potissimum mensa tale vinum fuisse, manifeste patet ex verbis Christi: Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c. Quamvis enim hæc verba, non de Calice consecrato, sed de Calice communi post cœnam legalem dicta esse teneant multi cum Bellarmino, (1. *de Euc. cap.* 11.) & Suarezio (3. *p. disp.* 45.) ex Hieronymo, (*in cap.* 26. *Mat.*) & Theophilacto, (*in cap.* 22. *Luc.*) tamen id vim nostræ argumentationis non enervat. Sive enim ea verba ante consecrationem Christus dixerit, ut habetur apud Lucam, (*cap.* 22.) sive postmodum, ut est apud Mathæum, (*cap.* 26.) & Marcum, (*cap.* 14.) tamen Christus vinum illud, quod in mensa positum fuerat, genimen vitis esse manifestissime asseruit; sed ex vino Calicem sui Sanguinis consecravit, nam si calicem, & potum alium ab eo, qui erat in Cœna Agni diversum afferri jussisset, illud proculdubio Evangelistæ non tacuissent: Christus ergo vinum ex vite in suum sanguinem convertit. Sacerdotes igitur Christi, quibus id præcipitur facere, quod ipse fecit, non nisi in vino de vite expresso possunt Eucharistiam conficere. In eoque omnes cum Catholicis conveniunt Recentiores Hæretici Calvinistæ, Lutherani, Zuinglia-

gliani, quamvis aut trasubstantiationem, aut realem Corporis Christi præsentiam negent.

2. Stabilitur II. authoritate Conciliorum. Nam in Carthagin. tertio (*cap.* 24.) sic habetur scriptum: in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum. Primitiæ ergo, seu fructus, aut mel, & lac, quæ pro infantium mysterio solent offerri, quamvis in altari offerantur, suam habent propriam benedictionem, ut ab Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur. Quod idem habetur in tertio canone eorum, qui dicuntur Apostolici, & ex antiquissimis Conciliis excerpti sunt. Exstat Canon. Concilii Quinisexti, quod in Trullo dictum est, ordine duodevigesimus, & hoc antiquior Canon. Concilii Bracarensis ordine secundus. Idem colligitur ex Actis Concilii Chalcedonensis. Nam in action. 3. habetur libellus Ischirionis adversus Dioscorum, in quo queritur, ejus avaritia factum esse, ut in Lybia incruentum sacrificium non offerretur, defectu nimirum tritici, quod quum rarum esset, ab illo Dioscoro non nisi maximo pretio vendebatur. In action. 10. exstat libellus Patrum Edessenorum adversus Ibam, quod in Memoria SS. Martyrum non est datum vinum ad sacrificium Altaris nisi admodum exiguum, & vitiosum, ac cœnosum, & quasi eo tempore vindemiatum. Idem habetur ex Epistol. Alex. 1. ad omnes Episcopos, quam hic citat D. Thomas, (3. *p. q.* 74. *art.* 1.) & habetur in tom. 2. Conciliorum: In Sacramentorum oblationibus panis tantum, & vinum offeratur.

3. Stabilitur III. ex traditione Patrum omnium sæculorum, quorum plura testimonia supra allata sunt prop. 2. & 3. Passim enim de Pane, & vino mentionem faciunt; alterius autem materiæ nunquam meminerunt. Panis autem quum simpliciter dicitur, non relate ad gentem aliquam, aut morem prænotatum, de solo triticeo intelligitur, & vinum de solo eo proprio liquore, quod ex vite exprimitur.

4. Stabilitur IV. Ex praxi, & perpetuo Ritu omnium Ecclesiarum tam Orientalium, quam Occidentalium, quæ patent ex omnibus Liturgiis, Missalibus, Ritualibus, & Euchologiis quum antiquis, tum Recentioribus. Ex quo factum est, ut si quæ Gentes, aut privatæ aliud quicquam in sacrificio offerrent, statim ab cæteris proscriptæ sint, ac damnatæ. Sic Latinos, quamvis falso, reprehendit Photius in sua illa Encyclica, quod in Altari cum pane, & vino Agnum offerebant. Sic Artotyritæ, quod pro pane caseum offerrent, ut Hæretici damnati sunt. (*apud Epiph. hær.* 49.) Sic qui pro vino uvas integras offerebant, sic Ebionitæ, qui apud Epiphanium, (*hær.* 47.) meram aquam ad sacrificium adhibebant. Sic Hydroparastæ apud Gennadium, (*de Eccl. dogm. cap.* 35.) & Augustinum (*hæres.* 64.) Hære-

retici sunt habiti, quod aquam offerrent in poculo Sacramenti, non illud, quod tota Ecclesia. Qui Lac pro vino offerebant, damnati sunt in 3. Concilio Carthaginiensi, cap. 24. Et similiter omnes alii, qui aliquid præter panem ex tritico confectum, & vinum ex vitæ expressum offerebant. Solum ergo Panis triticeus, & vinum ex vite sunt idonea, & simpliciter necessaria materia sacrificii, quod erat primo probandum.

5. Ex hac tamen speculativa assertione ad practicum usum descendendo, dubium non contemnendum occurrit. Nam sicut Christus, uti Latina tenet Ecclesia de quo infra, panem Azymum, qui in mensa tunc erat, consecravit, ita consecravit panem triticeum, qui apud illas gentes in usu erat; sed ex quo azymum consecraverit, non infertur fermentatum non esse idoneam materiam sacrificii. ergo ex quo consecraverit panem triticeum, non infertur hunc solum esse idoneam sacrificii materiam. Confirmatur. Nam ex Evangelio solum habetur Christum consecrasse panem; & ex declaratione Ecclesiæ solum habetur panem esse materiam idoneam sacrificii cap. firmiter de Sum. Trin. cap. Quum Marthæ de Celebr. Mis. sed panis genus est, cujus plures sunt apud varias gentes species: ergo in illarum quavis valide consecratur, & non solum in triticeo. Tertio. In Concilio III. Carthag. (*cap.* 24.) dicitur, nihil esse offerendum quam de uvis, & frumentis; sed in frumento non triticum solum, sed multæ aliæ species continentur: ergo non solum triticeus panis, sed etiam quivis frumentaceus apta materia sacrificii est. Quarto. Materia sacrificii debuit assignari certissima; sed frumentum, sive omne id, quod ex spica nascitur, est materia certissima; triticum autem, cui multa alia similia sunt, ut far, siligo, hordeum, oriza, millium, vitia, quæ Spelta dici solet, typha, quæ vix distingui possunt, & ex tritico seminato quandoque nascuntur, est species incerta, & ambigua, quum panis ex iis omnibus fieri possit, & apud gentes aliquas communis, & usitatus panis sit: ergo &c. Quinto. Communiter PP., & Doctores Dei providentiam extollunt, quod sacrificium instituerit in rebus vulgatissimis, & facile parabilibus; sed hoc falsum esset, si solus panis triticeus esset materia sola Eucharistiæ, nam triticum in magna Asiæ, Africæ, & Americæ parte non nascitur, neque illuc deportari potest nisi ab longinquissimis regionibus, & pretio non exiguo: ergo &c. Similia argumenta circa vinum confici possunt.

6. Quibus tamen præjacta propositio non convellitur. Ad primum enim negatur consequentia. Nam Azymum, aut fermentatum non variant substantiam, & speciem naturalem panis, in qua Christus consecravit, & Ministros suos consecrare præcepit. Unde consecrando in azymo, aut fermentato, faciunt id, quod Christus fecit; at consecrando

do in pane non triticeo, tam non faciunt quod Christus fecit, quam si in pane ex faba, aut ex radice aliqua consecrarent, qualis in usu est apud Occidentales Indos. Ad secundum dicendum: verba Scripturarum in proprio sensu accipienda, quando obstat nihil juxta communem Patrum regulam. Panis autem proprie nihil aliud significat nisi massam ex farina triticea aqua subactam, atque igne coctam, aut assam. Panes autem alii non dicuntur nisi improprie, nec videntur introducti, inquit D. Thomas, (*q.* 74. *art.* 4.) nisi in defectu panis triticei, ut apud Sinas, & Japones ex oriza, apud Americanos ex Maizio, sive grano Turcico &c. Idem dicendum de vino, (*q.* 74. *ar.* 5.) quod proprie non dicitur nisi liquor ex uvis expressus, quamvis ab effectu omnis potus inebrians, vinum improprie dicatur, ut quod ex hordeo, aut Maizio, aut pomis conficitur, vel ob uvarum defectum, vel ob luxum, aut aliam ob causam. Ad tertium dicendum: in Carthag. Concilio frumentum positum esse pro tritico, ut in Deuteronomio (*cap.* 8.) in terram frumenti, hordei, & vinearum. Et apud Zachariam (*cap.* 9.) frumentum electorum, & apud Jeremiam: (*cap.* 31.) Confluent ad bona Domini super frumento, & vino, & oleo. Triticum enim præstantissimum est, & utilissimum, & usitatissimum frumentorum. Unde frumentum simpliciter sumitur jam vulgo pro nobilissima specie frumenti, id est, pro tritico. Atque idem de vino dicendum est, quod nomen multis etiam potuum generibus tribui solet, uti dictum est. Ad quartum dicendum, ait D. Thomas, quod generans generat sibi simile in specie; fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter defectum virtutis generativæ. Et ideo si qua alia frumenta sunt, quæ ex semine triticeo generari possunt, (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) (*Candeal.*) ex tali frumento panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, (*cebada.*) neque in Spelta, (*Latine Zea, aut Alica*) (& multo minus in millio, (*mijo*) oryza, (*Arruz.*) avena, (*avena.*) lolio, aut zizania) (*zizana*) neque etiam in farre, (*farro.*) quod inter omnia est grano tritici similius. Siligo autem, de qua loquitur D. Thomas, varie accipitur, unde Theologi nonnulli aptam Sacramento materiam esse negant. Siliginem, inquit Plinius lib. 18. cap. 7., dixerim tritici delitias, candor est sine virtute, sine pondere conveniens humidis tractibus.... Omne enim triticum, (*Colum. lib.* 2. *cap.* 9.) in solo uliginoso post trinam arationem convertitur in siliginem. Ex siligine autem panis conficitur laudatissimus, quem propterea Seneca delicatum vocat, (*ep.* 119.) ut eum ab communi, & plebeio distinguat, unde illud Juvenalis: (*Sat.* 5.)

Sed

Sed tener, & niveus, mollique siligine factus
Servatur Domino.

Siligo igitur hujusmodi tritici species est, & idonea sacrificii materia. Atque idem dicendum de tritico trimestri, vulgo *Trimesino*, quod est apud Columellam (*lib.* 2. *cap.* 6.) pondere, & bonitate præcipuum. Huic simile est Ador, sive semen adoreum, quod Plinius (*lib.* 18. *cap.* 8.) inter tritici species numerat. Typha autem vulgo *Centeno*, quamvis ex tritico nascatur, dubia materia habetur, quod si dubia est, nulla est in materia Sacramentorum. Igitur regula D. Thomæ sic intelligenda est, ut Triticum dicatur, & sit, quod ex grano triticeo primum seminato nascitur.... Unde ex talibus, inquit, frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici incorrupto generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus Sacramenti. Triticum ergo certissima, & notissima species est in toto orbe terrarum, & minus late patens, quam illa frumenti, quamvis nec ista atoma sit. Quæ autem differentiæ mutent, aut non mutent speciem propter nominum ambiguitatem, non ab Theologis, non ab curiosis Historiæ naturalis Scriptoribus, sed ab Agricolis, & iis, quorum ea scire interest, in praxi investiganda sunt. Ad quintum dicendum: quamvis triticum, aut uvæ non ubivis nascantur, tamen ab alia in alias regiones deferri posse, & de facto adsportari, licet non in ea quantitate, quæ ad communem cibum, aut potum satis sit, in ea tamen modica, quæ ad Religionis mysteria servire possit, sicuti ad luxum, & delitias multa alia convehuntur. Adde, vix ullam esse urbem, aut provinciam, cui non de proximo farina triticea, aut vinum devehi possit. Adde, parum frumenti, aut uvæ vix in quavis provinciæ non colligi. Quod si ab longinquo, & cum sumptu aliquo deportanda hæc sunt, ad hoc satis est quarta pars bonorum Ecclesiasticorum, quæ Fabricæ assignantur, dotesque Ecclesiarum, & Monasteriorum plerumque opulentissimæ, de quibus alibi. (*lib.* 12. *pr.* 11.)

7. Porro utramque materiam aliquomodo sacrificanti præsentem esse oportere, & in ea quantitate, quæ sit sensibus humanis pervia, manifestum est ex fine, & usu Sacramenti. (*q.* 74. *art.* 2.) In omnibus enim rebus materialibus ratio determinationis materiæ desumitur ex ordine ad finem, sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta secando. Finis autem Sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, ut Sacramenti hujus quantitas determinetur per comparationem ad fidelium usum; non autem ad usum fidelium hic, & nunc sacrificio adstantium, sed ad usum fidelium absolute. Verba sunt D. Tho-

D. Thomæ. Oportet etiam intentionem sacrificantis ferri in hanc individuam, & particularem materiam, non vage, & indeterminate. Si enim quis multis propositis hostiis unam ex his consecrare velit, nec sibi aliquam determinate sibi consecrandam proponeret, nullam consecraret, quod in vino quoque patet, si guttulam quis unam, & non alias consecrare vellet, non assignatam, nec in toto liquido assignabilem. Quamvis autem materia una ante aliam consecretur, ut panis ante vinum tempore, non tamen intentione offerentis. Unde si quis verba consecrationis panis proferret, sine animo, & proposito consecrandi vinum, nihil consecraret. Ratio autem mihi est evidens: nam ex institutione Christi Sacramentum non conficitur, nisi offeratur sacrificium; sed sacrificium non fit, nisi per consecrationem utriusque speciei, ut ostensum est prop. 4., & omnes tenent Theologi: ergo nisi per consecrationem utriusque speciei saltem a Ministro intentam: ergo nisi intendatur utraque consecratio, neutra perficitur. Dixi: *saltem a Ministro intentam*. Nam si per accidens Minister statim consecrato pane moriatur, nec sit alius, qui vinum consecrare possit, panis quidem rite consecratus manebit, & perfectum Sacramentum, quamvis imperfectum sacrificium. Nam Sacramentum non est ex vi suæ naturæ cum sacrificio connexum, sed ex institutione Christi, qui instituit, ut Sacramentum hoc non conficeretur, nisi in sacrificio. Unde qui sacrificare intendens unam materiam consecravit, rite consecravit, & confecit Sacramentum: qui autem propositum sacrificandi non habuit, nunquam consecravit. Sed hunc dicendi modum vanum, & contra sensum Ecclesiæ appellat Suarezius (*disp.* 43. *sect.* 2.) hac ductus argumentatione. Nam in omni Sacramento, si minister intendat facere, quod verba sonant, quodque de se possunt efficere circa materiam subjectam, illa intentio sufficit ad effectum; sed hoc intendit Sacerdos, & si non intendat aliam partem consecrare: ergo sine dubio conficit illam partem, quam intendit. Confirmat: Nam Episcopus vere confert unum ordinem, etiamsi intendat nunquam alium conferre.

8. Hæc tamen Suarezii opinio, & censura, atque argumentatio dictis non obstat. Loquitur enim ibi de necessitate, & connexione inter utramque partem ratione Sacramenti, sive considerata præcise Eucharistia, ut Sacramentum est, præscindendo a ratione sacrificii. Nam sect. sequenti statuit I. De jure divino institutum esse, ut hoc Sacramentum non conficiatur, nisi offerendo Deo sacrificium incruentum ... Ets igitur hæc, inquit, divina institutio, ut consecratio hujus Sacramenti fiat offerendo Deo sacrificium, quod evidentius verum est, si supponatur sacrificium in ipsa consecratione consistere. In omni tamen sententia existimo hoc esse certum, consecrationem non esse sepa-

parandam a sacrificio ... Errant ergo, qui in præsenti quæstione distinguunt dicentes, sacrificando non posse confici unam materiam sine alia, ne mutilum sit sacrificium in una tantum specie; tamen simpliciter conficiendo Sacramentum extra sacrificium, non esse de jure divino prohibitum consecrare unam materiam sine alia. Supponit enim hæc distinctio dari alium modum conficiendi hoc Sacramentum, quam sacrificando, quod erroneum est. Statuit secundo ex divina institutione utramque speciem, seu partem materiæ esse de integritate sacrificii substantiali.... Tertio ex his, inquit, concludo, & assero de jure divino esse, ut hoc Sacramentum non conficiatur in una materia sine alia.... Ratio autem a priori, pergit idem, est supra tacta. Quia de jure divino, (sive ex institutione Christi) & etiam naturali est, ut sacrificium offeratur Deo integrum, ac perfectum; sed hæc integritas posita est ex institutione divina in consecratione utriusque speciei: ergo quum hoc Sacramentum confici non possit ex institutione Christi, nisi in hoc sacrificio, ex jure divino necessarium est, ut sine utraque specie non conficiatur. Hæc autem ipsissima est argumentatio nostra, quam hunc in modum clarius proponimus: Ex institutione Christi consecratio non est separabilis a sacrificio: ergo qui non intendit sacrificare, non intendit consecrare; sed qui non intendit consecrare nisi unam speciem, non intendit sacrificare, quum sacrificium ex institutione divina utriusque speciei consecrationem importet: ergo non intendit consecrare; sed qui non intendit consecrare, non consecrat: ergo qui non intendit nisi unam speciem consecrare, nullam consecrat. Confirmatur. Quum dicitur: Confectionem hujus Sacramenti esse inseparabilem a sacrificio, non loquimur de inseparabilitate absoluta, & simpliciter, sive metaphysica, nam fieri potest, ut sine peccato offerentis, ut post consecratum panem, vel per mortem, vel per morbum, vel pro oblivionem, vel per defectum materiæ, non possit Calicem consecrare. Non loquimur item de separatione quoad tempus, nam prius tempore consecratur panis, quam vinum, ut constat. Non loquimur de separatione quoad locum, nam panis consecratus potest in Sacrario servari sine Calice: ergo solum loquimur de inseparabilitate secundum intentionem offerentis, id est, ut non possit intendere unam speciem sine alia consecrare. Quod non ita intelligendum est, ut dum consecrat panem, intendat actu consecrare vinum, sed ut dum consecrat panem, non habeat intentionem non consecrandi vinum. Quod quomodo vanum, & contra sensum Ecclesiæ dixerit Suarezius, equidem non capio. Sed author iste, cujus pietatem veneror, cujus ingenium admiror, cujus doctrina proficio, cujus eruditione delector, dum subtilibus speculationibus, & Logicis reduplicationibus rem eandem sub diversis adspectibus, & reflexis con-

considerationibus proponit, videtur quandoque sibimet contraria disserere, non ita esse tamen, rem acutius introspicienti, patet. Hinc ad argumentum in Scholastica forma distinguo majorem: In omni Sacramento, quod per modum simplicis Sacramenti conficitur, concedo; quod per modum sacrificii conficitur, nego. Itaque si ex institutione divina Eucharistiæ Sacramentum extra sacrificium confici posset, satis esset intentio consecrandi unam speciem, alia exclusa; sed quia hoc Sacramentum ex divina institutione confici non potest sine sacrificio, ad quod item ex institutione Christi requiritur utriusque speciei consecratio, ideo non satis est intentio consecrandi unam speciem sine alia. Confirmatio autem est futilis, nam quilibet Ordo ab alio non dependet, neque ex materia, neque ex fine, neque ex usu, aut effectu; at consecratio ex institutione divina annexa est inseparabiliter sacrificio. Unde qui non intendit sacrificium Deo offerre, non consecrat. Et hanc ipsam esse Suarezii mentem ex ipsiusmet verbis persuasum habeo.

COROLLARIUM I.

9. Romanus Pontifex, neque ut Judex dispensando, neque ut Doctor interpretando legem divinam, concedere potest, ut sacrificium in una tantum specie conficiatur. Prima pars patet: nam in Lege, aut instituto Superioris inferior Judex dispensare non potest, ut tritum est, & alibi explicatum. (*lib.* 8. *prop.* 15.) Secunda vero: nam interpretatio inferioris esse non potest evertendo, & mutando institutionem Superioris, alias posset Pontifex, ut deficiente vino conficeretur in aqua; sed quando Superior in sua institutione præscribit formam actui, ut Christus præscribit, & verbo, & actione sua, hujusmodi Pontificia interpretatio everteret, & mutaret institutionem Christi sacrificantis, & sacrificantis in duplici specie, & in tali duplici specie: ergo. Ita Suarezius loc. cit. (*sect.* 4.)

COROLLARIUM II.

10. Falsum est igitur, quod de Innocentio VIII. scriptum reliquit Raphael Volaterranus in 7. Geographiæ libro, nimirum, eum Pontificem concessisse Saxonibus, ut Calicem sine vino sacrificarent. Quod ex eodem Volaterrano desumpsit, traditque Panvinius Cardinalis ad ann. Christi 1490. Falsum est hoc igitur primo, nam alii de Saxonibus, alii de Noruvegis loquuntur. Alii Innocentio IV., alii VIII. factum assignant. Causa est falsissima, nimirum, quod propter nimiam regionis frigiditatem vinum statim acesceret. At cur non acescit his tem-

temporibus? Cur illius dispensationis nullum exstat inter Saxones, aut Noruvegos vestigium? Cur Alexander VI. Theologos consuluit, an in re hac dispensare posset, ut scribit Armilla? Denique quid illud est: ut Calicem sine vino sacrificarent, an calix vacuus sacrificari potest? an calicem alio liquore plenum consecrare permisit? Onuphrius quidem scribit, (*in Chronic. ann.* 1490.) Innocentium permisisse Saxonibus, ut sine vino sacrificarent, sed quamvis modum loquendi emendaverit, fidem historiæ non auxit, quæ in suo fonte vacillat. Profecto mirum est, inquit Bellarminus, (4. *de Rom. Pont. cap.* 14.) si eo tempore Noruvegi usum vini non habuerint, aut conservare non potuerint, qui hac nostra ætate, & longe ante, adeo sit frequens, ut sine illo ne communicare quidem velint. Secundo responderi potest cum eodem Bellarmino, errasse Innocentium errore facti, falsa quorumdam Theologorum opinione deceptum, qui putabant, utriusque speciei consecrationem non ex Christi institutione, sed ex Ecclesiastico præcepto descendere, aut qui authoritatem Rom. Pontificis nimium tribuebant, quibus facile assentiri potuerit.

Nam nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur Diis æqua potestas?

Sed de hoc satis:

11. Reliquum est, ut nostræ assertionis tertiam partem, de aqua modica Calici admiscenda stabiliamus. (3. *p. q.* 74. *art.* 6. 7. 8.) Nam I. Christus Dominus vinum aqua dilutum consecravit: idem ergo & nos facere debemus. Antecedens probatur: Christus vinum consecravit, quod juxta morem gentis suæ ad Cœnam adhibebatur, & eo modo, quo adhiberi solitum erat; sed in mensis Hebræorum vinum non apponebatur nisi aqua temperatum, ut ex communi Hebræis scriptoribus loquendi modo patet, scriptum est enim: (*Prov.* 9.) Bibite vinum, quod miscui vobis.... Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum &c. ergo tale vinum Christus consecravit. Confirmatur. Nam sicut in Evangelio non fit expressa mentio vini, ita non fit expressa mentio aquæ admixtæ; sed quamvis non fiat expressa mentio vini ex vite, tamen certissime creditur Christum in vino ex vite consecrasse, quia hoc erat poculum solitum in mensis Judæorum: ergo quamvis nulla fiat mentio de mixtione aquæ, credendum est Christum in vino mixto consecrasse, quoniam is erat mos apud Judæos.

12. Probatur II. Ubi quicquam ad dogmata, & mysteria spectans in Scripturis expresse non habetur, necessarium est ad Traditionem ab Apostolicis temporibus ad nostra derivatam recurrere, cujus au-

aucthoritate, & necessitate supra stabilitum est; (*L.* 4. *per tot. pr.*) sed
traditio ab Apostolicis temporibus ad nos derivata id habet, ut in sacri-
ficio aqua vino admisceatur: hanc ergo mixtionem necessariam omni-
no esse credendum est. Minor probatur ex antiquissimis, & certissimis
monumentis. Nam in Liturgia, quæ Jacobo Apostolo tribuitur, &
quæ saltem Apostolicis temporibus instituta est, aut proxime, cujus
etiam mentio habetur in Trullana Synodo, (*can.* 32.) ita habetur:
Similiter postquam cœnavit, accipiens Calicem, & permiscens ex
aqua, & vino, & benedicens dedit &c. Idem habetur ex Liturgia
Clementis Apostolorum disciPuli, quæ describitur in 8. Const. Apost.
(*cap.* 17.) Idem ex Epistola Alexandri I. ad omnes Episcopos: In Sa-
cramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino of-
feruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificium of-
ferantur. Quæ verba non ita intelligenda sunt, quasi Alexander hujus
mixtionis primus inventor, & institutor fuerit, sed quod hujus sacri
ritus jam pridem in Ecclesia usu, & consuetudine ex Patrum tradi-
tione acceptum primus scripto tradiderit. Inquit enim, se tradere,
quod a Patribus acceperat, & Ecclesiam Romanam, ait, hæc ab A-
postolis didicisse. Idem patet ex Julio Papa, (*Habetur de Cons.* 2. *c.*
cum omne crimen.) qui etiam mysticam significationem adjungit. Nam
in aqua, inquit, populus intelligitur; in vino autem Christi sanguis
ostenditur: ergo quum vinum aqua miscetur, Christo populus adu-
natur. Irenæus quoque: (*lib.* 4. *cap.* 57.) Temperamentum Calicis sui,
inquit, sanguine confirmavit, & alibi (*lib.* 5. *cap.* 2.) Calicem mixtum
vocat. Cyprianus: (*lib.* 2. *ep.* 3.) Admonitos, inquit, nos scias, ut in
Calice Domini offerendo, Dominica servetur traditio, neque aliud
fiat a nobis, quam quod ipse pro nobis prior fecit, ut Calix, qui in
commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Consonant
Theodoretus, & Eusebius Emissenus apud Bellarminum, (*De Euch.*
lib. 4. *cap.* 10.) Damascenus, Hieronymus, Augustinus apud Suare-
zium. (*q.* 74. *art.* 8. *disp.* 45. *sect.* 2.) Adde his Justinum Martyr. Apol.
2. Adde Gennadium de Ecclesiast. Dogmatibus. (*cap.* 75.) Adde Am-
brosium in 5. de Sacrament. (*cap.* 1.) Adde Bernardum, (*ep.* 69.) qui
etiam sententiam commemorat quorumdam Theologorum mixtionem
hanc de necessitate Sacramenti existimantium.

13. Stabilitur tertio assertio nostra ex praxi omnium Ecclesiarum,
& omnium sæculorum. Nam habemus in Italia Clementem Roma-
num, Alex. I., Julium I., Ambrosium, & qui in Italia aliquantulum
commorati sunt, Augustinum, Hieronymum, Justinum. Ex Gallia
habemus Irenæum, Bernardum, & Gennadium Massiliensem. Ex A-
frica habemus Cyprianum, & Augustinum. Ex Græcia habemus Da-
mascenum, & Concilii Trullani Patres universos. Ex Anglia habe-
mus

mus Bedam commentar. in Marcum, (*cap.* 14.) & Anselmum Cantuariensem, qui Bedam transcribit in caput 26. Math. Ex Hispania habemus Isidorum in 1. officior. divinor. Ex Syria Theodoretum. (*cap.* 18.) Ex Germania Rabanum Maurum in 1. de Instit. Cleric., (*cap.* 31.) & Amalarium Trevirens. in 3. de offic. Ecclesiasticis. (*cap.* 19.) Ex primo sæculo exstant præter Jacobum, & Marcum, Clemens Romanus, & author libri de Ecclesiastica Hierarchia, qui tribuitur Dionysio. Ex secundo Justinus, ex tertio Cyprianus, ex quarto Ambrosius, & Hieronymus, ex quinto Augustinus, ex sexto Gregorius, ex septimo Isidorus, ex octavo Bedas, ex nono Amalarius. Ex Liturgiis habentur illa, quæ Jacobo Apostolo tribuitur, in Syria, illa, quæ Marci Evangelistæ dicitur, in Ægypto, in partibus Occidentis illa, quæ Romana, aut Latina antiqua dicitur, quam edidit Mathias Flaccus Illyricus. In Græcia eæ, quas Basilius, & Chrysostomus ediderunt. In Hispania, quæ Hispalensis, & Mozarabica, in Gallia Lugdunensis. Adde Ambrosianam, adde Tillianam apud Menardum, adde Cisterciensem, & Monachorum diversorum alias. Idem convincitur ex Conciliis Trullano in Græcia, Florentino in Italia, Bracarensi in Lusitania, Carthaginiensi III. in Africa, Aurelianensi IV., & Altisiodorensi in Gallia, Wormatiensi, & Triburiensi in Germania. Sit pro omnibus Carthaginens. III., cui & Augustinus interfuit. (*can.* 24.) Ut in Sacramento Corporis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum mixtum aqua. Confirmatur. Nam Ebionitas, & reliquos Hydroparastatas, sive Aquarios, qui solam aquam ad sacrificium adhibebant, omnis antiqua Ecclesia proscripsit. Similiter Armenos, & eos omnes, qui in solo vino sacrificabant, reprehendit Concilium Trullanum, (*can.* 32.) & in Concilio Florentino iidem Armeni jubentur vinum aqua temperare, quoniam omnes aliæ Ecclesiæ Latinorum, & Græcorum ita semper observaverunt: ergo quum neque aqua sola, neque solum vinum offerendum sit, reliquum est, ut vinum aqua mixtum juxta Catholicæ Ecclesiæ ritum offeratur.

14. Græci porro bis aquam vino miscent. I. quidem frigidam in præparatione Calicis consecrandi. II. vero calidam, & ferventem ante consumptionem. Ajunt enim aquam de Christi vulnerato latere calidam fluxisse, & præterea sanctarum animarum fervorem designari. Hunc vero ritum impugnat late Humbertus Silvæ candidæ Episcopus adversus Nicetam Pectoratum, & Latini Patres Concilii Florentini. Impugnavit etiam D. Thomas (*q.* 83. *art.* 6. *ad* 4.) dicens: Nullo modo licet aquam vino jam consecrato permisceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti, saltem pro aliqua sui parte. Hanc tamen doctrinam ex ignoratione approbati ritus procedere, inquit Cardinalis Bo-

Bona. (*Rer. Lit.* 2. *cap.* 9.) Sed cur Græcum illum ritum ignoravit D. Thomas, quem non ignoravit Humbertus, quem non ignoraverunt Latini Patres Florentini Concilii? Dices: hunc ritum in suis Liturgiis præscripsisse Basilium, & Chrysostomum, usuque perpetuo Orientalis Ecclesiæ Sacerdotes doctrina, & sanctitate conspicuos comprobasse. An vero ignoramus, multas cerǽmonias Græcos recentiores antiquis Basilii, & Chrysostomi Liturgiis addidisse? Græci, nimirum, quum è Prothesi ad Altare panem, Calicemque consecrandos solenni pompa deferunt Diaconi, summa corporis inclinatione tanquam jam consecratos venerantur, quem morem inter Græciæ heterodoxæ errores refert, ac late reprehendit, & confutat Arcudius & ipse Græcus in 3. de Euchar. (*a cap.* 19. *ad* 25.) nec omnino probat Jacobus Goarius Chrysostomianæ Liturgiæ Commentator. Hinc similes cerǽmonias alias recentiores Græci admiscuerunt. Probandum erat, morem illum miscendæ aquam calidam Calici consecrato ab Ecclesia Catholica approbatum esse, quod nunquam probabitur. Respondendum erat argumento, quo D. Thomas assertionem suam probaverat quæst. 77. art. 8. nimirum: Species in Eucharistia remanentes .... agere, & pati possunt, quidquid ageret, aut pateretur substantia vini, si ibi maneret, quod alibi statuerat, & supra a nobis dictum est. (*pr.* 3. *huj.*) Manifestum est autem, quod vinum, si ibi esset, immutaretur, solveretur, aut corrumperetur per mixtionem liquoris extranei, aut omnino si magna quantitas admisceretur, aut saltem ex parte, si minor vino quantitas misceretur, ut experimento compertum est: ergo eodem modo per cujuscumque extranei commixtionem immutarentur, dissolverentur, aut corrumperentur species Sacramentales. Nullo ergo modo debet aqua vino jam consecrato commisceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti ex toto, aut ex parte. Non ergo ex ignoratione approbati ritus, Bona Pater, sed ex intrinseca, & solidissima ratione, ut semper ductus D. Thomas, & ab natura ipsius Sacramenti petita, hujusmodi mixtionem impugnavit. Quid si aqua ex latere Christi calida fluxit? Numquid quia sanguis fluxit purpureus, miscendum erit aliquid, quo species Sacramentales sanguinis colorem referant? Quid autem si fervorem Spiritus significat? Numquid significationes ad libitum passim sunt sacrificio admiscendæ? Adde in confectione Eucharistiæ, non animi nostri dispositiones, atque affectiones, sed Passionis, & mortis Christi mysteria repræsentanda.

CO-

COROLLARIUM III.

15. Commixtio Calicis non est necessaria necessitate Sacramenti. (*q. 74. art. 7.*) Unde si quis in mero consecraret, peccaret ille quidem, sed Sacramentum conficeret, & vere sacrificaret. Nam judicium de signo sumendum est ex eo, quod per illud significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam incorporationem fidelium cum Christo per participationem Sacramenti, uti dictum est ex Julio Papa, & ab Cypriano, (*in ep. ad Concil.*) cujus verba usurpavit Julius, & habentur in cap. Quum omne de Cons. dist. 2. Ad hoc ipsum pertinet, quod aqua de latere Christi fluxit jam immolati, quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per sanguinem Christi. Hoc autem Sacramentum perficitur in consecratione materiæ: usus autem, & participatio fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum: ergo appositio aquæ non est de necessitate Sacramenti. Confirmatur. Nam sicut Christus creditur consecrasse in Azymo, quia ratione solennitatis non erat in mensa panis alius, ita consecrasse creditur in vino mixto, quia hoc erat in mensa secundum gentis consuetudinem; sed propter primum Azymus panis non est de necessitate Sacramenti, nam valide consecratur in fermentato: ergo neque vinum mixtum, ita est de necessitate Sacramenti, ut non valide sacrificetur in mero. Porro Apostoli, qui Christi gesta viderunt, & ministri fuerunt, quæ viderant, quæ audierant, & manibus suis contrectaverant de Verbo vitæ, hæc postea tradiderunt Ecclesiis. Itaque & ipsi in Calice mixto sacrificabant, & sacrificare alios docebant. Unde & Alex. Papa, & Triburiense Concilium, & Carthaginiense III., hoc a Patribus traditum esse, tantum pro ratione Decretorum suorum assignant. Florentinum id solum in Armenis reprehendit, quod ab communi Ecclesiæ consuetudine recedant. Tridentinum id ab Ecclesia præceptum esse, diserte tradit. (*Sess. 22.*

COROLLARIUM IV.

16. Non nisi paululum aquæ aut aqua modicissima, ut Concilium Florentinum docet, vino admiscenda est. Assertio ex dicto Florentino Concilio satis probata manet. Unde maxime probanda est Hispanicæ Ecclesiæ consuetudo, quam in Monachorum extra Hispaniam, quibusdam Ordinibus plurimum commendat Bona, (*lib. 2. Rer. litur. cap. 9.*) ut ex parvulo cochleari vix unius, aut duarum guttarum capaci, aqua in Calicem infundatur. Ratio autem est evidens. Tantum enim

enim aquæ Calici miscendum, quantum ad mysticam significationem sufficiat, & aliunde vinum consecrandum non corrumpat, dissolvat, aut ab specie sua extrahat; sed ad significationem mysticam satis est sensibilis quævis aquæ guttula, & aliunde per modicam illam portionem vinum consecrandum immutari sensibiliter non potest, aut dilui, aut ab specie naturalis, atque usualis vini extrahi: ergo. Hinc quum in Concilio Triburiensi (*cap.* 19.) statutum fuisset, ut duæ partes sint vini, & tertia aquæ, Ecclesia in Concilio Florentino tutissimam partem sequuta, statuit, ut nonnisi paululum aquæ, aut aqua modicissima Calici admisceretur. Tutius enim est parum de aqua apponere, præcipue si vinum sit debile, quia si talis sit quantitas aquæ, ut dissolveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.

17. Contra hanc tamen postremam propositionis partem multa opponunt Recentiores Hæretici, Lutherus præcipue, (1. *cont. Reg. Anglia.*) & Kemnitius. (*in exam. p.* 2. *Sess.* 22. *cap.* 7. *cap.* 9.) Nam primum, inquit Lutherus: Vinum mixtum aqua pessimam habet significationem, unde scriptum est in Isaia: (*cap.* 1.) Vinum tuum mixtum est aqua, quo significatur Verbi sinceritatem corruptam fuisse a Pharisæis per admixtionem humanarum traditionum: ergo ratione significationis non est aqua vino admiscenda. Secundo: præcipua ratio Catholicorum, inquit Lutherus, est significatio aquæ, & sanguinis, quæ fluxerunt ex percusso Christi latere; sed hoc non solide probat miscendam aquam Calici, nam simili modo posset vinum felle misceri, quoniam Christo in siti sua datum est vinum cum felle mixtum, & hujusmodi alia multa: ergo. Tertio: aqua, quæ fluxit de latere Christi, non fuit mixta cum sanguine, sed ita ab eo separata, ut utriusque species discerni posset. Quarto: aqua illa significat baptismum, ut est apud Aug. (*tract.* 120. *in Joann.*) sed in Eucharistia non est exprimendus, aut repræsentandus Baptismus: ergo. Quinto: Ex figuris, aut allegoricis sensibus non desumitur solidum, ac Theologicum argumentum. Sexto: Alii Patres, ut Cyprianus, (*lib.* 2. *epist.* 3.) atque ex eo Julius I., dicunt, per mixtionem aquæ, & vini significari unionem, & concorporationem fidelium cum Christo capite; at hanc significationem ineptam, & vanam esse, ait Kemnitius. Nam I. per Eucharistiæ ceræmonias repræsentanda est passio Christi, non fidelium concorporatio cum Christo. Secundo, quia aqua miscetur ante consecrationem, quando non est ibi præsens Christus, nec ab fidelibus sumi potest. Tertio, quia Christus in suo solo sanguine nos redemit absque ulla nostra cooperatione; hæc autem redemptio repræsentatur in Eucharistia: ergo non debuit ibi commemorari, aut repræsentari fidelis populus, qui per aquam significatur. His alia multa addit Kemnitius, quibus non tam rem ipsam, quam definitionem

Tri-

Tridentini impugnat, calumniis potius, quam rationibus usus, quas jam alii multi diluerunt Sanctissimi, & Sapientissimi Concilii defensores.

18. Opposita profecto nihil urgent. Nam ad primum quid prohibet eamdem rem secundum diversas proprietates, quas habet, ad diversa significanda assumi? Diabolus dicitur (1. *Petr.* 5.) Leo rugiens propter crudelitatem: Christus dicitur (*Apoc.* 5.) Leo de tribu Juda propter fortitudinem. Ita vinum si vendatur, ut purum quum sit aqua mixtum, malam significationem habet corruptionis, & fraudis, & in hoc sensu loquitur Isaias, unde ibi legit Hieronymus: Caupones tui miscent vino aquam: vinum autem si bibatur modica aqua dilutum bonum est, & sobrietatem, atque sanitatem denotat. Ad secundum negatur major. Ratio enim potissima nostræ assertionis est, quia in vino mixto Christus consecravit, & ita consecrandum tradiderunt Apostoli, & universa tenuit, tenetque Ecclesia. Unde ruunt quartum, & quintum, & sextum. Non enim aquam miscemus vino ad significandum id, quod aqua, & sanguis exeuntes de latere Christi significarunt, sed ad significandam ipsam aquam, & sanguinem de latere Christi exeuntes, quæ non mysticum quid, & allegoricum; sed verum, & sensibile factum fuit, de quo ipse, qui vidit (Joannes) testimonium perhibuit, (*cap.* 21.) & scimus quia verum est testimonium ejus. Nec obstat quod aqua, & sanguis e latere Christi impermixta fluxerint, non enim quod fluxerint, sed quod fluxit significamus. Unde & vinum, & aquam seorsim infundimus, quamvis deinde juxta liquidi naturam misceantur, sicut aqua, & sanguis e latere Christi exeuntia in Calice commixta fuissent, si in vase aliquo fuissent recepta. Quod autem per aquam mixtam vino concorporatio fidelium cum Christo significari possit, nec ineptum, nec falsum est, ut sexto loco objiciebatur. Repræsentatur namque in sacrificio nostro per commemorationem earum rerum, quæ Christus fecit eam futuram repræsentans in Cœna, quando Eucharistiam confecit. Sicut ergo in aqua admixta vino repræsentavit sanguinem, & aquam ex suo latere fluxuram; ita repræsentare potuit Christianum populum sibi concorporandum per fidem in baptismo, quod significatum est per aquam de Christi latere fluentem, & in Eucharistia, quæ significata est per sanguinem, teste Augustino, Theophilacto, & aliis Patribus apud Kemnitium ipsum. Nos igitur, qui & Passionem Christi repræsentamus in Altari, etiam Redemptionem ejus, & unionem fidelium cum ipso tanquam Passionis suæ effectus, non quidem futuros, sed præsentes commemoramus, & sacris ritibus significamus. Unde quatenus aqua seorsim a vino infunditur, significat aquam seorsim ab sanguine e Christi latere fluentem, quatenus autem aqua misce-

scetur vino, & unum cum eo fit, repræsentatur effectus sanguinis Christi in populo redempto, & sibi per fidem coadunato. Id autem repræsentari potest sive aqua vino ante consecrationem, sive post commisceatur, si aliunde commisceri postmodum posset, nihil hoc enim ad mysticam significationem refert. Unde patet solutio ad secundum. Tertium autem frivolum est. Quamvis enim solum Christi sanguine sine ullo nostro merito, aut cooperatione gratis redempti sumus, tamen ejus Redemptionis effectus est sanctificatio nostra, & unio cum Christo, quæ per aquam admixtam vino significatur.

19. Verum aliquanto fortius contra præjactam assertionem opponitur: nam aqua vino mixta in Calice vel remanet in propria natura, & substantia, vel convertitur in vinum, vel immediate convertitur in sanguinem Christi, vel in aquam, quæ fluxit de corpore Christi; sed nihil horum dici potest: ergo non est conveniens aquam vino commisceri. Probantur partes singulæ. I. Nam in Calice consecrato, inquit Tridentinum, (*Sess.* 13. *can.* 2.) nihil manet, nisi species panis, & vini: ergo non manet substantia aquæ. Item Patres asserunt, in Calice nihil esse, nisi Christi sanguinem. Calix enim Domini, inquit Cyprianus ep. 3. alias 63. non est aqua sola, nec vinum solum, nisi utrumque misceatur .... Neque vero potest nobis ignosci, qui ita a Domino instructi sumus, ut calicem ex vino mixto, sicut ipse obtulit, offeramus .... Nam ex vino, & aqua mixtis in Calice corpus suum formavit, inquit Hieronymus, (*in* 14. *Marc.*) & vinum cum aqua in Calice mixtum fit sanguis Christi consecratione Verbi cœlestis, ut est apud Ambrosium 4. de Sacr. cap. 4. Ante verba Christi Calix est vino, & aqua plenus; ubi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur .... (*cap.* 5.) An vero qui fecit omnia, non potest ex vino, & aqua suum corpus conficere? inquit Damascenus: (*lib.* 4. *cap.* 14.) ergo quum vinum, & aqua sacrificantur, utrumque unus sanguis fit, per quam unio capitis, & membrorum significatur, inquit Paschasius Radbertus, (*lib.* 11. *myst. Corp. cap.* 11.) & cum eo Algerus (*lib.* 1. *cap.* 16.) optimi adversus Berengarium Ecclesiasticæ doctrinæ defensores, & in cap. 55. Collectionis Martini Bracar dicitur, hæc tria panem, vinum, & aquam in typum Christi benedici, id est, consecrari. Accedit ratio D. Thomæ: (*hac q.* 74. *art.* 4.) alioqui non totum quod est in Calice adoreretur adoratione Latriæ. Neque dicas cum Turnellio, (*q.* 4. *art.* 7. *tom. de Euchar.*) nullum esse Idololatriæ periculum, si præter Christi sanguinem extranea aliqua substantia reperiatur in Calice. Nam aliud est materialiter, & quasi per accidens reperiri, ut aera, aut pulvisculum, aut flocculos, qui per aera vagantur, aliud est formaliter, & ex institutione Ecclesiæ, & ex directa intentione ministrantis illic apponi aliquid,

quid, quod adorationi fidelium exponatur. Unde si casu aliquo musca in calicem ceciderit, non erit adorationis objectum; sed si ex animi directa intentione muscam, aut pulvisculum in calicem immiseris, peccabis gravissime, quoniam adorandum proponis, quod non est adorationis objectum. At aqua in calicem ex institutione Ecclesiæ, & directa intentione offerentis infunditur Calici: ergo si ejus substantia manet, nec in sanguinem Christi convertitur, aliquid præter corpus, & sanguinem Christi Ecclesia, & Sacerdos adorandum proponunt. Secunda autem pars probatur. Non enim sunt nisi duæ formæ consecrationis, una, per quam panis convertitur in corpus, alia, per quam vinum convertitur in sanguinem: ergo si aqua nec in corpus, nec in sanguinem convertitur, ejus transubstantiatio non est effectus nec verborum, quibus consecratur panis, nec verborum, quibus consecratur vinum: alia ergo consecratio, verborumque forma instituenda esset, per quam aqua consecraretur, quod patet esse falsissimum. Denique quia nihil transubstantiari potest in aliud ejusdem speciei, sive naturæ; sed aqua, quæ Calici admiscetur, est ejusdem speciei; seu substantiæ cum ea, quæ effluxit de latere Christi: ergo non potest in ejus substantiam, ac naturam transire. Neque item fieri potest, ut fiat ipsa aqua in individuo, quæ de Christi latere effluxit. Nec divinitus enim individuum in individuum converti potest, ut Sortes fiat Plato.

20. Superest igitur, ut vel aqua convertatur in vinum, vel ut immediate convertatur in sanguinem. Sed hoc secundum dici non potest, quia in sanguinem vi verborum non convertitur, nisi quod est materia apta consecrationi ex institutione Christi; sed solum panis, & vinum sunt ex institutione Christi apta materia consecrationis: nam hæc, omni alio secluso, consecrari rite possunt: ergo. Confirmatur. Nam in Conciliis Florentino, Lateranensi, Tridentino solum panis, & vinum assignantur pro materia Sacramenti. Confirmatur item. Nam si aqua mixta vino esset ex institutione Christi materia Sacramenti, nullo modo posset vinum merum consecrari, nam in materia Sacramentorum a Christo instituta nihil Ecclesia immutare potest. Consequens autem est falsum, & contra communem Theologorum sententiam opinantium cum D. Thoma, (*art. 7.*) mixtionem aquæ non esse de necessitate Sacramenti: ergo. Item: si aqua admixta vino esset idonea Sacramenti materia, quævis aquæ portio cuicumque portioni vini admixta consecrari posset; sed hoc est falsum: nam si ponatur in Calice major portio aquæ, quam vini, aut æqualis, vel etiam paululum minor, ita ut vinum simpliciter dici non possit, nemo mixtum illud aptam esse materiam consecrationi opinetur: ergo quia non quævis mixtio ex aqua, & vino est idonea Eucharistiæ materia. Tanta ergo aqua adhiberi debet, quæ non corrumpat, neque dis-

dissolvat naturam, & speciem vini, ita ut illud quod bibitur, non vinum aquatum, sed vinum simpliciter dici possit. Unde quanto vinum debilius est, tanto minus de aqua sit apponendum, ut docet D. Thomas, vel paululum aquæ, aut aqua modicissima, ut ex Concilio Florentino habetur.

21. His igitur confutatis, solum relinquitur dicendum, aquam prius in vinum converti, & sic in sanguinem transubstantiari. Sed etiam hic opinandi modus refellitur. Nam Cyprianus (*Epist.* 63.) ait, Calicem Domini non esse vinum solum; sed si aqua converteretur in vinum, Calix Domini esset vinum solum, nam aqua conversa in vinum jam non aqua, sed vinum est: non ergo convertitur in vinum aqua. Item: aquam converti in vinum, non est ita certum apud Physicos, ut Innocentius fatetur in cap. quum Marthæ de Celeb. Miss. sed sacra mysteria super fallacibus Physicorum opinionibus stabilienda non sunt: ergo in sacris mysteriis non est aqua vino miscenda. Præterea. In Concilio Triburiensi statutum est, ut duæ sint in Calice partes vini, & tertia aquæ; sed tertia pars aquæ aut nunquam transiet in vinum, aut non nisi post multum temporis, quando vinum sit fortissimum. Inter præparationem autem Calicis, dum aqua miscetur, & consecrationem parum est temporis, & hoc non interponitur ex institutione Christi, aut ex Sacramenti natura, sed per accidens ratione precum, & ceræmoniarum ab Ecclesia inductarum, nam ex natura rei statim post admixtionem posset Calix consecrari, nulla mora interposita, in qua aqua in vinum converti possit: ergo vel nulla est aquæ in vinum conversio, aut ei conversioni non est in Missa locus, quod si fiat, de tempore in quo fiat, certi esse non possumus.

22. Hoc est potissimum, & urgentissimum in hac materia argumentum, quod & Innocent. III. tetigit in cap. Quum Marthæ §. Quæsivisti de Celebration. Miss. Dicimus autem, nec aquam converti in aquam, quæ exivit ex latere Christi, quod bene impugnatum est in probatione partis secundæ, nec aquam remanere in propria substantia, quod impugnatum est in parte prima. Dicimus ergo, aquam transubstantiari simul cum vino, & converti in sanguinem Christi. Dicimus item, aquam converti in vinum, & hoc necessarium esse, ut inde fiat sanguis Christi, sed non conversione substantiali, sed conversione sensibili, & tali, ut sensibus neque colorem, neque saporem, neque odorem aquæ, aut effectus illius aliquos percipere possimus. Ex quo facile satisfit utriusque partis argumentis. Ad primum enim pro impugnatione tertiæ partis respondetur in forma Scholastica distinguendo minorem: solum panis, & vinum mixtum aqua sunt ex institutione Christi apta consecrationis materia, concedo,

nam

nam Christus in Calice mixto consecravit; solum panis, & vinum purum, nego. Ad confirmationem primam dicitur, ea Concilia assignare materiam sine qua nec valide, nec licite consecrabitur, non excludere tamen aquam, in qua simul cum vino Christus consecravit, & in qua consecrare nos docuerunt Apostoli. Secundæ confirmationi similiter atque ad primum: si aqua esset materia necessaria ex institutione Christi, non posset vinum merum consecrari, concedo; si esset materia congrua, & idonea, ut admixta vino, nego. Consecrari ergo potest & vinum purum, quia vinum est materia necessaria ex institutione Christi, & consecrari potest vinum mixtum ex facto, & exemplo Christi, qui in vino mixto consecravit juxta Apostolorum, & Patrum traditionem. Ad tertiam confirmationem nego majorem, quia ad consecrationem requiritur, ut id, quod consecratur, dici possit, ac sit simpliciter vinum: si autem vino infunderetur aquæ portio major, aut æqualis, vel fere æqualis, vinum præsertim debile adeo sensibiliter immutaretur, ut vinum simpliciter dici non posset, amisso odore, colore, sapore, & vi naturali calefaciendi, &c. & ideo paululum aquæ apponitur juxta Florentinum, & D. Thomam. Quia si tanta esset appositio aquæ, ut species vini dissolveretur, non posset perfici Sacramentum.

23. Diximus item, aquam converti in vinum, non quidem physica, & substantiali conversione, sed conversione sensibili, & vulgari, quatenus ita aquæ particulæ vini particulis commisceantur, ut nulla sit residua sensibilis aquæ qualitas, neque color, neque sapor, aut vis, quæ non a vini prædominante virtute absorbeatur. Argumenta vero, quibus probabatur aquam non converti in vinum, solum loquuntur de conversione substantiali in sensu Philosophico; non autem de conversione sensibili, & vulgari, per quam liquor aliquis, quamvis non transeat in naturam alterius, tamen vim suam omnem, & proprietates sensibiles amittit, & alterius, cui admiscetur, proprietates induit. *Hæc autem conversio sensibilis momento perficitur, unde non est opus aliqua temporis mora, quæ intermixtionem, & consecrationem interponatur, ut ii putant, qui aquam substantialiter in vinum converti, necessarium arbitrantur, & cruciantur frustra, quum nullum tempus designare possint, quo substantialis illa conversio perfici possit.* Et hæc videtur esse expressa opinio Innocentii III. in cap. Quum *Marthæ* §. Quæsivisti de Celebrat. Missarum. Ibi enim tres *opiniones* Scholasticorum commemorat. Primam, quæ docet, *aquam converti in aquam, quæ ex latere Christi fluxit. Secundam, quæ docet, aquam transubstantiari in sanguinem, quia in vinum transit mixta vino. His* autem addit tertiam, subdens: *Præterea dici potest, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus*

bus circumfusa, ita quod vini saporem assumit, id est, non conversa substantialiter in vinum, sed conversa sensibiliter, quatenus vini saporem, odorem, colorem assumit. Et hanc tertiam opinionem Pontifex amplectitur dicens: Verum inter opiniones postrema illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari... Contingit ergo, inquit, in hoc Sacramento accidentia (vini) mutare subjectum, sicut & subjectum (aquæ) mutare accidentia: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed dices: Innocentius in 3. opinione dicit, aquam non transire in sanguinem; sed in postrema opinione, quam ut probabiliorem amplectitur, ponit aquam cum vino in sanguinem transmutari: ergo opinio, quam probabiliorem judicat, non est illa tertia, sed secunda, quæ docet, aquam converti in sanguinem, quia prius in vinum transit mixta vino. Sed respondetur I. tertiam opinionem non asserere, aquam non transire in sanguinem, sed non transire in vinum, aut manere post mixtionem in propria specie. Respondetur. II. aquam sub propriis accidentibus non transire in sanguinem, sed propriis affectionibus denudatam, & prioris vini accidentibus circumfusam, ita ut vini saporem, & colorem assumat, quod idem est, ac si dixisset, ut aqua convertatur in sanguinem, non opus est, ut prius convertatur in vinum substantialiter, sed sufficit, ut sensibiliter convertatur in vinum, id est, ut nihil ibi remaneat sensibile ex accidentibus, & affectionibus aquæ. Eandem puto esse mentem D. Thomæ, qui non dixit, aquam converti in substantiam vini, sed solum, inquit: Et ideo, sicut ipse (Innocentius III.) dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem. Mens ergo D. Thomæ (*art.* 8. *cit.*) eadem est ac mens Innoc. in Decretali citata. Sed Innocentius probabiliorem vocat sententiam postremam ibi assignatam, quæ docet, aquam non transire in sanguinem, sed remanere post mixtionem prioris vini accidentibus circumfusam, ita ut vini saporem assumat: ergo hæc eadem est sententia D. Thomæ, nimirum, aquam non transire in sanguinem, nisi quum ita est prioris vini accidentibus circumfusa, ut vini saporem, colorem &c. assumat. Hoc autem, subdit, esse non posset, nisi adeo modicum apponatur aquæ, ut possit in vinum converti. Quod non necesse est, ut accipiatur de conversione stricta substantiali, & Philosophica, sed de sensibili, & vulgari. Egregie ad rem nostram Alanus: (1. *de Euch. cap.* 13.) Probabilius est, quod omnium pene Ecclesiasticorum scriptorum judicio defenditur, aquam modice infusam in vini substamtiam prorsus desinere, & quamvis vinum non foret, sed existeret aqua in varias, & abditas vini partes difusa, faciens cum vino unum non specie, sed permixtione, id est, non

unam

unam speciem naturalem, sed unam speciem sensibilem, totum illud unum, modo vinum prædominaretur, converteretur in sanguinem Domini, utcumque illud aliud, (de conversione aquæ in substantiam vini) quum in naturæ obscuritate positum sit, ignoretur. Et hæc de materia Calicis dicta sunto.

24. Circa panem autem aut fermentatum, aut azymum gravis controversia inter Græcos, & Latinos, jam aliunde dissidentes exorta est medio fere undecimo sæculo, (1053.) agente potissimum Michaele Cerulario Patriarcha. De hac re late disserunt Scriptores permulti post Alensem, D.Thom. & antiquiores Scholasticos, præcipue autem Sirmondus, Mabillonius, & omnium accuratissime Joannes Bona Cardinalis in Rer. Lit. 1. (*cap.* 23.) ex quo selectiora hic dabimus. Statuendum est igitur I., quod postea in argumentorum solutione ostendetur, Christum Dominum non in fermentato, sed in azymo consecrasse. Statuendum est II. tanquam certum, & indubitatum, utrumque panem esse sufficientem, atque idoneam consecrationis materiam, adeoque valide utrumque consecrari. Erravit ergo Michael Cerularius, & Græci sui, non quod fermentato uterentur, sed quod in azymo consecrari non posse, defenderent. De cætero non desunt & Græci, qui in azymo valide consecrari posse, fateantur, ex quorum numero Arcudius in 3. de Sacram., (*cap.* 6.) Trapezuntinus Metropolita apud Combefisium de hær. Jacobitar, (*in aucta Bibl. PP.*) Joannes Cutriensis Episcop. in 5. libr. jur. Græc. Rom. Theorianus in Ep. ad Sacerdotes apud Leonem Allatium alios etiam recensentem. Gennadius Patriarcha Constantinop. in Exposit. pro Conc. Florentino, (*cap.* 2. *sect.* 2.) Isaaccus Armeniæ Catholicus in Invectiv. adv. Armenos, cujus hæc sunt verba: *Ajunt, panem, quem Christus dedit, azymum fuisse, atque ideo azyma in sacrificio offerri. Sed esto fuerit azymus panis, quem Christus dedit, ipse qualem panem pro tempore invenit, talem tradidit. Neque id temporis panem perfectum, id est, fermentatum decebat, ut acciperet, quum dies azymorum essent, ne Judæis ansam in manibus præberet accusandi eum, velut impium, & Legis contemptorem.* Adde Expositorem Chaldaicæ Liturgiæ, (*cap.* 16.) quam in Latinum transtulit Faustus Maronita, ibi: *De pane azymo, aut fermentato hoc non habemus præceptum Dominicum, aut Apostolicum, quod jubeat; illud vetet. Quare hi in hoc, & illi in illo conficiunt juxta morem receptum.* Ex quibus statuendum est III. controversiam hanc non ad fidem, sed ad Ecclesiasticam disciplinam pertinere, atque adeo non habere in Theologia locum, nisi a Græcis impugnarentur, tanquam falsæ Eucharistiæ, & sacrificii venditores Latini. Controversia igitur tota devolvitur ad investigandum hæc tria. I. Uter usus sit antiquior, atque ab Aposto-
lo-

lorum tempore derivatus? II. Uter usus fuerit magis constanter ad hæc usque tempora servatus an azymi apud Latinos, an fermentati apud Græcos? III. Uter usus sit congruentior? De singulis agendum.

25. Sirmondus quidem censet, (*in disquisit. de Azymo tom.* 4.) utramque Ecclesiam primis octingentis annis fermentato usam fuisse, & intermedio tempore ab Schismate Photii usque ad Michaelem Cerularium azymorum usum obtinuisse. Mabillonius contra (*in præfat. sæc.* 3. *Benedict. Et in dissert. particul. de azymo.*) ante annum octingentesimum Latinam Ecclesiam azymis usam, arbitratur. Certe difficile est, Photium Græci Schismatis authorem, Latinis infensissimum, & minima quæque captantem, de ea re nihil Latinis objecisse. Bona (*lib.* 1. *cap.* 23.) putat, apud Latinos tam azymum, quam fermentatum simul in usu fuisse. Sed neque id satis probat. Scholastici antiquiores, Alex. Alensis in 4. parte de Sacramentis, quæsti. 10. D. Thomas in 4. dist. 11. qu. 2. Bonaventura ib. art. 3. qu. 1. Scotus qu. 6., Durandus qu. 4. Ricardus in eodem lib. ac distinctione referunt, Ecclesiam Romanam a Petro Apostolo eruditam ab initio in Azymo consecrasse. Superveniente autem hæresi Ebionitarum, qui azymo in suis sacrificiis utebantur, in hujus erroris detestationem cœpisse uti fermentato, & pace Ecclesiæ reddita a persequutionibus, quibus ingruentibus, difficile erat in azymis conficere, & infermentato facilius sacra mysteria poterant a Paganorum notitia occultari. His, inquam, causis cessantibus, paulatim ad Azymum reditum est, Græcis in suo ritu perseverantibus, immo Latinam Ecclesiam erroris accusantibus. Quo autem tempore Latini ad Azymos redierint, incertum est. Scholasticorum sententiam tuetur quoque Innocent. III. in 4. de Missa (*cap.* 4.) ubi ait, Romanam Ecclesiam ab ipso B. Petro Apostolo hunc sacrificii ritum accepisse, quem hactenus inviolabili cultu observavit. Græci vero, postquam tunicam indivisibilem diviserunt, ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temere immutavisse. Hic tamen post octavum sæculum, & Photianum Schisma fermentato Græcos uti cœpisse, asserit, quod tamen falsum est, quod cum reverentia Innocentii ante Pontificatum scribentis dictum sit. Nec est omnino verum, Azymorum ritum inviolabili cultu in Romana Ecclesia observatum fuisse, ut non aliquando in fermentato consecrandi usum habuerit, quod mox statuemus.

26. Assero enim I. cum Innocentio, & antiquis Scholasticis adversus recentiores Chriticos, Ecclesiam Romanam, & Occidentales omnes ab ea fundatas, ab sui initio in azymis mysteria confecisse. Moveor. I. Nam Ecclesiæ Romanæ fundator fuit Petrus, ut alibi (*lib.* 11. *prop.* 14.) statutum est. Petrus autem, ut habetur ex secunda ad Galatas, ejus erat sententiæ, ut Ceræmonialia legis præcepta, quæ

cum

cum veritate Evangelii non pugnabant, tamdiu observarentur, donec ex Judæis, & Gentibus Ecclesia coalesceret, ne daretur Judæis scandalum, & a fide averterentur, quod quum aliquando in Gentilium scandalum redundaret, a Paulo reprehensus est: ergo quum lege prohibitum esset fermentatum tempore Paschali, & hoc præceptum cum Evangelica prædicatione non pugnaret, & aliunde haberetur exemplum Christi, qui ut mox dicetur, in pane azymo consecravit, pene evidens est, Petrum in pane Azymo consecrare consuevisse, & ab eo stabilitam Romanam Ecclesiam eam consuetudinem hausisse. Nec solum Petrum, sed & omnes alios Apostolos in azymis primitus consecrasse ad exemplum Domini, probabilissimum est. In re enim nova, & sacratissima, etiam minimum immutare detrectabant. Unde sicut aquam vino miscere docuerunt, quoniam Christus mixtum calicem consecraverat, quamvis eam mixtionem scirent de ratione Sacramenti non esse, ita in azymis consecrabant, quamvis scirent azymum, aut fermentatum ad sacrificii naturam non spectare. Id etiam confirmatur ex Paulo ad Corinthios (1. *cap.* 5.) scribente: *Expurgate vetus fermentum*, corruptionis, & malitiæ, *ut sitis nova conspersio*, id est, nova massa in Christo, *sicut estis azymi*; id est, puri facti per baptismum. *Etenim Pascha nostrum*, id est, Paschale sacrificium nostrum, sive agnus Paschalis, quem Christiani immolamus, *Christus est. Ergo* sicut ille, ita & nos *epulemur, non in fermento veteri malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. Dices: Fermentum, & Azyma ibi usurpari a Paulo in sensu spirituali, & mystico, ex quo non potest firmum argumentum deduci. Equidem scio; sed argumentum non desumitur ex verbis Apostoli, ut jacent, sed ex allusione ad azyma, quæ includitur in verbis Apostoli: argumentatur enim ex quo Pascha nostrum immolatus est Christus, ut epulemur in azymis, sicut epulabantur tempore Paschali Judæi, sed non in azymis materialibus solum, & corporeis, sed in sinceritate, & veritate, quæ per panem ab eis adhibitum in Cœna Paschali significabantur. Cui allusioni consonans Ecclesia, sic precatur: *Ut qui festa Paschalia venerando egimus; hæc Te largiente moribus, & vita teneamus*. Id est, ut qui festa Paschalia in azymis peregimus, puritatem, & sinceritatem per azymos panes significatam, moribus, & vita teneamus. Confirmatur secundo ex Petro Patriarcha Antiocheno (*in Tract. de Azymo*.) apud Leonem Allatium (*Exercit.* 28.) docente, ab Apostolis Petro, & Paulo tradita fuisse azyma *universæ Ecclesiæ, & aliquo tempore permissa propter ingentem Judæorum multitudinem, qui Apostolorum prædicatione ad fidem convertebantur; postea vero*, inquit, *roborata satis Christiana Religione, abolita fuisse azyma*, nimirum apud Græcos, quemadmodum

dum alii etiam ritus immutati sunt, ut prohibitio de esu suffocati, & sanguinis, & alia.

27. Confirmatur item ex Joanne Maronita apud Faustum item Maronitam, qui scribens contra Melchitas, qui Maronitas de usu Azymorum inter eos, ut asserunt, antiquissimo reprehendebant. *Qui in fermentato offerunt*, inquit, id est, Melchitæ *arguunt nos simul cum Occidentalibus, & Armenis dicentes, Azymum non esse panem*: ergo ante sextam Synodum, quo tempore Joannes ille scripsit, Armeni, & Occidentales populi azymis utebantur, longe ante octavum sæculum. Et de Armenis quidem certum est, jam sexto sæculo in azymis consecrasse. Siquidem Moses Armenorum Catholicus, qui sexto sæculo Mauritio Imperante floruit, *absit*, inquit, *ut furno coctum comedam, & calidum bibam*. Quo dicto significabat, nunquam se cum Græcis conventurum, qui in fermentato sacrificant, & vino calidam aquam commiscent. Sed Armeni ex falsa significatione in eum ritum descenderunt, vel ut, excluso fermento, unam in Christo naturam cum Eutychianis significarent, quod est apud Nicephorum in 18. Hist. (*cap.* 54.) vel ut unam voluntatem, operationemque cum Monothelitis, quod est apud Clementem Galenum (*lib.* 1. *cap.* 17.) narrantem de Synodo Joannis Ozniensis, *in qua*, inquit, *fuerunt a sacris ablata mysteriis fermentum, & aqua*. Et in hoc sensu intelligendus est canon Concilii Trullani azyma prohibentis Armenis, & S. Nicon. inter Armenorum errores numerantis, *quod in Pane mystico utantur azymis, & in sanctum Calicem aquam non immittunt*. Errabant porro Armeni, non quod in azymo consecrarent, sed quod azymorum usu errorem protestarentur. Similiter antiquitus erraverant Ebionitæ apud Epiphanium, (*hær.* 30.) & Manichæi, & Nazareni, non quod azymis uterentur, sed quod eo usu errorem protestarentur aut circa rerum principium, ut Manichæi, aut circa Legalium observationem, ut Nazareni.

28. Confirmatur præterea ex Actis sextæ Synodi apud Humbertum Cardinalem. (*dissert. de azymo apud Baron. tom.* 11.) Nam quum Nicetas opponeret, Azyma damnata fuisse in sexto Synodo consentientibus Ap. Sedis Legatis. Negat hoc Humbertus, & ait, Joannem Portuensem ex Legatis unum in die octava Paschæ Missam coram Imperatore latino more celebrasse ad S. Sophiam, & sermonem circa Latinorum ritum cum Imperatore habitum, asserentibus Latinis, se in Azymis celebrare, & hunc ritum congruentiorem judicare: ergo septimo sæculo, quo sexta Synodus celebrata est, & multo ante jam Latini in Azymis celebrabant. Non enim Legati quasi de novo usu suis temporibus inducto, sed quasi de antiquo loquebantur. Huic invicto argumento respondet Bona Cardinalis, nec Nicetæ Pectorato,

nec

nec Humberto fidem habendam, & totam illam narrationem falsam esse. Tu tamen in his omnibus falleris, Bona Pater. Nam Canon, de quo Nicetas loquitur, invenitur duodecimus inter Canones Concilii Trullani. Concilii autem Trullani Canones dicebantur a Græcis Canones Sextæ Synodi, quoniam quum Sexta Synodus nullos canones promulgasset, qui in ea edendi fuerant, ab Episcopis postea in Trullo congregatis promulgati sunt, & ita tanquam sextæ Synodi Canones habebantur. Unde & Trullana Synodus, quia tanquam Quintæ, & Sextæ Appendix habebatur a Græcis, Quinisexta dicta est. Unde Nicetas gentis suæ more loquens, non imperite Canonem Synodi Trullanæ, Sextæ Synodi Canonem appellavit, & tu ipse supra in eod. cap. num. 8. dixeras, Canonem adversus Armenos conditum esse ab Episcopis, qui in Trullo varia decreta nomine Sextæ Synodi ediderunt. Tam bona ergo fide Nicetas Canonem Trullanum Canonem Sextæ Synodi appellavit, quam bene Pontifices, & Latini adversus Africanos Canones Concilii Sardicenses, Nicœnos Canones appellabant, ut apud omnes tritum est, quum Sardicensis Synodus tanquam Nicœnæ appendix haberetur. Humbertus vero negavit. Nam quamvis Canon ille exstaret in Synodo Trullana sub nomine sextæ Synodi, tamen ad rem non erat, quia in eo solum vetabatur tam Sacerdotibus, quam Laicis comestio azymorum more Judaico, & omnis cum Judæis familiaritas, in quo sensu etiam Augustinus (*in ps.* 39., & 58.) & Patres alii negant, azyma a Christianis usurpari, asseruntque, relicta esse Judæis, & per novi Testamenti gratiam in maledictionis signum conversa, sicut reliqua Legalia olim salubria, nunc mortifera. Probat autem Humbertus, azyma ritu Christiano damnata non esse, quoniam in ipsa Sexta Synodo, Græcis præsentibus, Joannes Portuensis Legatus in azymis Latino ritu Missam solenniter celebravit. An & hoc falsum est? Ergo Humbertus vir gravissimus, & rerum Græcarum, adversus quos disputaturus Constantinopolim missus fuerat, peritissimus sincera Sextæ Synodi acta non viderat? An cum Græcorum eruditissimis disputans circa rem solennem, pubblicam, & singularissimam in omnium Episcoporum, & Imperatoris ipsius conspectu trecentos ante annos factam impudentissime mentiretur? Quid quod ejusdem rei testem habemus Anastasium, qui vitam Agathonis scripsit, cujus in Pontificatu sexta Synodus celebrata est, & qui ipsam Sextam, cum Septima, & Octava, cui interfuit, in Latinum sermonem transtulit. At, inquit Bona, *narrat Anastasius, Legatum celebrasse Latino more, & sermones,* se de azymis nihil *dicit. At si dixisset, Legatum Græco more celebrasse, intelligeresne consecravisse in azymo?* Deinde sermones illi, quos Anastasius *memorat, de* quo erant, nisi de diversitate ritus? In quo autem est po-

potissima, immo unica substantialis diversitas, nisi in azymo, & fermentato? Denique quid in Sexta Synodo gestum fuerit, exspectandum ne potius ut sciverit Sirmondus, aut Bona, qui mille post annos in Italia, aut Gallia, quam Humbertus trecentos post annos, vel paulo amplius Constantinopoli scribens, atque ob singularem rerum Græcarum eruditionem ad cum eis disputandum selectus? Similes solutiones adhibet Bona ad alia pro antiquitate Azymorum non levia argumenta. Nam in Chronico MS., quod in Ambrosiana Bibliotheca asservatur, & tribuitur S. Dacio Episcopo Mediolanensi, legitur, diebus solennioribus, & præcipue in Resurrectione Domini, B. Ambrosium solitum fermentatum simul cum nostro azymo benedicere. Negat Bona, Chronicon illud Dacii esse. Non inficiamur. Negat, esse sexto sæculo scriptum. Sit sane posterius, & octavi, si volueris, sæculi, at quum dicit *nostro azymo* satis declarat, jam Azymum in toto Occidente usitatum, quum Chronicon illud scriptum est: igitur ante octavum sæculum &c. Simile argumentum fit ex Missa Ambrosiana MS., quam edidit Pamelius, ubi ad offertorium dicitur: Oblatio Panis azymi cum patena. Respondet Bona, hunc titulum non esse præfixum a Sancto Ambrosio, nec esse desumptum ex Missa Ambrosiana pura, & sincera, sed posterius addita juxta posteriorum sæculorum usum. Verum quum Ambrosius tam Missæ, quam cæterorum dispositionem officiorum suæ Ecclesiæ, perque Liguriam aliis ordinaverit, quæ usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia, ut scribit Walfridus Strabo, quo modo potuit in Missa Ambrosiana titulus apponi ei ritui contrarius, quem Ambrosius in sacrificando tenuerat, & suæ Ecclesiæ tradiderat. Nullumne exstat Mediolani, & per totam Liguriam sincerum exemplar Missæ Ambrosianæ? Exstat ne ullum, in quo aut ipse in fermentato consecrasse, idque aliis, & suæ Ecclesiæ tradidisse probetur? Sed de his satis.

29. Assero. II. Latinos primis quatuor Ecclesiæ sæculis, & quandoque in aliis, fermentato usos fuisse. Ita sentiunt unanimes Sirmondus, Mabillonius, Bona, Tournelius, Goudeanius, & fere omnes oculatiores Critici, estque aperta sententia D. Thomæ (*dist.* 11. *in* 4. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3.) docentis, aliquando factam consecrationem in fermento, ne Ecclesia judaizare videretur, quod ex eodem, & aliis supra citatis Scholasticis scribit Gersonius in tract. de Commun. sub utraque specie. Probant id quidem Bona, & Tournelius ex Actis Apost., (*cap.* 2.) ubi dicitur: Et erant perseverantes in communicatione fractionis panis .... Et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione &c. Sed hæc loca nihil evincunt; non enim de Pane Eucharistico, sed de communi, & in mensis ad prandium adhiberi solito sermo est, quamvis aliqui Patres, & mystici Scripto-

ptores Eucharistiam, aut ejus figuram accipiant. Probant secundo ex eo, quod legitur de Melchiade Papa, (*tom. 1. Conc.*) qui statuit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod appellatur Fermentum. Ex eo, quod legitur de Siricio, (*tom. 2. Con.*) qui constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per totam hebdomadam, nisi consecratum Episcopi susciperet, quod dicitur Fermentum. Ex eo, quod legitur de Innocentio I. scribente ad Decentium Eugubinum: (*cap.* 5.) De fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, frustra nos consulere voluistis, quia omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sunt constitutæ, quarum Presbyteris, qui die ipsa propter plebem sibi creditam convenire nobiscum non possunt, id circo fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, præsertim illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias (extra civitatem constitutas) fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta. Illud ergo, quod ad Presbyteros, aut Parochos mittebatur, erat verum Sacramentum Corporis Christi, & quia Sacramenta non longe portanda sunt, mittebantur solum ad Parochias, seu Titulos intra urbem constitutos, non ad rurales. Sed illud, quod mittebatur, dicebatur fermentum: ergo panis consecratus, qui mittebatur, fermentatus erat. Verum nec hoc argumentum rem convincit. Nam illud fermentum dicitur ab eodem Pontifice, & Episcopis confectum, dicitur enim: fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt; sed fermentatum panem nec Papa, nec Episcopi conficiunt, sed a Pistoribus fermentatum, & igne coctum offerunt: ergo fermentum, de quo ibi, non est panis fermentatus. Dices: Cur ergo dicebatur Fermentum? Respondeo, fermentum vocari ab effectu, & significatione. Quia velut fermentum erat, ac vinculum, quo plebs Pastoribus, & Pastoris Capiti nectebantur, & in unum corpus coalescebant. Appellabatur autem fermentum, ait Latinus Latinius, (*dissert. de hoc ferment.*) non quia aliquid haberet commune cum fermento, quo utimur ad panem fermentandum, sed fortasse ea ratione vel quia massa quædam, & conspersio erat (facta ab Episcopo) utriusque partis *Sacramenti*, corporis nimirum, & sanguinis, ita ut nullo modo separari possent; vel quia ipsa massa fermenti vicem gerebat, in majori alia massa fermentanda, quæ esset ad populum cujuscumque tituli communicandum. Displicet autem hæc interpretatio Baronio, (*ad ann.* 313. *Christi.*) quia non vult fermentum illud fuisse sacramentum; Bonæ, quia vult, fuisse panem fermentatum. Sed utraque hæc sententia cum Canonum eorum verbis apertissime pugnat. Ex illis ergo usus fermentati apud Latinos nullo modo conficitur.

30. Illis igitur omissis, & aliis pluribus adhuc enervioribus, quæ

apud

apud illos videri possunt, probatur assertio ratione a priori. Nam urgentibus per totam Occidentalem Ecclesiam Paganorum insidiis, & vexationibus a fine primi usque ad finem tertii sæculi, opus fuit, sanctos Dei Ministros, & fidelem populum, qui ferme quotidianæ communioni assueverant, ad deserta confugere, habitare in speluncis, & cavernis terræ aporiatos, angustiatos, afflictos, & sacrificare Deo in privatis domibus, in ergastulis, in carceribus, ut possent sacra mysteria ab infidelibus undique insidiantibus occultare, & vitam propriam tueri; sed in his angustiis, locis, & circumstantiis incredibile est, eos semper ad manum habuisse panes azymos, quum ex ipsa diversitate panis facile possent infideles, fratres, sorores, parentes, mariti, conjuges, ab quibus sæpe accusabantur, mysterium aliquod suspicari: opus fuit ergo, ut in usitato, & communi, in fermentato pane sacra conficerent. Et ecce tibi, absque omni Alexandri I., aut alicujus Pontificis constitutione, aut Concilii Oecumenici decreto veram, & naturalem causam, necessitatem, scilicet, utendi fermentato. Confirmat id apertissime Tertullianus ad fœminas loquens cum infidelibus conjugatas: (*lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 5.) Nec sciet, inquit, maritus, (infidelis) quid secreto ante omnem cibum gustaveris: Et si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur; sed si sciret, panem esse diversum ab eo, qui ad obsonium adhiberi consueverat domi suæ, mysterium subodorari facile posset: ergo oportebat, panem, in quo sacra mysteria conficiebantur, communem, & fermentatum fuisse. Necessitati accessit & Politica Ratio. Nam quum primum Ebionitæ, deinde Manichæi, & Nazareni ex diversis principiis ducti putarent, necessario in azymis sacrificandum esse, in ejus erroris detestationem Ecclesia fermentatum aut alicubi instituit, aut ubi usitatum jam erat, conservavit, quum id ad fidem nullo modo pertinere intelligeret, sed ad meram disciplinam. Accessit juxta antiquum offerendi morem majus fidelis populi, & Parochiarum commodum. Mos enim erat, ut fideles ad sacrificium convenientes, præsertim diebus Dominicis, & festis, ex suo aliquid Deo offerrent, scriptum est enim: (*Exod.* 23.) Non stabis in conspectu meo vacuus; immo & paganus Comœdus Romanas fœminas alloquens: (*Plaut. Rud.*) Æquius vos erat, inquit, candidatas venire, hostiatasque ad hoc fanum, id est, hostiis, quas offerretis, instructas. Hinc illud Cypriani ad divites fœminas: (*lib. de op. & Eleem.*) Dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, accipis. Similia Augustinus. (*serm.* 215. *de temp.*) Hinc in Collecta quadam dicitur: has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad

salutem. Igitur in his panibus, eoque vino consecrabatur, aut saltem in parte aliqua ejus, quod a fidelibus oblatum erat; sed fideles non offerebant nisi eos panes, quibus domi vescebantur, id est, fermentatos: ergo. Confirmatur hoc totum ex historia, quam narrat Joannes Diaconus (*l. 2. c. 41.*) in vita Gregorii Papæ. Scribit enim, fœminam quandam Sancto Pontifici celebraturo panem obtulisse. Tempore autem Communionis, mysreria traditurus, quum diceret: Corpus Domini nostri J. C. &c. subrisit fœmina. Re animadversa, Gregorius communionem suspendit, & peracto sacrificio, mulierem quare risisset, interrogat. Illa autem: Quia panem, inquit, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum esse dicebas. Porro ex hoc facto patet I. Gregorium eundem panem, quem mulier obtulerat, consecrasse. II. panem illum fermentatum fuisse. Nam quæ mulier Sacramentum Corporis Christi ignorabat, multo magis ritum, & materiam aptam consecrationi ignoraverit: tempore igitur Greg. Magni, id est, sexto sæculo exeunte, aut septimo ineunte, Latini aliquando saltem in fermentato sacra mysteria conficiebant. Et quidem usque ad tempora Gregorii Dialogi, (sic enim Gregorium Magnum Græci vocant, quod Dialogorum libros scripserit) fermentatum apud Latinos in usu fuisse, scribit Georgius Corcyrensis apud Allatium. (*in diatriva de Georgiis.*) Simeon item Thessalonicensis in libro de Templo, & Missa: Gregorius, ait, author ille Dialogorum in fermentato sacrificium offerri, testatur. Dixi *aliquando saltem* propter testimonium allatum ab D. Thoma in Catena super Matth. & in 3. p. q. 74., art. 4., ubi Gregorium ita loquentem inducit: Ecclesia Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione carnem suscepit; aliæ autem Ecclesiæ offerunt fermentum pro eo, quod Verbum Patris indutum est carnem, & est verus Deus, & verus homo. Nam & fermentum commiscetur farinæ. At hæc verba, Bona Cardinalis ait, apud Gregorium non inveniri, neque in Regesto Epistolarum, neque in Dialogis. At in antiquis MS. Gregorii extitisse, testis est D. Thomas, qui eadem verba bis allegat vir eruditissimus, & sanctissimus, testis est Simeon Thessalonicensis nuper allegatus, testis est Anonymus author Tractatus contra Græcos dist. 3., qui tractatus habetur tom. 4. Biblioth. PP. parte I. Quod si in editis exemplaribus non habetur, hoc erit opus alicujus Critici Editoris, qui neque azymum, neque fermentatum in sexto sæculo tam invicto testimonio probari voluerit. Ex eo namque patet, alias Ecclesias, etiam Occidentales, nam Græcos Gregorius non nominat, fermentato, alias azymo usas fuisse secundum diversa dogmata, quæ per eum ritum protestari volebant, sicut propter easdem causas inter Orientales Armeni, & Maronitæ, & Hiero-so-

solymitani, & Alexandrini azymum, Græci autem fermentatum adhibebant, quod Hierosolymitano, & Alexandrino Patriarchæ scribens, ipse Michael Cerularius primus hujus controversiæ parens fatetur.

31. Ex dictis autem patet, usum Azymorum antiquissimum esse, quem Christus Eucharistiæ author exemplo suo consecravit, & Petrus summum, & antiquissimum Theologorum culmen Ecclesiæ Romanæ, cujus parens fuit, tradidit. Quod si Græci in retinendo fermentato constantiores inventi sunt, hoc & obstinationi tribuendum est, & errori, & defectui earum causarum, quæ Latinos ad omissionem Azymorum impulerunt. Obstinationi quidem, quia Latinis cedere & Primatum jurisdictionis, & authoritatis fateri, jam inde ab Trullana Synodo recusarunt. Errori, quia posteriorum sæculorum Græci in ea sunt opinione, in Azymo non solum non licite, sed nec valide consecrari. Unde ab septimo sæculo Maronitas arguebant, quum dicerent, Azymum non esse panem, atque adeo neque aptam Sacramento materiam. Occasionis defectui, quia urgens necessitas, & hæreses, quæ induxerunt ad ritus mutationem, Latinos ad utendum fermentato, non poterant Græcos inducere ad suscipiendum azymum, ut per se patet. Reliquum est ergo, ut tertium controversiæ caput discutiamus, nimirum, quis sit ex his duobus usus congruentior, & institutioni Eucharistiæ, & ejus oblationi? Assero III. Latinæ Ecclesiæ ritus congruentior est, quam ritus Græcorum. Probatur. In sacris ritibus, & maxime in sacramentis tutissimum est, & congruentissimum eademmet facere, quæ Christus eorumdem institutor fecit; sed Christus in azymis consecravit: ergo optimum, & congruentissimum est. Minor, in qua est tota difficultas, probatur fere evidenter ex Evangelio. Dicitur enim apud Matth. (*cap.* 26.) Primo die Azymorum accesserunt discipuli ad JESUM dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?... Et fecerunt, sicut præceperat eis JESUS, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis; cœnantibus autem eis, accepit JESUS panem &c. Et prima die azymorum, quando Pascha (id est agnum Paschalem) immolabant, (Judæi) dicunt ei Discipuli: ubi vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Ita Marcus. (*cap.* 14.) Lucas vero: (*cap.* 22.) Venit autem dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha; & misit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. Sed dies, in quo Judæi Pascha immolabant, dies, in quo necesse erat occidi Pascha, erat decimaquarta primi mensis ad vesperam, ut habetur Levitici 22. ergo Christus agnum manducavit, sive Pascha immolavit die decimaquarta Mensis primi, sive Martii ad vesperam; sed ab eo primo die Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, id est, a vespere secundo diei decimæ

quar-

quartæ prohibitum erat fermentum in cunctis domibus filiorum Israel, & omnis, qui fermentatum comedisset a prima die usque ad septimam reus erat mortis. Scriptum est enim in libr. Exodi: (*cap.* 12.) Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum: igitur Christus nonnisi in azymis consecravit; nec in fermentato consecrare potuit, quin se, suosque discipulos omnes justis Judæorum accusationibus, & certæ morti exponeret, ut bene argumentatur adversus Græcos toties laudatus Humbertus: Objicitis, inquit, Christo, quod Judæorum nemo objicere præsumpsit: quod si fuisset objectum, ad illum; & omnes Apostolos perdendos sufficeret. Nonne instarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha manducavit contra præceptum Exodi? ... Forte dicetis, eum clam hoc fecisse. Sed numquid Dominum domus, in qua Pascha celebrabat, sanctæ Legis prævaricatio latere potuit? Quod si forte, & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit, numquid & Judam complicem malignorum Judæorum latere potuit? Certum est igitur, inquit Anselmus, (*ep. ad Walder.*) quia Christus azymum benedixit, non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia Cœna forsitan, in qua hoc factum est, illa hoc exigebat.

§ 32. Ad hujus argumentationis vim eludendam diversas solutiones excogitarunt non Græci solum, ut Euthym., & Nicephorus, sed etiam Latini, qui, nescio quibus Judæorum traditionibus ducti, Christum non eodem cum Judæis die Pascha celebrasse, sed eam anticipasse, de quorum opinione loquens D. Thomas (*in* 4. *dist.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3.) quidam, ait, dicunt, Christum passum fuisse Luna decimaquarta, quando Judæi Pascha immolabant. Unde & Joan. 18. dicitur, quod Judæi noluerunt introire in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: ergo quia nondum Pascha manducaverant; sed Christus pridie ejus diei, id est, pridie mortis suæ, ergo Agnum immolavit Luna 13. ad vesperam, sive in primis vesperis Lunæ 14. Unde Chrysostomus: (*homil.* 82. *in Joann.*) quod tunc Judæi faciebant Pascha, quando Christus occisus est; ipse vero ante unam diem Pascha celebravit, reservans suam occisionem sextæ feriæ, quando vetus Pascha fiebat. Cui consonat quod dicit Joannes, quod ante diem festum Paschæ, facta cœna, Dominus discipulorum pedes lavit .... Sed contra hoc videtur esse, quod dicitur Mat. 26. quod prima die Azymorum accesserunt discipuli ad JESUM dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Ex quo patet, quod cum dies primus Azymorum esset de-

cimus quartus mensis primi, quando agnus immolabatur, constat, die decima quarta Christum cœnam fecisse, & decima quinta passum esse. Et hoc expressius manifestatur per id, quod dicitur Marc. 14. Primo die azymorum, quando Pascha immolabant. Qui? nisi Judæi? & Luc. 22. venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha... Et ideo quidam dicunt, quod Christus die convenienti, nimirum, decima quarta luna, Pascha cum discipulis suis manducavit, demonstrans, se usque ad vitæ extremum legem observasse, nec ei fuisse contrarium, ut Chrysostomus dicit sup. Math. (*hom.* 85.) Judæi tamen occupati circa procurationem mortis ejus, contra Moysis legem, celebrationem Paschæ in crastinum, id est, in Lunam 16. seu Sabbathum distulerunt, & propter hoc de eis dicitur, quod in die passionis noluerunt introire in prætorium, ut non contaminarentur, & possent die sequenti rite manducare Pascha. Verum hæc conjectura, si de omni populo Israelis intelligatur, falsa omnino est. Non enim est credibile, omnes Israelitas, qui ad Jerusalem ex omnibus tribubus conveniebant ad celebrandum Pascha, ita esse odio in Christum inflammatos, ut propter ejus mortem procurandam, legem apertissimam proculcarent. Et ille dies erat, in quo Pascha immolabant, ut ait Marcus, & in quo necesse erat occidi Pascha, ut inquit Lucas. Quod si Pascha ea de causa translatum esset publico aliquo decreto, non discipuli sponte sua ad Christum accessissent dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Si autem intelligatur de Scribis, & Pharisæis, & Principibus Sacerdotum, probabilior videri posset, & habet fundamentum in Chrysostomo, (*hom.* 85. *in Mat.*) quem sequitur, ut fere semper, Theophilactus; in Cyril. Alexandrino, (12. *in Joann. cap.* 2.) in Eusebio Emisseno, quem affert D. Thomas in Catena Luc. 22., & in Leone Magno ajente: (*Ser.* 7. *de Pass.*) Scribas, & Pontifices, omniumque animos Sacerdotum ita curam admittendi in JESUM sceleris occupasse, ut ipsi se lege privarint, & spontaneo defectu ritus sibi patrios abstulerint. Verum hæc verba, quæ Leo ex Hieronymo (*in* 26. *Mat.*) desumpsit, sensum alium habere possunt, ut scilicet, præ odio in Christum, non agnum Paschalem comedendi ritum omiserint, sed quod eum occidendo in festo solenni Paschæ, diem sanctissimum contaminaverint. Quidquid tamen illud sit.

33. Nec istud videtur consonum, pergit D. Thomas, (3. *p. q.* 46. *art.* 9. *ad.* 1.) verbis Mathæi dicentis: Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant. Simul ergo Christus, & Judæi vetus Pascha celebraverunt. Et sicut Beda dicit super Marc., (*cap.* 14.) licet Christus, qui est Pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die, hoc est, decimaquinta Luna; attamen nocte, qua agnus immolabatur, corporis,

ris, sanguinisque sui discipulis tradens mysteria celebranda, & ab Judæis tentus, ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacravit exordium. . . . Faciebant Pascha Judæi, inquit Rupertus, (4. de op. SS. cap. 8.) secundum Lunæ cursum decima quarta die, comedebant agnum secundum Legis mandatum, & eadem nocte Dominum comprehenderunt. . . . Quum autem dicitur Joannis 13. Ante diem festum Paschæ sciens JESUS &c. intelligitur, hoc fuisse decima quarta luna, quæ tunc contigit feria 5. nam luna decima quinta existente, erat dies solennissimus Paschæ apud Judæos. Et sic eumdem diem, quem Joannes nominat ante diem festum Paschæ propter distinctionem naturalium dierum, Mathæus, & alii Evangelistæ nominant primum diem Azymorum, quia secundum ritum Judaicæ festivitatis, solennitas incipiebat a vespera præcedentis diei. Quod autem dicitur, ut manducarent Pascha, intelligendum est, quod ibi Pascha non dicitur agnus Paschalis (qui jam immolatus erat die præcedenti luna decima quarta) sed nomine Paschæ intelligitur cibus Paschalis, id est, azymi panes, quos oportebat comedi a mundis per septem dies continuos. Unde Chrysostomus ibidem aliam expositionem affert (homil. 82. in Joann.) dicens, quod Pascha potest accipi pro toto festo Judæorum, quod septem diebus agebatur. Hæc D. Thomas, quem Natalis Alexander, (dis. 11. ad sec. 11.) dum Baronium, & Bellarminum impugnaret, nescius impugavit. Hoc o- [illegible] biter.

34. Ex hac autem D. Thomæ clarissima doctrina facile explicantur loca omnia Scripturarum, quibus Græci, & nonnulli etiam Catholicorum suas conjecturas confirmant. Opponunt enim I. illud Joann. 13. Ante diem festum Paschæ sciens &c. sed dies festus Paschæ incipiebat ab secundis vesperis Lunæ decimæ quartæ: ergo Christus celebravit Pascha ante secundas vesperas Lunæ decimæ quartæ: ergo non sequitur consecrasse in azymis. Ita Græci, quibus suffragatur ex parte Natalis dicens, alioqui improprie loquutum fuisse Joannem. Sed hoc ipsum argumentum Natalis videre potuit apud D. Thom. præter cit. loc., etiam quæst. 78. (art. 4.) ubi iisdem fere terminis ipsum sibi opponit, respondetque: Ad primum dicendum, quod sicut legitur Exod. 12. solennitas Paschalis incipiebat a vespera decimæ quartæ lunæ, & tunc Christus post immolationem Agni Paschalis hoc Sacramentum instituit. Unde hæc eadem dies a Joanne dicitur præcedere diem Paschæ, & a tribus aliis Evangelistis dicitur prima dies Azymorum, quando Pascha immolabant. Verissimum utrumque. Nec improprie, sed proprissime loquutus est Joannes. Non enim dixit *Ante Pascha*, sed *ante diem festum Paschæ*. Nam quamvis Pascha, sive immolatio Agni celebraretur exeunte Luna 14, tamen festus

dies Paschæ erat Luna decima quinta, sicut scriptum est: (*Levitic. cap.* 23.) Decima quarta ad vesperam Phase Domini est; & in decima quinta solennitatem celebrabitis &c. Hinc ad argumentum in forma negatur minor. Nam dies festus Paschæ, & Azymorum incipiebat cum die naturali a media nocte, sed Pascha immolabatur, & Azymi comedebantur pridie ejus diei; nimirum, desinente Luna 14. Sicut nunc apud nos Solennitas Sancti Andreæ incipit desinente die 29. Novemb., quando canitur Vesperum; sed festum S. Andreæ non incipit nisi cum die 30. Novembris, quando cessare a servilibus jubemur. Et ideo Joannes dixit *ante diem* secundum distinctionem naturalem dierum; Mathæus autem, & alii dixerunt: *Prima die Azymorum*, secundum ritum Legalem; qui incipiebat a vespere præcedentis diei, ut ait D. Thomas, quem sequuntur Bellarminus; (*lib.* 4. *de Euchar. cap.* 8. *&* 9.) & Baronius, & impugnat Natalis, ut nescio quibus Rabbinorum traditionibus aurem præbeat. Opponunt secundo illud Joannis: (*cap.* 18.) Ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: ergo Judæi nondum manducaverant Pascha. Sed hoc jam diluit item D. Thomas ex Chrysostomo in verbis supra adductis. Tertio opponitur illud: (*Joan.* 19.) Judæi ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in Cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi, rogaverunt Pilatum &c.; sed non erat magnus dies ille Sabbathi, nisi quia in eo Judæi Pascha celebrabant: ergo Judæi seorsim a Christo Pascha eo anno celebrarunt. Quarto opponitur illud Joannis eod. cap. Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta, & dixit eis &c. *Parasceve* autem Græcum nomen est, quod significat Præparationem: ergo dies erat, in quo præparabantur necessaria ad Pascha, quando crucifixerunt eum; sed dies præparationis ad Pascha non est ipse dies Paschæ; sed Christus crucifixus est decima quinta Luna: ergo Judæi eo anno non celebrarunt Pascha in decima quinta Luna, sed in decima sexta, atque adeo non simul cum Christo, sed uno die posterius. Quinto. In Concilio, quod fecerunt Judæi ad occidendum Christum, (*Mat.* 26.) decretum est, ne id fieret in die festo, ne forte tumultus fieret in populo; sed si Christus crucifixus fuisset in die solemni Paschæ, esset id factum in die omnium festivissimo: ergo non est occisus in die solenni Paschæ; sed fuit occisus luna decima quinta: ergo quia Judæi eo anno Pascha transtulerant ad diem decimam sextam.

35. Hæc tria postrema argumenta potissimum militant pro opinione quorumdam Recentiorum existimantium, Christum quidem agnum immolasse decima quarta luna ad vesperam juxta præscriptum Legis, & luna 15. crucifixum fuisse, sed contendunt, Paschæ festum eo an-

no translatum fuisse a Judæis ad lunam, seu diem 16. In hac opinione conveniunt Rupertus, (in comm. Levit. cap. 23. & Math. 26.) & Paulus Burgensis, (In addit. ad Lyran. in caput. 26. Math.) sed in hoc differunt, quod Rupertus ait, agnum Paschalem manducandum fuisse feria quinta, quando in eam incideret Luna decima quarta; sed festum Paschæ transferri solitum ad diem 16., ne duo dies festi continenter sibi succederent, quod erat incommodum, quia quæ præparanda erant ad Sabbathum, non poterant in feria 6. præparari, si festiva esset. Burgensis autem putat, translato festo, etiam immolationem Agni transferri, atque ita anno, quo passus est Christus, ipsum quidem agnum immolasse fer. 5., sed Judæos feria 6. eo, quod diem festum ad Sabbathum transtulissent. Burgensem ex Apocryphis, & recentioribus Rabbinorum traditionibus ista comminiscentem, tanquam in suæ arte peritum, quippe Judæus origine, & religione fuerat, atque ex Levitica tribu, ut ipse scribit, oriundus, facile secuti sunt Recentiores nonnulli, Joannes Lucidus, Onuphrius Panvinus, Joannes Calvinus, Hentenius, Maldonatus, Natalis Alexander, Mariana, qui hanc, ait, verissimam esse rationem Evangelistas conciliandi. Calvinus item dixerat, (in illud Math. 26.) hanc opinionem rationibus muniri validissimis, & quæ nullis possint cavillis eludi. Sed trepidaverunt timore, ubi non erat timor, nodum in scirpo quærentes, & fingentes laborem, ac difficultatem in præcepto Paschæ, & in narratione Evangelistarum, quæ simplicissima est, & planissima, ut ex dictis, & dicendis constabit. Et primo quidem sententia Ruperti non solum vana, & arbitraria est, quippe nulla authoritate, traditione, aut ratione firmata, sed etiam absurda, & quæ Latinorum ritui adversatur, tum denique, ad finem, ad quem excogitata est, prorsus inutilis. Nam si, immolato Agno Paschali Luna decima quarta ad vesperam, decima quinta non esset dies Paschalis, non comederentur Azyma continenter a die 14. usque ad 21., quod jubetur in Levitico. Item inter 14. exeuntem lunam ad vigesimam primam inveniretur fermentatum, quod jubetur exulare ab cunctis finibus Hebræorum. III. Hac opinione posita, Latinorum adversus Græcos fundamentum ruit. Nam, si immolato agno luna decima quarta ad vesperam, dies sequens non erat festus dies Azymorum: ergo post cœnam Agni rediri poterat ad fermentatum; sed si ad fermentatum rediri poterat in cœna communi, probari non potest, Christum consecrasse in Azymo: ergo. IV. Denique. Prorsus inutilis est ea opinio ad finem ab suis authoribus intentum. Ideo enim hujusmodi translatio excogitata est, ut non immediate duo festa sibi succederent, quod erat incommodum. Nam in fer. 6. præparanda erant necessaria ad Sabbathum, quod fieri non posset, si dies festivus esset; sed nec

ullum

ullum erat incommodum, nec si esset, per illam translationem vitabatur: ergo &c. Pars prima convincitur. Nam si aliquod esset incommodum, maxime circa præparationem ciborum, qui in die Sabbathi præparari non poterant, quum neque ignem liceret accendi; sed hoc poterat fieri in feria sexta, licet dies festus esset: ergo nullum erat grave incommodum. Minor probatur. Nam licet in die Sabbathi esset prohibitum coquere, & condire cibos; at in aliis diebus festis, id non erat prohibitum, & expresse permissum in die 1., & 7. Azymorum Exod. 12. ubi dicitur: Nihil operis facietis in eis, exceptis iis; quæ ad vescendum pertinent: ergo, uti observavit D. Thomas, prima dies Azymorum, licet esset festum Paschæ, poterat esse Parasceve, seu præparatio ad Sabbathum sequens. Cætera autem opera servilia, quæ in omnibus festis erant prohibita, non erat incommodum in antecessum fieri, aut ad duos differre dies, sicut apud nos Christianos fit sæpius, quum duo, aut tres dies festi, vel etiam quatuor sibi immediate succedunt. Quid? quod ipsum illud incommodum, si esset, non vitabatur per illud inventum Ruperti, quod erat secundo probandum? Nam translata prima die Azymorum in Lunam decimam sextam, etiam septima dies Azymorum transferenda erat in Lunam vigesimam secundam: ergo si Luna decima sexta incidebat, ut anno illo Christi, in Sabbatum, Luna vigesima secunda incidebat in feriam sextam; sed dies septima Azymorum erat æque festiva, & solennis, ac prima, ut in Exodo habetur: ergo dies septima Azymorum, seu luna vigesima secunda, seu feria 6., & Sabbathum sequens immediate duo festa sibi succedebant, atque adeo incommodum illud non vitabatur. Respondet Natalis: eos, qui primam transferebant, etiam potuisse septimam diem transferre, & tunc, inquit, septima die Azymorum usum cessasse, sed sacrificia, & reliqua, quæ in septima die fieri solebant, transferri ad octavam. Hæc Natalis, tamen ex proprio cerebro, nulla authoritate, exemplo, aut traditione munitus, & argumenti pondere pressus. Absurde tamen. Nam quum in solemnitatibus, quæ Septimam, aut Octavam habent, omnes illi dies veluti unam solennitatem constituant, continui esse debent, nec unquam quis audivit, octavam alicujus festi transferri. Deinde si septima dies cessabat Azymorum usus: ergo non implebatur Exodi præceptum, quicumque comederit fermentum a primo die usque ad septimum, peribit anima illa de Israel .... Septem diebus azyma comedetis, nimirum, continuis a luna 14. usque ad 21. Sed addit, hæc facere solitos Judæos contemnentes mandata Dei propter traditiones hominum. At hic non de factis Judæorum, sed factis licitis, legitimis, de eorum traditionibus rationabilibus, & de interpretationibus non legi contrariis, sed legi accommodis. De cætero enim quid ad nos de his,

his, qui foris sunt judicare? Denique, ut argumentatur Bellarminus. In sententia Ruperti prima dies Azymorum incipiebat ab secundis vesperis lunæ decimæ quartæ, in qua immolabatur agnus Paschalis: ergo finienda erat in secundis vesperis Lunæ 15. alias prima dies Azymorum componi posset ex duobus diebus interruptis, nimirum, ex secundis vesperis lunæ decimæ quartæ, & toto die, seu luna decima sexta, interposita luna, aut die 15., quod absurdum, & inauditum est.

36. Præterea impugnatur ille opinandi modus omnibus, quibus opinio Burgensis argumentis convellitur. Est enim ille dicendi modus Historiæ Evangelicæ contrarius, contrarius Patribus, & sensui Ecclesiæ, absurdus est, falsus est, atque inutilis. Singula probamus, & 1. quidem ex Joanne, quem sibi favere putant, validissime. Nam ex eo habetur, Christum lavisse pedes discipulorum, & Eucharistiam instituisse ante diem festum Paschæ; sed hæc fecit in ipsa nocte, in qua Judæi Pascha immolabant, in qua necesse erat occidi Pascha, & de qua ipse dixerat: Scitis, quia post biduum Pascha fiet: ergo ea Christus fecit pridie Paschatis; sed die sequenti crucifixus est: ergo dies sequens erat festus dies Paschatis. Respondet Burgensis, illud Evangelistarum *quando immolabant*, in quo necesse erat occidi Pascha, intelligendum de jure, non de facto, quasi dicerent; quando immolari debebat juxta legem, in qua juxta Moysem occidi debebat Pascha; sed hoc non habet locum in Verbis Christi: Post biduum Pascha fiet. Non habet locum in verbis Discipulorum: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Nam rudes, & imperiti homines ut erant, non sciebant illa nocte manducandum Pascha ex Astronomicis observationibus, sed ex publico Kalendario, & observatione, atque exemplo urbis, & totius gentis: ergo nulla fuit talis translatio festi in Sabbathum, de qua totus Populus singulis annis admonendus erat. II. item ex eodem Joanne. (*cap.* 13.) Quum Christus dixisset Judæ: Quod facturus es, fac citius .... quidam putabant, quod dixisset ei JESUS: Eme ea, quæ sunt opus nobis ad festum diem; sed non erat credibile, Christum fuisse adeo solicitum de emendis noctu necessariis ad festum, quum emi possent toto die sequenti: ergo quia dies sequens festus erat. III. Joann. 18. Dicunt ad Pilatum Hebræi: Nobis non licet interficere quemquam; sed non alia de causa eis non licebat, nisi quia dies festus erat ille, nam potestatem occidendi reos ex lege habebant, nec a Romanis eis adempta fuerat. Nam Stephanum deinde, & Jacobum fratrem Domini ipsi occiderunt, & in Actis Apostol. conqueruntur ad Felicem de Tribuno Lysia, quod de eorum manibus Paulum violenter eripuisset: ergo quia festus apud Judæos dies agebatur, quum crucifixus est Dominus. IV. Eodem Joannes capit.

pit. Pilatus ait: Est vobis consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha; dimisitque, ipsis petentibus, eodem die Barabbam: ergo quia dies ille Paschalis erat. At non secundus, aut tertius, quum sequutus esset immediate lunam 14. ergo primus, qui solennis erat, & festus, ut ab Luca, Mathæo, & Marco vocatur. Respondet Duhamelius, in Græco apud alios Evangelistas haberi per diem solennem, per diem festum, Græce κατα, id est, propter diem solennem. Et quidem verum est, propter solennitatem diei vinctum solere dimitti; sed tamen ibi Græcum κατα, & Latinum per non significat *propter*, sed *in*, sicut quum dico *per id temporis*, *per annum* illum &c. nemo intelligit *propter*, sed *in*, nimirum, *in illo tempore*, *in illo anno*. Respondet item, & cum eo Natalis, optime dici factum in Pascha, quod fit in pervigilio Paschæ. Non inficior. Sed quum dico *per diem solennem Paschæ*, *per diem festum Paschæ*, pervigilium Paschæ nemo sanus intelligit.

37. Est item prædictus dicendi modus, quod erat secundum, Patribus contrarius, qui communi Græci, & Latini consensu tenent, in die ipso solenni Paschæ occisum fuisse, atque ita impletam fuisse Amosii prophetiam: (cap. 8.) Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & convertam festivitates vestras in luctum. Conversa est enim festivitas in luctum, inquit Tertullianus in lib. contr. Judæos, (cap. 9.) quia in die solenni Paschæ, & in primo Azymorum Sol occidit in meridie, quando circa horam sextam tenebræ factæ sunt super universam terram. Origenes in Numer. (hom. 23.) item ait, defecisse omnes Judæorum festivitates, quod in loco sancto, & in die festivitatis Dominum JESUM crucifixerunt. Similiter Clemens Romanus in 5. Constit. In ipso die suo festo Dominum comprehenderunt, ut impleretur, quod scriptum erat: Posuerunt signa sua, signa, & in medio solennitatis suæ non cognoverunt. Consonat Epiphanius hær. 70. Theophil. Alexandrinus in Epist. ad Theodosium, quem profert Beda de ration. tempor. (cap. 57.) Cyrillus Hierosolymit. catech. 13. Chrysostomus in Math. hom. 86. Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 21. Illum diem festum, ait Augustinus tract. 50. in Joann. Judæi cruentum habere voluerunt, illo die festo occisus est Agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit. Rationem reddit Leo Papa sermone 7. de Passion. ut impii Judæi, qui sæviendi in Christum occasiones sæpe quæsierant, non nisi in solennitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem, nimirum, ut in festo solennissimo, & coram totius Hebraici populi oculis sacrificium solennissimum offerretur, per quod antiquarum victimarum umbræ, ac figuræ consummarentur. Adde Victorem Antioch. quem Latinum reddidit Theodorus Peltanus, in 14. Marci disser-

serte ajentem, libenter Judæos diem festum, qui eo anno occurrebat feria 6. in alium diem fuisse translaturos, si id per legem licuisset. Adde Bedam sup. cit., & in Joan. 18. Adde Anselmum in Matt. 26., & posteriores omnes. Non ergo cognita fuit Patribus antiquissimis, & diligentissimis Evangelii Expositoribus translatio illa diei festi, quam ex turbidis Rabbinorum fontibus Paulus Burgensis nobis obtrudit.

38. Contraria item est ea opinio communi sensui Ecclesiæ. Nam sensus Ecclesiæ est sensus idem Patrum Scripturam sacram uniformiter exponentium; sed nullus invenitur Patrum, qui huic festi Paschalis translationi fidem faciat, vel ita de Passione Christi juxta Evangelicam narrationem loqutus fuerit: ergo &c. Item. Communis sententia Catholicorum contra Græcos Schismaticos est, Azymum esse materiam idoneam Eucharistiæ, quoniam Christus Eucharistiæ institutor in Azymis consecravit; sed hoc fundamentum incertum redditur, & infirmum stante sententia Burgensis: ergo. Minor probatur. Nam si ex Sinedrii, & Majorum decreto juxta Canonem Adu Kalendarii Hebraici primus Azymorum dies transferri debuit in Sabbathum: ergo quia juxta Hebraici Kalendarii computationem in Sabbathum incidebat Luna 15., nam juxta Exodi præscriptum 15. Luna prima, & solemnissima erat: Luna ergo decima quarta erat feria 6. seu Parasceves, & feria quinta fuit Luna decima tertia, quando Cœnam legalem Christus manducavit; sed hæc est opinio Euthymii, & Græcorum, ex qua inferunt, Christum non consecrasse in azymis, nam post cœnam legalem factam in azymis, rediri poterat in Cœna communi ad fermentatum, quum non inciperent septem dies azymorum nisi Luna decima quarta ad vesperam: ergo stante ea opinione, incertum est, & infirmum argumentum, quo Ecclesia contra Schismaticos probat licitam esse consecrationem in azymis. Deinde si Christus Luna decima tertia Pascha suum fecit: ergo non eam fecit prima die Azymorum: ergo non eam fecit, quando Judæi Pascha immolabant: ergo non eam fecit in ea die, in qua necesse erat occidi Pascha: ergo non eam fecit pridie ante festum Paschæ: ergo jure accusari potuit tanquam legis prævaricator, & similiter omnes Apostoli, qui contra præscriptum legis, & Synedrii, ac majorum decretum in Kalendario publico promulgatum Pascha anteverterant. Nam licet Christus non esset, ut Deus, legi subjectus, & posset ante diem agnum comedere, qui se noverat sequenti die occidendum; at Apostoli legi subjecti erant, & poterant die sequenti agnum comedere cum tota gente sua, quod ni facerent, juste accusari, & morte mulctari poterant. Ex quo patet, quod erat quarto loco probandum, nimirum, opinionem illam absurdam esse.

39. Quinto loco dictum est, eam Burgensis opinionem falsam esse. Quamvis enim sciamus, multis jam ab sæculis viguisse, & vigere nunc apud Hæbreos hanc consuetudinem, & festorum suorum instituendorum rationem, ut Pascha nunquam incidat in diebus Hebdomadæ paribus, nimirum, feria 2., quarta, & sexta, ne duo festi dies immediate sibi succederent, & quamvis eam lunæ motuum, ac dies mensium computandi rationem, nec legi contrariam, nec omnino incongruam, negamus tamen, eo modo historiam Evangelicam explicari posse, & traditionem illam Hebræorum longe post Christum incœpisse, probamus. I. Nam Abenezra inter Rabbinos celebris in Levit. (*cap.* 23.) disertis verbis affirmat, hanc traditionem non incepisse a tempore secundi templi, ut Burgensis fabulatur, sed nec fuisse, quum Thalmud scriberetur. Nam & in Misna, & in Thalmud, inquit, invenitur Pascha in בגדו, id est, in diebus paribus hebdomadæ; sed Misna, & Thalmud scripta sunt nonnullis post Christum sæculis, ut in 2. lib. p. 9. ostensum est: ergo. II. Probatur ex Epiphanio, qui ab Judaismo ad fidem transiverat, linguamque, & ritus Hebræorum optime noverat. Is enim hæresim Ebionitarum, & hæresim Alogorum describens, (30. & 51.) inquit, festum Azymorum apud Hebræos incidere in quamcumque hebdomadæ diem, idemque confirmant Baronius, (*in* 3. *p. q.* 5. *art.* 6. *disp.* 4. *sect.* 4. *tom.* 2.) & Suarezius Philonis, Josephi, Eusebii, & Nicephori testimoniis. Respondet Natalis, eos authores loquutos de observatione illa secundum legem Moysi, non secundum Canones Kalendarii Hebraici. Sed nos probamus, talem Canonem non fuisse in usu tempore Christi. Nam Epiphanius de tempore Christi aperte loquitur exponens illud: (*Luc.*
6.) Factum est in Sabbatho secundo primo. III. Probat id ipsum
Bellarminus invictissimo hoc syllogismo: Ecclesiæ Asiaticæ per tria
prima sæcula, imo usque ad Conc. Nicœnum ann. 325. celebratum, ce-
lebrabant Pascha eodem die, quo Judæi sui temporis, unde Judai-
zantes dictæ sunt; sed celebrabant Pascha luna 14. primi mensis,
quocumque die luna illa incidisset: unde Quartodecimani sunt ap-
pellati: ergo illius temporis Judæi Pascha celebrabant Luna decima
quarta, in quamcumque illa diem incidisset. Major hujus syllogismi
constat ex Ep. Synodica Conc. Nicœni ad Alex. Ecclesiam, & ex Ep.
Constantini Imper. apud Eusebium in 3. de vit. Constantini, (*cap.* 16.)
ex Eusebio ipso in 5. histor. (*cap.* 22.) quem sequuti sunt Nicephor.
in 4. histor. cap. 16. Socrates in 4. hist. cap. 6. Theodoretus 5. hist.
cap. 9. Adde Epiphanium hær. 50. & 79., Athanasium de Synodis A-
rim., & Seleuciæ, Augustinum hær. 29. Policratem ap. Eusebium in
5. hist. cap. 25., Tertullianum de præscrip. Epiphanius autem diserte
ait, ejus temporis hæreticos Audianos nec Kalendariis, nec observatio-
ni-

nibus propriis usos fuisse, sed solum observasse tempus, quo Judæi Pascha suum immolabant. Minor item nititur testimonio Augustini loc. cit. ajentis, Asiaticos celebrasse Pascha in quovis septem dierum hebdomadæ, idemque habet Eusebius, (*lib. 5. hist. cap. 22.*) Philastrius Brixiensis (*lib. de hæres. cap. de hæres. de festo Pasch.*) adhuc expressius dicit, eos Pascha celebrare solitos etiam in die 2., vel 4., vel 6. IV. est non minus efficax argumentum. Nam Christiani, quando Lunæ Paschalis dies 14. seu plenilunium incidit in Dominicam, Pascha transferimus ad Dominicam sequentem, ne videamur cum Judæis convenire: ergo quia Judæi Pascha celebrant die decima quarta, quamvis incidat in Dominicam; sed quando luna decima quarta incidat in Dominicam, feria secunda est luna 15., & primus dies festus Azymorum: ergo dies festus Azymorum incidit interdum apud Judæos in feria 2., id est, in בדו seu diebus paribus, quod canone illo Adu Rabbinico prohibitum dicitur.

40. Denique probatur, traditionem illam, & Canonis Adu cautionem esse inutilem. Inventa est enim ea translatio Paschæ ad vitandum incommodum duorum festorum sibi immediate succedentium. Sed 1. hoc incommodum nullum erat, ut supra probatum est. 2. hoc incommodum per tot sæcula a Moyse usque secundum templum vitare nunquam cogitaverunt. Nec a secundo templo usque ad Hircanum, id est, usque ad Urbis excidium. Nam Josephus in 13. antiquitatum scribit, tempore Hircani festum Pentecostes proxime post Sabbathum incidisse, neque hoc tanquam ab suo tempore alienum notat. Nec ab Hircano usque ad quintum, aut sextum ab Christo sæculum, in quo Thalmud scriptum est, quod supra ex Abenezra firmavimus: ergo Canon ille Adu Rabbinorum posteriorum inventum est a Burgensi obtrusum, cui facile assensum præbuerunt reconditioris eruditionis amore decepti nonnulli. Tertio addo, nec illud incommodum unquam vitari posse. Nam si Paschæ transferatur festum in Sabbathum, septima dies Azymorum, seu Luna 21. necessario incidet in feriam sextam: est autem septima dies æque festiva, ac prima: ergo en duo festa sibi proxima. Item: si Paschæ festum, seu Luna 14. incidat in Sabbathum, itidem Luna 14. incidet in unam Sabbathorum, id est, in Dominicam, & ecce tibi duo festa sibi proxima. Item: si festum Pentecostes incidat in Dominicam, ut de Hircani tempore scripsit citatus Josephus, erunt duo festa sibi proxima Sabbathum, & Pentecostes, & sic de aliis dierum festorum combinationibus, quæ facile excogitari poterunt. Valeant ergo Rabbinorum apocrypha commenta, & teneamus cum Patribus, Christum simul cum Judæis die a lege præscripta agnum immolasse, die prima Azymo-

rum solenni occisum esse, atque adeo quod erat propositum contra Græcos, in Azymis Eucharistiam confecisse.

41. Hinc ad tria postrema argumenta dicendum est, quibus Burgensis sententia confirmabatur. Ad primum, quod ibi positum est tertium, dicitur, magnum fuisse diem illum Sabbathi, quoniam præter solennitatem Sabbathis omnibus communem, erat unus ex diebus Paschalibus. Sicut dicitur apud nos magnus, aut solennior dies Dominicus, in quo inciderit alia solennitas v. g. Annuntiationis. Ad illud, quod opponebatur quarto, dicitur, vocari Parasceve Paschæ, non quia erat Parasceve, seu præparatio ad Pascha, sed quia erat Parasceve, seu dies Præparationis, id est, ante Sabbathum, & simul erat dies Paschalis. Unde si Pascha contigisset in feria 5., non posset dici de feria 4. erat Parasceve Paschæ, quia neque Pascha, neque alius dies festus habet Parasceve præter Sabbathum, quia in illis non est necesse præparari ad victum necessaria, sicut in Sabbatho, in quo nec ignem accendere licebat. Dictum est ergo Parasceve Paschæ, quasi diceretur: *Era Viernes* de Pasqua. Quod autem ita loquutus fuerit Evangelista, patet ex duobus aliis. Nam Marcus: (*cap.* 15.) Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum, & Lucas: (*cap.* 23.) Erat Parasceve, & Sabbathum illucescebat. Et Mathæus, (*cap.* 27.) quum Sabbathum significare vellet, dixit: Altera autem, quæ est post Parascevem. Parasceve ergo pro feria sexta semper sumitur etiam apud Joannem: (*cap.* 19.) Quoniam Parasceve erat. Non igitur dicitur Parasceve Paschæ relate ad Pascha, sed Parasceve Paschæ, quia erat Parasceve, id est, dies ante Sabbathum, & etiam dies Paschalis. Quod item manifeste habetur ex Joanne. Nam quem hic vocat Parascevem Paschæ, alibi (*cap.* 18.) vocat Pascha, dicens: Est autem consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha, de quo loco alibi dictum est superius. Ultimum vero argumentum frivolum est. Cogitaverunt quidem nonnulli, & suadebant alios, ne Christus publice comprehenderetur in die festo, ne tumultus fieret in populo, quia tanquam Prophetam eum habebant; sed obtinuit aliorum sententia, qui quovis die, ac tempore occasionem capiendi, & occidendi Christum, non esse perdendam, arbitrabantur. Vel quamvis ea fuisset omnium sententia, eam mutarunt postmodum, proditore discipulo se ducem offerente, & modum proponente, quo in nocte, citra populi cognitionem, & commotionem urbis id fieri possit, rem Deo disponente, ut hominum concilium divinæ ordinationi cederet, & impleretur, quod ab ipso Christo dictum fuerat: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur. Pascha ergo fiebat, quum JESUS traditus est, quo etiam argumento commentitia illa Burgensis traditio, & translatio impugnatur.

42. Huic

42. Huic tamen nostræ assertioni obest argumentum non contemnendum. Nam si anno, quo mortuus est Christus, primus dies festus azymorum fuit feria 6. ergo secundus dies azymorum fuit Sabbathum; sed numerando a secundo die Azymorum septem hebdomadas completas, & unum diem, reditur ad Sabbathum: ergo Pentecostes anno, quo mortuus est Christus, incidit in Sabbathum; sed hoc est falsum, & contra communem Ecclesiæ sensum, quæ Pentecostem celebrat in die Dominica, & eo die Spiritum Sanctum super Apostolos venisse, credit: ergo anno, quo Christus est mortuus, primus dies festus Azymorum non fuit feria 6., sed Sabbatum, atque adeo vera est Burgensis opinio. Pro hujus rei solutione præ oculis habendus est textus in Levitico, ubi sic dicitur: (*cap.* 23. v. 11.) Elevabit Sacerdos fasciculum primitiarum coram Domino .... altero die Sabbathi, idest, die sequente ad Sabbathum, & sanctificabit illum .... (*v.* 15.) Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, (*v.* 16.) usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino. Ex quo patet, Sabbathum ibi vocari non Sabbathum naturale, quia primus dies Azymorum non semper incidere poterat in naturale Sabbathum, sive in diem ultimam hebdomadis. Positum est ergo ibi Sabbathum pro die festo, ut sæpe alias in Scripturis, & sic est quasi diceret, altero die a festo. Igitur a die altero post festum Azymorum, id est, secunda die Azymorum, inquit Josephus in 3. Antiq. cap. 10. quæ est mensis primi decima sexta, frugibus demessis, & hactenus intactis, incipiunt frui. At fruges metere non poterant in die festo: ergo quum post festum diem primum Azymorum sequebatur alius dies festus, ut in anno mortis Christi Sabbathum, oblatio fasciculi primitiarum differenda erat, & tunc translata fuit ad unam Sabbathi, quam nunc appellamus Dominicam, sive ad tertiam diem Azymorum. Ex hac ergo, numerando septem hebdomadas completas, quæ faciunt dies 49., & unum diem, reditur ad Dominicam; atque adeo in anno mortis Christi Pentecostes incidit in Dominicam, ut rectissime tenet Ecclesia Christiana. Ex qua doctrina distinguo in forma Scholastica minorem subsumptam: numerando a die secunda Azymorum, quando profanus erat, & in eo fruges demeti poterant, concedo; quando festus erat, aut Sabbathum, in quo fruges metere non licebat, nego. Hæc solutio Francolini est in ægregio opere de Hor. canonic., & Bellarminus in 3. de Ecc. triumph. (*cap.* 51.) de Pentec. & in 4. de Euch. Sacr. cap. 9. estque optima, & solidissima. Opponuntur autem nonnulla ex Patribus, quæ sinistra interpretatione detorquent Græci, & eorum fautores, quæque ideo futilia sunt, & a Bellarmino jam dudum explosa.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Missarum Privatarum antiquus, & pius in Ecclesia est usus.
Bona rer. liturg. 1. cap. 13. & seq. Suar. 3. in 3. part. disput. 87. Bellarmi. de Mis. 1. 2. cap. 9. &c.

1. Missa privata dicitur multipliciter. Alia enim dicitur privata a loco, ut quæ non in publicis templis, sed in privatis ædibus, aut saccellis celebratur, quas irrisionis causa Lutherus angulares appellat. II. dicuntur privatæ a tempore, uti quæ non in diebus festis, & solennibus, sed inferiatis diebus dicuntur. III. dicuntur privatæ a modo, & sic appellantur, quæ non cum apparatu ministrorum, cantu &c. dicuntur, quæ Solennes, Majores, Parochiales, aut Conventuales appellari solent. IV. dicuntur ab effectu privatæ Missæ illæ, in quibus solus Sacerdos communicat. V. a causa illæ, quæ pro privata causa dicuntur, ut in honorem alicujus privati Sancti, ad impetrationem alicujus particularis beneficii, ut sanitatis, serenitatis, &c., & Missæ pro mortuo, Votivæ &c. VI. dicuntur privatæ Missæ illæ, in qua præter unum alterum nullus adest. Quod si nullus omnino præter Sacerdotem adsit, dicitur Missa Solitaria. De singulis dicendum.

2. Et I. Missæ sacrificium in privatis locis antiquitus pie celebratum fuisse, patet. Nam Christus in privatis ædibus familiaris cujusdam panem, & vinum in Cœna obtulit. Deinde, persequutionibus urgentibus, Pontifices, Episcopi, & Sacerdotes sanctissimi, in antris, in cœmeteriis, in privatis Christianorum ædibus sacra faciebant, in quibus Lucianus M. catenis onustus, quum se erigere non posset, super proprio pectore, tanquam Ara, sacrificium obtulit ap. Nicephor. in 8. Hist. (*cap.* 31.) Marcellus Papa in ædibus Lucinæ sæpe sacrificavit, ut in ejus Actis habetur, & similiter alii plurimi. Nec solum necessitatis causa, & grassante persequutione id factum, verum etiam reddita per Constantinum Ecclesiæ pace. Ipse autem Constantinus exemplum dedit: nam statim post baptismum, ut est apud Eusebium, (4. *de vit. Con. cap.* 17.) in Palatio Oratorium construxit, & ambulatoriam quamdam ædiculam, quum proficisceretur in castra. Principem deinde imitatos Aulicos, scribit Sozomenus, (*lib.* 1. *cap.* 8.) ne salutari sacrificio, vel in castris carerent. Sozomenus idem de Gregorio Nazianzeno memorat, (*lib.* 7. *hist. cap.* 5.) in exigua Cellula, extructo Oratorio, Missam celebrasse. Ambrosius apud Paulinum (*in vit. Amb.*) in domo cujusdam clarissimæ fœminæ ejus rogatu Missam celebravit, ubi & balneatricem illuc delatam a paralysi liberavit. Au-

gu-

gustinus in 22. de Civit. Dei (*cap.* 8.) narrat, unum e suis Presbyteris in domo rustica cujusdam Hesperii Missam celebrantem, eam a vexatione Dæmonum liberasse. Theodoretus in hist. Relig. (*cap.* 20.) scribit, se in cella Maris Anachoretæ Missam fecisse. Gregorius refert, (*hom.* 37. *in Ev.*) Cassium Narmensem Episcopum morbo impeditum in Episcopio, sive Episcopalium ædium Oratorio rem divinam facere solitum. Idem ad Syracusanum Episcopum scribit, (*lib.* 5. *ep.* 43.) ne in domo Venantii Patritii Missam dici prohibeat. Joannes Damascenus scribit, (*in hujus histor.*) Barlaamum Presbyterum in sua cellula missam dixisse. Joannes Eleemosynarius apud Leontium in ejus vita, quum populus, eo celebrante, dilaberetur, dixisse fertur: Ego, filii, vestri causa in Ecclesiam descendo. Nam ipse mihi in Episcopio Missas facere poteram. Ex quibus, & innumeris posteriorum sæculorum, & sanctissimorum virorum exemplis patet, Missarum in privatis locis antiquissimum esse, piumque usum, quod erat primum, nec de hoc magna nobis est cum Lutheranis controversia.

3. Missam vero non in festis solum diebus, sed etiam in feriatis dici solere, patet ex tota historia Ecclesiastica, & Patrum testimoniis. Nam in Actis B. Andreæ Apostoli constat, ipsum Ægeæ Proconsuli dixisse: Ego quotidie Agnum Deo immolo &c. Id ipsum de Cassio dicto narrat Gregorius. Augustinus ait, (*ep.* 23.) Christum in Cruce semel immolatum, quotidie in Altaribus immolari. Idem Chrysostomus hom. 3. in Ep. ad Ephes. Idem Hieronymus in epistol. ad Titum cap. 1. Gregorius ad Eulogium Alex. scribens: quotidianis diebus, inquit, in Martyrum venerationem, quorum collecta in uno Codice nomina habemus, Missarum solennia agimus. Hyppolitus Martyr in orat. de Antichristo. Venite, inquit, dicturum Dominum, Venite Pontifices, qui corpus meum quotidie immolastis. Missam igitur non in festis solum, sed etiam in reliquis omnibus celebrari sanctissimus, & antiquissimus in Christiana Ecclesia mos est, quod erat secundo loco probandum, nec in hoc multum Hæretici Recentiores dissentiunt.

4. Quod si Missæ privatæ dicantur illæ, quæ sine cantu, sine choro, sine apparatu Ministrorum, & Religiosa illa pompa celebrantur, quod erat genus tertium, harum etiam usum antiquissimum, & pium esse, patet ex dictis. Nam certe Apostoli, qui ut Gregorius scribit, vix ad verba consecrationis quicquam præter orationem Dominicam, aut breves aliquas preces ad arbitrium adhibebant, & qui in privatis domibus celebrabant, nihil his opus erat. Deinde Viri Apostolici Clemens, Linus, Ignatius, Polycarpus &c. tum Pontifices, Confessoresque, qui in privatorum ædibus, qui in cryptis, carceribus &c. rem divinam facere cogebantur, certe sine choro, & cantu, sine purificationum, luminarium, & ministrorum pompa mysteria ce-

le-

lebrabant. Idem dicendum de Augustino, Nazianzeno, Theodoreto, Cassio, Joanne Eleemosinario, & reliquis sanctissimis Episcopis, quorum exempla, & testimonia attulimus. Nunquid Lucianus in Carcere, Marcellus in domo Lucinæ, in domo Venantii Presbyter, in cellula Maris Theodoretus, in domo rustica Hesperii alter ille Augustini cum magna ministrorum, & rituum solenniorum pompa celebraverint? Liquidum est ergo, privatas, sive non solennes Missas semper licuisse, semper fuisse in Ecclesia Christiana, immo antiquiores Missas privatas, quam publicas illas Conventuales, Parochiales, & solennes fuisse, quum hujusmodi ritus, in quibus solennitas Missarum consistit, postmodum inventæ sint pro varietate Ecclesiarum, & temporum variæ, salva sacrificii natura, & substantia.

5. Jam vero si Missæ privatæ tanquam ab effectu illæ dicantur, in quibus nullus præter Sacerdotem offerentem de Christi corpore, & sanguine participat, eas item satis antiquas esse, & pie quidem celebrari, quod maxime impugnant Recentiores Hæretici, id, inquam, supra statutum est, quum de Missæ præcipuis partibus ageremus prop. 4.

6. Sequitur, ut privata Missa dicatur, quod erat quintum, quæ privatam ob causam offertur, ut in honorem alicujus Sancti, ut in suffragium pro hoc defuncto, ut in impetrationem sanitatis pro tali ægroto &c. Sed in hoc non multum laborant Protestantes, nisi quod in memoriam, & honorem Sanctorum Missas dici posse, negant, quod Sanctos a nobis colendos, & invocandos negant, de quo alibi (*lib.* 18. *prop.* 7. *&* 8.) disputandum est. Nam de cætero pro liberatione domus a Dæmonum vexatione Augustinus sacrificium oblatum esse, testatur loco cit. Et similiter pro Matre sua Monica jam juxta sepulchrum posito corpore in 9. Confess. cap. 19. Similiter in obitu ipsius Augustini factum narrat Possidius Augustini discipulus, & vitæ ipsius scriptor. Pro energumeno quoque factum sacrificium supra (*prop.* 5. *huj.*) tradidimus. Ex hoc ergo capite Missa privata impugnari non potest.

7. Si autem privata Missa, quod erat ultimum, ea dicatur, in qua nullus præter Sacerdotem, & Ministrum inservientem adest, quam etiam Lutherani impugnant, eam quoque antiquitus in usu fuisse, & pie quidem celebrari, patet ex dictis de celebratione Missæ in carceribus, in cryptis, in ergastulis, & in privatis cellulis, & Oratoriis Nazianzeni, Ambrosii, Venantii, Maris, Hesperii &c. Joannes Damascenus scribit, Barlaamum, solo præsente Josaphato, sæpe celebrasse. Hinc in statutis Cluniacensium ante annos septingentos, & amplius scriptis dicitur: Sacerdotes possunt sine licentia Missas privatas cantare. Et in Cisterciens. Rituali ejusdem fere antiquitatis:

Per

Per totum annum possunt fratres cantare Missas privatim tempore lectionis post Offerendam (id est Offertorium) Missæ conventualis. Unde D. Thomas (*q.* 83. *art.* 5. *ad* 12.) In Missis, inquit, privatis satis est unum habere Ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluraliter respondet. In solenni autem celebratione Missæ plures adesse debent, saltem nimirum Diaconus, & Subdiaconus cum Acolythis. Quod si insolennibus, aut etiam in non solennibus alii non adsint, sibi imputent. Nam quoties in loco publico fiunt, semper & patent portæ, & populus æris campani sonitu admonetur. Unde in templis nulla dicitur Missa, quæ privata, aut angularis dici possit. Nam & locus publicus est, & Minister publicus, nimirum Sacerdos, & oblatio publica, & communis nomine totius Ecclesiæ, & in totius Ecclesiæ profectum. Preces item totius Ecclesiæ voce, & pro tota Ecclesia dicuntur. Patet accessus omnibus non solum ad adstandum, sed etiam ad participandum, optaretque Ecclesia, ut omnes adstantes communicarent, quod est apud Tridentinum. (*Sess.* 22. *can.* 6.) Vocantur ad singulas fideles, atque ut de oblata participent, crebro suadentur.

8. Confirmatur a contrario hæc assertio ex prohibitione Ecclesiæ circa Missas Solitarias. Nam quum primitus Missæ sine Collecta (sive adstantis populi cœtu) non fierent, inquit Odo Cameracensis, (*in exposit. Canon.*) postea mos inolevit, solitarias, maxime in Cœnobiis, Missas fieri .... quod etiam ex indulgentia concessum est. Deinde tamen hoc prohibitum ab Concilio Moguntino sub Leone IV. (*can.* 43.) & ab Synodo Parisiens. sub Greg. IV., (*can.* 48.) tum in Conc. Nannetens. apud Ivonem parte 3. cap. 70. Refertur autem ad communem Ecclesiæ prohibitionem decretum Sotheris Papæ apud Gratianum de Cons. dist. 1., quod ab aliis tribuitur Anacleto. Sed neutri convenire videtur. Nam eo tempore sine cœtu, & ministris dici non solere, patet ex actis Martyrii S. Laurentii, ubi ille ad Sixtum: Nunquam sine Ministro sacrificium offerre consueveras. Deinde Missæ solitariæ originem habuisse videntur a Monachis, & Eremitis, qui perpetuam reclusionem profitebantur, ex Episcoporum, aut Pontificum indulgentia, ut ex Odone Cameracensi dictum est, confirmatque Gloss. in citatum Gratiani locum, & Petrus Damianus Card., qui ad Leonem Solitarium tractatum scripsit de salutatione *Dominus vobiscum*, quam probat in Solitaria Missa adhiberi posse sine mendacio, uti adhibetur in Solitario officio. Quanquam tamen de speciali Ecclesiastica prohibitione non constet., hodie certum est, Missam solitariam sine speciali privilegio dici non posse, atque adeo de jure communi Canonico esse prohibitas, uti cum D. Thoma tenet Suarezius, (*q.* 83. *art.* 6. *disp.* 87. *sect.* 1.) & communis opinio Theologorum,

rum, quod quum de Missa, uno solum præsente dicta, nemo dubitaverit, eam semper fuisse, atque esse licitam, procul dubio tennendum est.

9. Fatendum tamen est, ab initio sic sacrificium institutum fuisse, inquit Bona, (*Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 13.) ut publice, ac solenniter fieret, Clero, & populo præsente, offerente, & communicante. Et de primo quidem constat ex toto Missæ contextu, & tenore canonis, in quo Sacerdos ad cœtum populi loquitur dicens: Oremus, Orate fratres, Sursum corda, Supplices rogamus, Hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ.... Offerimus tibi de tuis donis, ac datis.... Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus.... Sumpsimus Domine sacri dona mysterii, & similiter omnes Postcommunionum, & Communionum Collectæ. In quibus omnibus veteris disciplinæ vestigia non obscura cernuntur, quando totus populus proprio Sacerdoti offerenti adstabat, quando fideles ex suo dona consecranda ad Ecclesiam deferebant, quando ex oblatis omnes adstantes communicabant. Quamvis autem refrigescente charitate fidelium, & crescente numero Sacerdotum, & opibus Ecclesiarum, in hoc, sicut in aliis multis vetus disciplina variaverit, tamen servantur antiquorum rituum vestigia, ut ad pristinum fervorem revocemur, Patrum moribus, & exemplis accensi, atque inflammati. Varietas hæc autem non immerito inducta est, & convenientissime retinetur. Nam quum dominante jam Christi fide, templa ubique exstructa sint, & Romæ ubi erant Cornelii Papæ tempore 40. Sacerdotes, nunc sint millia multa, quum Missæ innumeræ quotidie per totum terrarum orbem dicantur, quum Ecslesiæ omnes congruam dotem habeant, & multæ opulentissimam, quomodo possunt aut singulis omnes adesse, aut ad singulas omnes afferre aliquid, aut in singulis multi communicare. Numera quot in toto terrarum orbe per singulas Missas corpus Domini accipiant, quot per dies singulos Ministris Ecclesiæ singulis, aut in Communi Ecclesiis, & Monasteriis a fidelibus ad divinum cultum offerantur, quot Missis innumeris per totum orbem Christianum fideles intersint, & invenies, longe plures nunc quotidie interesse sacrificio, multo plura nunc a fidelibus in divinum cultum, & Missæ celebrationem offerri, multo plures nunc per dies singulos communicare, quam Cornelii, & Cypriani temporibus, quum paucissimi Sacerdotes erant, paucissimæ Ecclesiæ, & Missæ paucissimæ. Lugeamus ergo nostrorum temporum, & concivium ignaviam, & charitatis imminutionem in singulis, ita tamen ut fidem per orbem terrarum longe, lateque propagatam, & divini cultus augmentum, sacrosque ritus cum pace, & tranquillitate Ecclesiæ excrevisse, non negemus, ex qua, & similibus hujusmodi causis disciplina vetus nonnihil, sed æque, sed opportune, sed

sed merito immutata est, quam & nos, nisi temporum ratio aliter poposcerit, reverteri, atque observare, si veri Ecclesiæ filii sumus, non impugnare, ac pro lubitu, reformationis specie, immutare debemus.

10. Nimirum Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I. tempore mos erat in Occidentali Ecclesia, ut nullus Presbyter Missam celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet, quod dicebatur fermentum. Mittebatur autem massa illa consecrata diebus Dominicis, & festis, ait Innocentius, (*Epist. ad Decentium Eugubin. cap.* 5.) quia illis diebus propter plebem sibi commissam cum Episcopo convenire non poterant. Mittebatur item ad solas Ecclesias, quæ tunc dicebantur Tituli, in urbe constitutas, non ad Rurales, quia non longe portanda sunt Sacramenta. Et ideo Presbyteri rurales ejus fermenti conficiendi jus habebant, atque licentiam. Quid autem esset illud fermentum, & quare mitteretur, supra (*in præc.*) ex Latinio explicatum. Sed ex eo multa oriri videntur dubia circa disciplinam Missæ, quæ nemo hactenus explicuit. Utrum, nimirum, in diebus feriatis simplices Presbyteri non consecrarent, sed solum Episcopo celebranti assisterent? Utrum iidem titulares Presbyteri eodem die Dominico Missas integras celebrarent, an solum ex præsanctificato ab Episcopo, & ipsi sumerent, & plebem communicarent, vel an una cum fermento a Pontifice misso, propriam ipsi oblationem, peracta consecratione, sumerent, an alteram tantum, vel an ipsi soli, vel etiam populus ex altera, vel utraque communicaret. De his porro, inquit Latinius idem, ut in re valde obscura nihil temere pronunciandum. (*Epist.* 81. *ad Dioscor.*) Leo I. permisit secundam in eadem Ecclesia Missam solum in casu, in quo populi multitudinem Ecclesia non caperet. Deus-dedit Pontifex secundam Missam in Clero statuisse, dicitur. Gregorius I. Missam publicam, & solennem in Ecclesiis Monachorum fieri prohibuit. Erant & in Ecclesia dies Aliturgici, quibus Missam celebrare non licebat, quod in universa viget Ecclesia in fer. 6., & Sabbatho majoris Hebdomadæ. In Ecclesia Mediolanensi quondam omnes feriæ sextæ in Quadragesima sacrificio carebant, & in Orientali omnes dies Quadragesimæ præter Sabbathum, & Dominicam. Erant & dies Polyturgici, in quibus eidem Presbytero Missas plures celebrare licebat, sicut nunc tres dicuntur in festo Natalis Domini ex more jam ab Gregorii ætate recepto. Et in Hispaniis ex privilegio in die omnium fidelium Defunctorum. Neque solum statutis quibusdam diebus, sed singulis ad libitum Sacerdotis plures Missæ dicebantur. Est talis, inquit Walfridus Strabo, qui semel tantum in die Missam celebrare velit... Est alius, qui bis, ter, vel quoties libet, eadem mysteria in die iterare con-

congruum putat. Et fortasse consuetudinem suam inde confirmandam putant, quia Romanorum usus habet duas, vel tres interdum facere Missas ut in Nativitate Domini, & in festis aliquorum Sanctorum. De his videndus Durandus, (*in ration. lib. 4. cap. 1. & lib. 2. cap. 7. de ritibus Ecclesiast.*) & Bona. (*lib. 1. Rer. Liturg. cap. 18.*)

11. Hanc vero licentiam, & usum, etiam citra necessitatem plures Missas dicendi ad libitum, in Italia, Hispania, Gallia, & Germania viguisse, patet ex multis Sanctorum exemplis. Leonem III. interdum septies, interdum novies in die Missas celebrasse, refert Walfridus Strabo. (*lib. de reb. Eccles. cap. 21.*) S. Udalricus Episcopus Augustanus duas, vel tres quotidie dixisse memoratur, teste Bernone Augiensi in ejus vita. Surius refert, S. Norbertum, & S. Albertum Monachum bis in die sacrificare solitos. De S. Libentio Bremensi Episcopo idem Krantzius scribit. (*lib. 4. cap. 11.*) Inter Monasterium Augiense, & illud S. Galli societas inita legitur, in qua conventum est, ut quandocumque frater aliquis obiret, singuli utriusque familiæ Presbyteri tres eo die Missas celebrarent, quod ex opusc. de Alamanicæ Eccl. Fraternit. edidit Goldastus in 2. Alaman. Antiquit. In Concilio Toletano duodecimo, quod prope finem sæculi septimi celebratum est, anno nimirum 681. sic habetur: (*can. 5.*) Sacerdotes, si in una die plurima Deo offerant sacrificia, in omnibus oblationibus a communione abstinent, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione, sanctæ communionis gratiam sumunt. Quod sub pœna suspensionis deinde prohibetur. Quum toties communionis gratiam sumere debeant, quot sacrificia in uno die offerunt. In Emeritensi sub Vitaliano Papa sancitum est, (*can. 19.*) ut Presbyter, qui plures Ecclesias sub suo regimine haber, in singulis die Dominica Missas agat. In Syn. Salegunstadiensi sæc. undecimi jubetur, (*cap. 5.*) ne quis præsumeret amplius quam tres in die Missas celebrare. At Petrus Damianus, qui eodem sæculo desinente obiit, nimirum an. 1072. ad Umbertum scribens: Hanc consuetudinis regulam, inquit, in disciplinatis Ecclesiis & didicimus, & tenemus, ut calicem differamus in Missarum fine perfundere, si eodem die sacrificium denuo speramus offerre.

12. Mos etiam fuit in utraque Ecclesia Latina, & Græca, in qua etiam adhuc viget, ut unum, & idem sacrificium a pluribus Sacerdotibus offeratur. Firmat hunc morem multis Bona Cardinalis. (*Rer. Lit. lib. 1. cap. 18.*) In Conc. Calcedon. Bassianus ait: Stephanus Presbyter meus fuit: quatuor annis mecum Missas celebrabat, mecum communicabat. Romæ hunc morem viguisse testatur Innocentius III. in 4. de Myster. Missæ, ut Presbyteri Cardinales Romanum circumstarent Pontificem, & cum eo pariter celebrarent, tum consummato sacri-

crificio, communionem de manu ejus acciperent. Antiquum ritualem exhibet Morinus, (*lib. de sacris Ordination. p.* 3. *exercit.* 8. *cap.* 1.) in quo hic titulus: De diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus. Exstant hujus usus quædam adhuc in Latina Ecclesia vestigia in Ordinatione Neosacerdotum, & in Consecratione Episcoporum, & favent, quæ de Melchiadis, Syricii, & Innocentii tempore dicta sunt supra. Cur autem hic mos desierit, inquit citatus Bona, hæc mihi videtur fuisse, quod fundatis, & late propagatis Mendicantium ordinibus, multiplicata sint onera Missarum, adeoque necesse fuit, singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, privatim diebus singulis celebrare. Apud Græcos in eadem Ecclesia duplex Missa non dicitur. Unde Petrus Ep. Urbovetanus exponens illud, quod de Deus-dedit Pontifice dicitur: constituit secundam Missam in Clero, quia tunc forsitan, inquit, ad instar Græcorum non cantabatur in Ecclesia nisi una Missa, quod magis ædificabat, secundum antiquos. Cui consuetudini, quamvis longe posterior, consonans D. Franciscus in Ep. ad Sacerdotes sui Ordinis monet, atque exhortatur in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Missa celebretur in die secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius. Huic simile est, quod Palladius habet in vita Arsisii Abbatis, fuisse in Ecclesia Montis Nitriæ Presbyteros octo, inter quos, qui antiquior erat, solum obtulisse, & prædicasse, nec ipso vivente quemquam. Extat nunc, nescio quis, & juxta antiquam disciplinam, præsentis Ecclesiæ ritus ab tot Pontificibus, Conciliis & sanctissimis viris receptos metiri studeat, aut de antiquis ex recentibus judicare, & zelo præcipiti, nec secundum scientiam, omnia susque deque vertere. Mores hominum corrigendi sunt, doctrinæ singulorum excutiendæ. Mores Ecclesiæ, ritus, ceræmonias, quum tempori, atque ædificationi fidelium opportunæ non fuerint, Ecclesia mutabit. Caput habet, plenitudinem potestatis habet, Assesores habet sanctissimos, sapientissimosque Episcopos. Sed reliqua prosequamur.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

In tota actione Mysterii nihil est non antiquum, non Veritati, honestati, & pietati consonum.
D. Thomas q. 80. art. 4.

1. NAm I. quidem ab sacrificaturo Sacerdote exigitur mundities cordis, dicente Apostolo: (1. *Corinth. cap.* 11.) Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Juri etiam naturali conforme est, ut sancta sancte tractentur, & ut qui pro aliis intercedit, ac precatur, gratus, charusque sit ei, apud quem precatur, atque intercedit, alias oratio ejus erit execrabilis.

2. Secundo exigitur mundities corporis, (*art.* 8.) ob quam statutum est, ut non nisi jejunus ad sacrificandum minister accedat. Quam quidem sanctionem antiquissimam in Ecclesia esse patet ex Tertulliano ad uxorem 2. ajentem: Nec sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustaveris. Idem tanquam ab Apostolis traditum commemorant PP. Epiphanius, (1. *adv. hær.*) Nazianzenus orat. 40., Chrysostomus hom. 2. in 1. ad Corint. Basilius ep. ad Cæsarium. Pro omnibus Augustinus epist. 158. Placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per universum orbem mos iste servatur, quæ verba ex Augustino adducit Isidorus in 1. de off. Eccl. (*cap.* 18.) Idem habetur in Conciliis Carthag. III. Matisconens. II., Braccar. II., Altisiodorens., Toletano VII., & in VI. Oecumenico, & Constantiens. Ratio autem est, ut mysticus hic cibus a profanis, & communibus discernatur, & sumentis corpus sit purius, mensque expeditior. Neque in hoc quicquam apparet, quod possint Lutherani reprehendere. Ad munditiem etiam corporis spectat lotio manuum, quam ceræmoniam decentissimam esse, quis neget, antiquissimam autem esse patet ex 8. Constitut. Apost. cap. & lib. 3. de Eccl. Hierarch. tum ex Cyrillo Hierosolym. Catech. 5. ex Mystagogicis, ex omnibus omnium Gentium Liturgiis Græcis, Latinis &c. Et hæc quidem pro Ministro celebrante.

3. Pro loco autem I. sancitum est (*q.* 83. *art.* 3.) jure communi, & ordinario, privilegio, aut casu necessitatis excepto, ne sacrificium offeratur nisi in sacris ædibus, ac templis Dei cultui singulariter deputatis. Unde in cap. Nullus de Consecr. dist. I. dicitur: Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis,

qui

qui sui particeps de cætero esse voluerit Sacerdotii. Idem statutum legitur in antiquis Conciliis Laodiceno can. 58. Carthag. II. cap. 9. Moguntino cap. 9., Aquisgranensi sub Ludov. Pio cap. 84. Nam nostrum sacrificium omnia veteris legis sacrificia complectitur, iisque omnibus est augustius: ergo si illa solo in Hierosolymitano templo immolari poterant, cur nostrum ubivis sine discrimine passim offeratur? Atque ut argumentatur Basilius: (*reg.* 310. *brev.*) Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in Sancta introferatur, eodem modo etiam vetat Sancta in communibus, & profanis domibus, aut locis celebrari.... (*id. lib. de Bap. cap.* 8.) Igitur nobis periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, & maxime si Sacerdotes mysteria in locis profanis celebraverint, propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante, & in aliis offendiculum generaret.... Donum ergo, sive oblatio, quam mystice celebramus, in solis orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omnino, concludit Cyril. Alexandr. adversus Antropomorph. (*cap.* 12.)

4. In templis autem, quorum dedicationes, & consecrationes sunt antiquissimæ, ut ex tota patet Ecclesiæ historia, Aræ, aut Altaria similiter ex antiqua Apostolorum institutione erigebantur. Unde Apostolus: (*ad Heb.* 3.) Habemus, inquit, Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculis deserviunt. Altare autem Apostolorum ligneum fuisse dicitur, & in Basilica Lateranensi asservari. Deinde statutum, ut non nisi ex lapide Altaria fierent, & Chrismate ungerentur, ac reliquiis Sanctorum decorarentur in vestigium antiqui ritus, quando non nisi in memoriis, aut titulis, sive monumentis Sanctorum Martyrum altaria erigebantur. Altarium meminerunt fere omnes Patres, & Ecclesiastici Authores Tertullianus, Cyprianus, Optatus Milevitanus, & ex Græcis Athanasius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, tum Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Beda, Gregorius Magnus, & quis non? Solemnis autem Dedicationis, & Consecrationis templorum, & Altarium mentio est in Concilio Carthag. V. can. 6., & in Agathens. cap. 14. apud Euseb. in vita Constant. lib. apud Athanas. in Apol. ad Constantium. Item apud Basilium, & Gregorium fratrem, apud Ambrosium, Gaudent., Augustinum, Gelasium, & Felicem IV., quorum decreta habentur in 1. de Consecr. Quomodo ergo non pium, non sanctum, quod tot viri sanctissimi observarunt? Non antiquum, quod antiquissimi Ecclesiæ Patres observaverunt?

5. Ad altaris necessaria ornamenta quum propter munditiem, tum propter decentiam, & reverentiam sacrificio debitam pertinent 1. lintea, quibus mensa sacra tegitur, quæ tria esse debere colligitur ex an-

antiquissimo decreto, quod Pio I. tribuitur in cap. Si per negligentiam de Consecr. dist. 2., cui superponitur Corporale in quo immediate corpus Domini locatur: quæ omnia linea, & nitida esse debent, quia nimis absurdum est, ait Innocentius, (*de custodia Euchar.*) in sacris sordes esse, quæ etiam in profanis dedecerent. II. spectat Missale, seu liber Missæ ordinem, & ibi dicenda continens propter fragilis memoriæ subsidium. III. Spectant lumina, seu Cerei, propter decorem, & honorem Sacramenti, tum propter ea, quæ legenda sunt, nam & in cryptis, & subterraneis olim Missæ primis sæculis offerebantur, & templa non ita ædificabantur postea, ut multa luce perfunderentur. De Cereis autem mentionem fecit Prudent. Poeta Antiquissimus in hymno Sancti Laurent.

> Hunc esse vestris Orgiis
> Moremque, & artem proditum est,
> Libent ut auro Antistites,
> Argenteis scyphis ferunt
> Fumare sacrum sanguinem,
> Auroque nocturnis sacris
> Adstare fixos cereos.

Meminerunt etiam antiqui Patres Athathan. in orat. ad Orthodox. Hieronymus contra Vigilant. Chrysostomus in Liturg. Isidor. in 7. Ethimol. cap. 12. Conc. Carthag. IV. can. 6. &c. Ex quibus Ordo Romanus. IV. In Altari requiritur ex statuto Ecclesiæ Crucifixi imago, non quidem depicta, aut incisa, sed per se stans, & corpus Domini non nudam Crucem repræsentans, instituerunt namque Sancti Patres, inquit Bonaventura in lib. de Myst. Missæ, ne quisquam Missas agat, nisi in Altari adsit imago Crucifixi. Confirmatque Jonas Aurelianensis adv. Claud. (*in præc. lib.* 2.) Non nostro tempore usus irrepsit, figuram Crucis in Basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit. Sine Cruce enim, ait Ambrosius, (*Serm.* 56. *lib.* 1. *cap.* 20. §. 1.) Ecclesia stare non potest. Loca alia adducunt Bona, & Suarezius, (*q.* 83. *art.* 3. *disp.* 81. *sect.* 6.) sed quæ Crucis imaginem colendam probant, de quo alibi, (*lib.* 18. *prop.* 9.) sed ad rem præsentem non faciunt. Porro quum mos inolevisset nudam Crucem Altaribus imponendi, id nostro hoc sæculo Benedictus XIV. emendavit jubens, ut non Crux sola, sed Crucifixi Domini effigies apponeretur.

6. Circa horam statutum olim fuisse ab Telesphoro Papa, (*in epist. decretal. cap.* 2.) scribit in ejus vita Anastasius, confirmantque Amalarius, (*lib.* 3. *cap.* 42. & 4. *cap.* 40.) & Walfridus, (*cap.* 22.) ut non nisi

nisi post horam diei tertiam, quæ in nostris Horologiis Nonæ Matutinæ respondet, Missa celebraretur. Unde Gregorius de Cassio Narniensi: (*homil.* 37. *in Evang.*) Oblaturus sacrificium, ad horam tertiam venerat, & Sidonius Apollinaris in lib. 5. Ep. 17. Cultu peracto Vigiliarum . . . unusquisque ad propria secessimus, non longe tamen, utpote ad horam tertiam futuri, quum Sacerdotibus res divina facienda. In diebus autem jejuniorum, quum tardius epulabantur Christiani, sacrificium protrahebatur usque ad horam nonam, quæ correspondet nostræ tertiæ vespertinæ. Nunc antiquioris illius usus vestigium solum restat in Missis Majoribus, seu solennibus, quæ in Cathedralibus, & Monachorum Cœnobiis non dicitur, nisi post cantatam in choro tertiam, ut est in Rituali Romano, ubi & additur: In simplicibus, & Feriis per annum dicta sexta. In Quadragesima, Adventu, quatuor Temporibus, & Vigiliis, quibus jejunatur, post dictam Nonam. Missæ autem privatæ non dicuntur nisi matutino tempore ab Aurora usque ad Meridiem, salva gravi necessitate, aut particulari privilegio.

7. Sacrorum autem Vasorum antiquissimum, decentissimum, immo necessarium esse, quis dubitare possit? An vinum, & aqua ad sacrificium necessaria deferri manibus possunt? Calicem ipse Christus adhibuit. Perpetuum deinde ejus in Ecclesia usum testantur acta Martyrii S. Laurentii apud Ambrosium in 2. de offic., (*cap.* 28.) Prudentiusque supra laudatus, Damasus in Urbano I. Athanas. in Apol. 2. contra Arianos, Nazianzenus in orat. contra eosdem. Aug. in ps. 113. Chrysostomus hom. 4. in Math., & de Babyl. Hieronymus in Ep. ad Rustic. Materia autem diversa fuit pro diversitate temporum, & opulentia Ecclesiarum. Legimus apud antiquos & lignea, & lapidea, & vitrea, & onychina, & argentea, & aurea. Quid illo ditius, ait Hieronymus (*loc. cit.*) de Exuperio Tolosano, qui corpus Domini in viminee canistro, & sanguinem portabat in vitro? . . . Accedit Patina, vulgo Patena, aut Patella, seu Lans patula, non nihil cava versus medium, quam δίσκον Græci vocant. Patenarum usus mentio est in Liturgia antiquissima, quæ Jacobo Apostolo tribuitur. Item apud Anastasium passim inter donaria Pontificum, Leonis III., Greg. IV., Urbani, Zephyrini, & aliorum. Fiebant, fiuntque ex eadem materia, qua Calices, parique modo ab Episcopo consecrantur, cujus consecrationis, & unctionis forma habetur in Ordine Romano. Statutum denique, ut non nisi ex materia fusili sacra vasa fiant, & pars interior, quæ sacramenta contingit, deaurata sit. Sacrorum porro vasorum, & consecrationis eorum forma præextitit ex divina institutione in veteri testamento, & ex naturali ratione descendere, etiam patet ex ipso Paganorum Sacerdotum, & profanarum Religionum more, in vasis, quibus & Græci, & Romani, atque aliarum gentium Ethnicarum

carum Pontifices, & Religionis Antistites ad sua sacrificia utebantur, de quibus multa congeri facile possent. His accedunt & materia, & consecrationis forma magnæ, aut parvæ Pyxides, in quibus vel Christi corpus in templis asservatur, ac distribuitur, vel extra templum ad ægrotantes defertur, & item gestatorium instrumentum, quo in solennibus processionibus sacrum Domini corpus publice circumfertur, de quo alibi. (*lib.* 15. *pr.* 6.) Apud Grecos in usu sunt Cochlearia, quibus corpus commixtum sanguine communicantibus distribuunt, quæ quum corpus sacrum, & sanguinem contingant, ex futili, & consecrata materia esse debent. Utuntur & exiguis Cochlearibus Hispana, & aliæ Ecclesiæ ad infundendam Calici exiguam aquam, quæ consecratione, aut benedictione nulla indigent, sicut neque Urceoli, in quibus vinum, & aqua ad Altare deferuntur. Antiquitus in usu erat & fistula, aut calamus, aut siphon, sive tubulus aureus, vel argenteus, itemque consecratus, quo utebantur, quum plures ex eodem Calice communicabant, erantque in eadem Ecclesia plures. Unde Conradus de Ecclesia sua in Chronic. Moguntino: Erant, inquit, fistulæ quinque ad communicandum, argenteæ deauratæ. Idem usus firmatur ex statutis antiquis Cisterciensium & Carthusianorum, & ex testamento Everardi Comitis apud Miræum condito ann. 937., (*cap.* 21.) ubi inter sacram supellectilem nominatur Aurea Pipa, id est tubulus, seu cannula ad hauriendum e calice sanguinem. Nunc ea nemo utitur, nisi Romanus Pontifex.

8. Calicem & necessitatis, & munditiei, ac decentiæ causa comitantur tria linea velamina, unum quod Purificatorium dicitur, ut post ablutionem extergatur. Alterum exiguum quadratum, quo in ipsa actione cooperiatur, ne quicquam in ipsum decidat. Tertium Corporale, quod super tria Altaris velamina distenditur in ipsa mysterii actione, & bursæ suæ inclusum reverentiæ causa super Calicem ad altare defertur. Exigua palla, qua Calix tegitur, ab Hispanis intra Corporale complicatum defertur, & hostiæ operculum aliud accommodant in modum coronæ ex lineo textu, quod ex Græcis videtur desumptum. Demum Calix cum Purificatorio, Patena cum apposito operculo quadrato velo serico, aut ex alia materia, omnia cooperiente, usque ad Oblationem super Corporale collocatur.

9. Requiruntur præterea ad sacrificium determinatæ ab Ecclesia, & benedictæ vestes, quod & sanctum, & pium esse demonstrat I. ipsum naturale lumen, quo ductæ Gentes omnes, Græci, Romani, Sinenses, Japones, Peruviani, Mexicani Sacerdotes ad aras facturi, sicut sacratis, & ab usu communi remotis vasibus, ita etiam sacratis, atque a vulgari distinctis vestibus utebantur. II. ex divina institutione in lege veteri, ubi Aaroni, & successoribus determinatum vestimentorum

rum genus Deus præscripsit. Quid nonne Principes, & Sæculares Magistratus in publicis actionibus singularibus, & propriis utuntur vestibus, quibus & populi sibi reverentiam concilient, & propriam dignitatem significent? Nec desunt antiqua hujus disciplinæ testimonia. Apertissimum illud Hieronymi in Ezechiel. (*cap.* 44.) Hinc discimus, non quotidianis, & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum, sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta.... Porro Religio divina alium habitum gestat in Ministerio, alium in usu, vitaque communi.... (*lib.* 1. *advers. Pelagianos.*) Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione Sacramentorum candida in veste procedunt. Idem narrat (*Ep. ad Heliod.*) Nepotianum Presbyterum tunicam, qua in sacrificiis utebatur, sibi reliquisse. Habetur idem ex Chrysostomo hom. 83. in Mathæum. Et in principio Liturgiæ orationes ponit, quas dicere debeat Sacerdos, dum sacras vestes induitur. Gregorius præter vasa, & aliam supellectilem, etiam Sacerdotales vestes in Angliam misit, teste Joanne Diacono in ejus vita; & Beda in 1. histor. Britanicæ cap. 29. Julianus Pomerius in vit. S. Ildephonsi narrat, ei vestem ab ipsa Virgine Matre de cœlo delatam, qua in sacrificiis uteretur. Theodoretus in 2. hist. (*cap.* 27.) narrat, Constantinum Macario Hierosolymitano sacram vestem aureis filis contextam donasse, qua in sacris uteretur. Idem memorat, (*lib.* 1. *cap.* 27.) Thymelicum saltatorem cum veste sacra in theatro lascivientem, Deo vindice, exspirasse. Author quæstionum Veter., & Nov. Testam., (*q.* 46.) quæ habentur inter opera Aug. & est Augustino antiquior, Dalmaticarum meminit, quibus Diaconi utuntur. Has instituisse Silvestrum I. narrat in ejus vita Damasus, sive author libri Pontificalis. Concilium Carthag., Bracarense, Toletanum, Laodicenum mox dabimus de singulis vestibus acturi, quæ sex numerantur; Amictus, Alba, seu Camisia, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, vel Planeta, de quibus fere omnibus meminit in homil. de Cura Past. Leo IV., qui medio 9. sæculo sedit. Nullus, inquit, sine lumine, sine Amictu, sine Alba, Stola, Fanone, & Casula Missam celebret, & ad nullos alios usus hæc adhibeat.

10. Amictus, sive Humerale, aut superhumerale, ita dictus ad similitudinem, & formam illius, quo Sacerdotes Levitici collum, atque humeros contegebant, meminit post citatum Leonem IV. Rupertus (*de Div. Offic.*) Amalariusque, (*lib. de Eccl. offi. de antiq. ritu Miss.*) & Honorius Augustodunensis, & his omnibus antiquior Author libri de Ritibus Ecclesiæ, qui tribuitur Carolo Magno: sequitur Superhumerale, quod fit ex lino purissimo.

11. Alba, dicta est a colore, talaris vestis linea totum hominem cir-

circumtegens. Dicitur & Camisia, vestis genus, quo utimur etiam in lectulis. Nam lectus humilior, ac terræ vicinus Καμιχ græce dicitur, sed sacra vestis est oblongior. Albæ meminit Conc. IV. Carthag. (*cap.* 41.) prohibens, ne Diaconi Alba utantur nisi in sacro ministerio. Meminit & candidæ vestis in sacris Hieronymus supra allatus. Camisiam vocant Isidorus 19. origin. (*cap.* 21.) & Amalarius. (*lib.* 3. *de Ecclesiast. Officiis.*)

12. Ne autem Alba in talos defluens gressui esset incommoda, Cingulum necessitatis causa inventum est.

13. Necessitatis item, ac munditiei gratia adhibitus est Manipulus, qui etiam Mappula ab Alcuino, (*lib. de Divin. officiis.*) Fanon ab Leone, Orariumque ab aliis dicitur, de quo Alcuinus: Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium, vel sudorem detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur. Fanon vox Saxonica est, quæ expansum, aut extensum significat, quoniam ad humorem abstergendum non complicatum, sed expansum, atque extensum adhibebatur. Quod autem necessitatis causa inventum est, ut fieri solet, deinde in ornamentum, & ceræmoniam transiit. Unde in Conc. Pictaviensi sub Paschali II. statutum, ne quis Monachorum manipulo utatur, nisi fuerit Subdiaconus. Mutata item exinde forma, nam quod erat simplex Sudarium oblongum ex lævo brachio pendens, mutatum est in fasciam angustam, & longiusculam ejusdem cum Planeta, & Stola materiæ, & coloris, nec jam ad sordes oris abstergendas, sed cruce signata, & mystica significatione annexa adhibetur ad ornamentum. Unde Hugo Victorinus duodecimi sæculi scriptor, olim, ait, (*de officiis Eccl. lib.* 1. *cap.* 51.) manipulo sudor, & narium sordes extergebantur, & quia hujusmodi sordes præsentis, & mortalis vitæ effectus sunt, ideo dicimur in mystica oratione portare manipulum fletus, & doloris, & in sinistro brachio appenditur, per quod præsens vita significatur, quod est apud Gregorium, & Patres. Manipuli meminit idem Gregorius in lib. 2. ep. (*ep.* 54.) Idemque esse videtur, quod a Græcis Επιμανικιον dicitur, de quo Goarius ad Liturgiam Chrysostomi.

14. Quintum vestis Sacerdotalis genus est Stola, quam olim non solum virorum, sed etiam fœminarum communem habitum fuisse, patet ex Scripturis, ex Xenophonte, ex Tullio. Sed Latinis muliebre vestimentum erat, teste Ulpiano in leg. Vestis ff. de aur. & arg. leg. unde illud Ciceronis: (*Phil.* 2.) Sumpsisti virilem togam, & muliebrem stolam reddidisti, Medis autem, ex quibus ad Persas, teste Xenophonte, & ex his ad Græcos, teste Plutarcho in Alex. communis virorum. Erat & stola vestis Regia apum Sozimum, & Diodorum. Erat & vestis Sacerdotalis, cujus mentio fit in 2. Machab.

(*cap.*

(*cap.* 3.) De Stola Summi Sacerdotis Judæorum agit Josephus in 15. & 18. Antiq. De Stola Pontificis Maximi Romanorum Zozimus lib. 4. Simul, ait, ac Romanum Imperium quisque consequebatur, stola Sacerdotalis ei offerebatur a Pontificibus, & continuo Pontifex Maximus appellabatur. S. Germanus Constantinop. in theoria Liturg. ait, Stolam Sacerdotalem esseignicolorem, demissam usque ad pedes instar poderis Aaron. Sed huic stolæ nihil cum nostris commune est. Unde nec nostræ antiquitus Stolæ, sed Oraria dicebantur. Est autem Orarium linteolum quoddam, non quadratum, sed in modum parallelogrammi, aut angustæ sindonis oblongum, quod circa collum corrugatum, ex utraque parte defluens ante pectus colligabatur, quod Hispanis fere usque ad nostra temporsa in usu fuit, & *Corbata* dicebatur. Hinc illud Ambrosii de fratre suo Satyro: (*in funeb. orat. e-pist.* 85.) Eucharistiam (tempestate jactatus) ligavit in orario, & orarium circa collum involvit, & ita in mare se jactavit. Gregorius item Turonensis refert, Sigismundi Regis Burgundiæ filio dormienti orarium sub collo positum, & ligatum sub mento, quo, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est. Hujus autem Orarii usum esse in Ecclesia antiquissimum, patet ex constitutione Silvestri I. apud Damasum: (*in Pontificali*.) Ut Diaconi in Ecclesia Dalmaticis, & palla linostima ad lævam uterentur, id est, Orario, non ad modum Presbyterorum ante pectus in modum Crucis conformato, sed ex lævo humero ad dextrum latus ducto. Meminit & Conc. Toletanum IV. can. 39. ut Levita in sinistro humero Orarium portet. In Conc. Laodiceno jussum est: (*cap.* 22. & 23.) Ne Subdiaconi orario utantur. In Braccarensi I. (*Can.* 27.) de Orario Diaconi, & in III. de Orario Presbyteri agitur, ibi: (*Can.* 3.) Sacerdos non aliter oblaturus accedat, nisi orario utrumque humerum circumseptus. Quando vero antiquum Orarium in eam formam angustæ fasciæ, qua nunc utimur, redactum sit, & cur huic fasciæ Stolæ nomen inditum fuerit, quæsitum jamdudum est, sed ab nemine ad gustum explicatum. Stolæ nomen novum adhuc videtur fuisse tempore Rabani Mauri ajentis: (*de instit. Cleric. lib.* I. *cap.* 19.) Quintum est, quod Orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent, & forte idem innuit Alcuinus dicens: (*loc. cit.*) Sequitur Orarium, id est, Stola. Notandus valde Canon Concilii Moguntini 28., qui etiam habetur in Capitularibus Caroli Magni, ibi: Ut Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotalis dignitatis. Celebratum est autem Concilium Moguntinum ann. 815. Huic Canoni alius consonare videtur, quem Ivo Carnotensis citat (*serm. de reb. Eccl.*) nomine Conc. Triburiensis, & habetur apud Gratian. 17. q. 4. can. 25. Ut Presbyteri non vadant, nisi stola, vel

vel orario induti. Et si in itinere spolientur –
stola induti, simplici emendatione transgressor vel percutiantur, non
cum stola, triplici. Hujus profecto Canonis mulctetur; si autem
Presbyteri cum stola, qua sacrificant, per non hic sensus est, ut
dant, aut rusticentur; sed quia Orarium vicos, & compita proce-
apud omnis generis antiquos Scriptores vocari cœpit Stola, & Stola
gnificat, quæ totum hominem circumtegeret vestem quandam talarem si-
la pro veste talari sumuntur, qua indutos inde Orarium, & Sto-
omnes Ecclesiæ ministros incedere semper Sacerdotes, immo
ut eis debita reverentia adhibeatur, oportet, ut ab laicis discernantur,
disciplinam, ut fori, & canonis atque etiam juxta posteriorem
15. Sextum denique ultimum immunitate potiantur.
seu Planeta, ita jam dicta ab vestimenti sacri genus est Casula,
floruit. Planeta, inquit, (*lib.* tempore Isidori, qui sæculo septimo
Casula, quia ad modum parvæ 19. *cap.* 24.) Græce, & Latine dicitur
dicitur quasi minor cella. Planeta Casæ totum hominem tegit, sicut cuculla
errantibus evagetur. Utrumque vero dicta est, inquit, quod oris
melius. Cucullatam vestem, satis remotum est, sed nihil occurrit
ab sæculis cucullæ hujus usus idem ait, sed hodie, & multis, ut reor,
Casulam dici. Unde Theodemarus cessavit. Cucullam certe antiquitus &
cullam nos alio nomine Casulam Abbas ad Carolum Magnum: Cu-
ap. Macarium (*in reg.*) accipiam vocamus, & hinc illud Monachi
meam, & ibo &c. Jam vero quum casulam meam, id est cucullam
rem etiam Laicorum vestem fuisse Planetam, tum Casulam vulga-
sidoro in Regul. Nec solum profana, patet præcipue ex Cassiano, & I-
la ap. Procopium, qui Areobindum sed & servilis vestis erat Casu-
ste, sed famulo, vel privato homini non in prætoria, aut militari ve-
Romani, in Africam trajecisse narrat propria, quam Casulam vocant
26.) Apud Bollandianos in vita in 2. de bel. Vandalico. (*cap.*
bula vocatur. Quo autem tempore S. Popponis Abb. ad 29. Jan. Casu-
cris adhiberi cœperit, & in Sacerdotalem profanum illud vestimentum in sa-
beri non potest. Porro antiquæ vestem transiverit; certo ha-
hominem tegens, sicut Alba, Casulæ forma rotunda erat, & totum
propter opus erat, ut Sacerdos qua forma adhuc utuntur Græci. Qua
tia super humeros complicaret, libere operaturus, Casulæ latera fluen-
ut providerent Latini, Casulis sicut Græci faciunt. Cui incommodo,
in ea, qua nunc utimur forma; ex utroque latere apertis uti cœperunt
multa sæcula antiquam Casulam tamen & in Latina Ecclesia per
ginibus usque ad decimum in usu fuisse patet ex antiquis Ima-
in aliquibus Ecclesiis adhuc sæculum, & Casulis illius formæ, quæ
ante ducentos, aut circiter servantur, & se vidisse refert Morinus
gium adhuc superest, quod annos elaboratas. Hujus quoque rei vesti-
in genuflexionibus minister Casulæ par-
tem

tem posteriorem elevat, quod tunc in Casula causa necessarium erat, & similiter quod in Quadragesima, & aliis diebus, quibus Ministri Casulis utuntur, a parte anteriori eas suspendant, & gerant complicatas. Et hæc de apparatu sacro ad Missam necessario pro instituti nostri ratione dicta sint. Late de iis Rabanus Maurus, Walfridus Strabo, Amalarius Fortunatus, Alcuinus, Innocentius III., Durandus in Rationali, & ex Recentioribus Bellarminus, & Bona Cardinales, qui etiam de Pontificalibus, & reliquorum ministrorum vestibus late disserit, quos in compendium pulchre redegit Tournellius. (*q.* 8. *art.* 13. *de Eucharist.*)

SCHOLION.

16. De Ministris ad sacrificium cooperantibus infra agetur in Sacramento Ordinis. (*lib.* 16. *prop.* 14.)

17. Sequitur, ut de iis ceræmoniis agamus, quæ in actione consistunt, & intra ipsam Missam a Sacerdote fiunt, quarum aliæ ad Deum, aliæ ad ipsum sacrificium pertinent, aliæ ad ipsum Sacerdotem, aliæ ad populum, aliæ ad lectionem, aut modum ejus. Aliæ, quæ non Missæ propriæ, sed veluti communes sunt. Nam I. ad Deum refertur elevatio oculorum ad cœlum, quæ ab cœlo quicquam poscentibus, & sperantibus naturalis est, & Christo familiaris fuit, ut Marc. 6., & 14., Joannis 6., 11., & 17., Mat. 14. Luc. 9. habetur. Pia ergo, & sancta ceræmonia est. II. est elevatio manuum, quæ etiam ab cœlo quicquam sperantibus veluti naturalis est, unde etiam apud Ethnicos in usu semper fuit, & habetur de Moise Ex. 9., De Salomone orante Reg. 3. de Davide ps. 141. Paulus item vult, nos orare levantes manus puras 1. ad Timo. c. 2. III. est manuum ante pectus conjunctio, quæ veluti naturalis supplicantium habitus est. IV. est Capitis, aut major, vel minor Corporis inflexio naturalis item adorantibus. Unde in Liturg. Chrysostomus: Sacerdos .... conversus ad Christi imaginem, inflexo capite dicit &c. V. est genuflexio, qui veniam, aut favorem enixe precantium situs est velut a natura inditus, & Sanctorum exemplis confirmatus. Luc. 22. Dominus positis genibus orabat, & Paulus Act. 21.

18. Ad sacrificium ipsum spectat I. elevatio rei, quæ offertur, quæ in omnium rerum etiam hominibus facta oblatione naturalis, præsertim si publice, & nomine aliorum adstantium oblatio fiat. Unde & Sacerdos in lege veteri rem oblatam coram Deo elevare jubetur, Levit. 8., 9., & 10., & hæc elevatio fit in Offertorio. II. est rei oblatæ *consecratio*, de qua dictum est. (*prop.* 4. *huj.*) III. Sacramenti *ostensio*, & elevatio, ut a populo nobiscum adoretur, quæ in Li-

Liturgiis Basilii, & Chrysostomi habetur, & ap. auth. Eccl. Hierarch. cap. 3. IV. est fractio Sacramenti, quæ omnino necessaria est propter duo. Primum, ut pars aliqua in calicem immittatur, antiqui ritus vestigium, quum ex utraque specie Massa quædam fiebat, quæ fermentum dicebatur, ex qua adstantes de utraque specie participarent, & quæ deinde per titulos, aut Parochias, saltem in festis mittebatur, de quo ritu supra dictum est. (*prop.* 6. *huj.*) Secundum, ut commodius, & reverentius sumi posset. V. est mixtio aquæ, de qua supra dictum est. (*prop.* 6. *huj.*)

19. Ad Sacerdotem ipsum spectat I. pectoris tunsio, quum se peccatorem confitetur, quum Dei misericordiam implorat dicens: Agnus Dei &c., quum se indignum profitetur dicens: Domine non sum dignus &c. Hæc autem actio & naturalis est dolentibus, & peccatum suum, atque indignitatem fatentibus, & laudatur in Evangelio, qui percutiebat pectus suum dicens: (*Luc.* 18.) Deus esto propitius mihi peccatori, & (*Luc.* 22.) qui ab Calvariæ loco revertebantur percutientes pectora sua. II. ad ipsius Sacerdotis munditiem externam, sicut confessio ad internam, spectat lotio manuum, de qua supra dictum est.

20. In his, quæ ad populum spectant I. est salutatio per verba Dominus vobiscum. II. exhortatio ad orandum, & contemplandum per verba Oremus, Orate fratres, Sursum corda. III. benedictio populi per verba: Ite Missa est. Sed quum hæc non in actione solum, sed etiam in verbis consistant, quæ intra Missam dicuntur, de singulis postea agendum.

21. Circa ea, quæ in Missa leguntur I. est lingua a Vulgari diversa. II. vocis tonus altior, aut depressior. III. Cantus. IV. Musica instrumenta. Sed de Cantu, & Musicis instrumentis dictum est in lib. 6. (*prop.* 16.) quum de actibus Religionis in genere ageremus. Solum ergo superest, ut de lingua, & tono vocis hic dicamus. Statuendum est autem I. non esse necessarium, ut Missa (idem dic de aliis Sacramentis) vulgari lingua administretur. Hæc est aperta definitio Concilii Tridentini sess. 22. can. 9. Siquis dixerit, lingua tantum vulgari Missam celebrari debere .... anathema sit. Et sufficienter probatur ex usu, & consuetudine totius Ecclesiæ per quatuordecim sæcula ante Lutherum, & Calvinum, qui vulgari lingua Missam dici debere docuerunt. Mos autem Ecclesiæ patet ex Gregorio Magno, Isidoro, Alcuino, Ruperto, Amalario, Rabano, Mauro, Walfrido, &c. qui quum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, & Anglia scripsissent, nusquam formas Sacramentorum, atque adnexas preces, nisi Latinas nobis tradiderunt. Patet secundo, quia in Sacramentis, & præcipue in Missa multa dicuntur ex sacris libris desumpta; sed sacri li-

libri nunquam exstabant eo tempore nisi in tribus illis linguis Hebraica, Græca, & Latina. Omnes enim Vulgares aliæ versiones posterioribus, & pleræque recenter factæ sunt: ergo. Præterea Moravi, ut refert Æneas Silvius, postea Pius II. privilegium petierunt ad celebrandum lingua Sclavonica, & Bohemi item ab Gregorio VII. ad celebrandum lingua Bohemica, ut Grægorius ipse scribit Ep. lib. 7., hanc autem facultatem ab Sede Apostolica non petiissent, si in sacris usus linguæ vulgaris permissus esset ad populorum, aut Episcoporum libitum: ergo &c.

22. Nulla vero fingi potest necessitas. Nam illa maxime prætendi poterat, ut plebs ea, quæ in Missa, & aliis Sacramentis dicuntur, intelligeret; sed hæc necessitas nulla est: ergo. Minor probatur. Nam verba, quæ in Sacramentis dicuntur, aut referuntur ad ipsa elementa, ut quum aqua benedicitur, aut oleum, quum panis, aut vinum consecrantur &c. vel referuntur ad Deum, ut quum deprecando dicimus: Indulgeat tibi Deus. Suscipe Sancte Pater &c., aut referuntur ad ipsum suscipientem, ut quum dicimus: Ego te absolvo, & his similia; sed Elementa nullam linguam intelligunt; Deus quamcumque intelligit; Suscipientes autem non opus est, nisi ut intelligant quod virtute Sacramenti in ipsis fit, non verba, quibus fit, de his etiam, quæ intelligere, & scire debent, aliunde sufficienter instructi sunt per Catechistarum instructionem, per aliorum admonitiones, exempla, & piorum librorum lectionem. Nullus item adultus Sacramentorum capax tam rudis est, ut non intelligat, per hæc, aut illa verba tale, aut tale Sacramentum sibi ministrari, præsertim quando actiones verba comitantur. Nulla est ergo necessitas, ut verba, quibus sacramenta administrantur, aut conficiuntur, plebs rudis intelligat. Præterea si talis esset necessitas, sequitur, ut qui per ætatem, aut vi morbi sui compos non est, nec baptizari, nec ungi, nec absolvi posset, cujus contrarium ex praxi Ecclesiæ sanctissima, & antiquissima constat. Denique Mathias Flaccus Illiricus Lutheranus Rigidus Missam antiquam invenit, atque edidit sub hoc titulo: Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in usu fuit, bona fide ex antiquo, authenticoque Codice descripta; sed hæc Missa tota Latina est, & Latina lingua aut nusquam, aut solum in aliquibus Italiæ locis vulgaris erat: ergo lingua non vulgari antiquitus Missa dicebatur. Item: Græci usque ad præsentem diem, paucis immutatis, utuntur Liturgiis Basilii, Chrysostomi, Procli &c. sed lingua vulgaris Recentiorum Græcorum ab earum Liturgiarum lingua diversissima est: non ergo vulgaris lingua in usu est apud Græcos. Ecclesia Hispana, & Mediolanensis, & Lugdunensis, & Monacho-

rum Ordines multi diversas ab Romana Liturgia sibi condiderunt; Nunquid aliquam vulgarem, aut saltem non Latinam?

23. Dico secundo: Congruentissimum, ac decentissimum est, ut Sacramenta, Missæ præsertim, communi aliqua, sed non vulgari lingua conficiantur. Probatur contra Lutherum I. Nam in sacris rebus frequenter utimur verbis Scripturarum: in Missa præsertim fere totum Testamentum novum habetur, & magna pars veteris: ergo velle, ut hæc dicantur in lingua vulgari, est velle, ut omnes libri sacri ad vulgarem linguam transferantur, quod nec congruum esse, nec decens supra in lib. 3. (*prop.* 13.) probatum est. II. Communitas linguæ magnum est societatis, & mutui commercii vinculum, ut in rebus Civilibus, & Politicis patet. Unde adlaborant Principes, ut in omnibus suæ ditionis gentibus una sit lingua; sed maxima societas esse debet in rebus ad Religionem, & sacra mysteria spectantibus: ergo una in his esse debet, atque eadem lingua. Unde dictum: Idem sapiamus, idem dicamus omnes. Ubi autem diversæ sunt linguæ, nescies an alter idem, ac tu sentiat, aut loquatur. III. Linguæ, dum vivæ sunt, ac vulgares, intra paucos annos ad vulgi arbitrium variant, & mutantur, vel etiam intereunt ob diversam dominationem, aut cum novis gentibus commercium. Unde illud Horatii

> Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
> Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
> Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Sed in rebus ad fidem, & Religionem spectantibus id congruentissimum est, & maxime optandum, ut ea teneamus, quæ ab omnibus, quæ ubique, quæ semper credita sunt, quod est esse Catholicum, ut quum antiquissimis sentiamus, & loquamur; hujus autem uniformitatis magnum est periculum in quavis mutatione: ergo sicut fides, ita & sermo, seu verba ad exprimendas res sacras spectantia invariabilia, & antiquissima esse debent, quod in viva lingua est observatu difficillimum, quum fere post tria, aut quatuor sæcula novas vicissitudines patiantur. IV. Ex ipsa mortalium hominum indole, ac genio. Nam I. ea, quæ ab usu, & contrectatione nostra remota sunt, magis miramur, quam trita, & consueta. II. Ex iis rebus, quæ in usu vitæ quotidiano non sunt positæ, magno pretio habemus, immo innata quadam veneratione prosequimur ea, quæ vetustissima, & antiquissima sunt, ut statuas, & icones, & tripodes, & templa, & columnas, immo & catinum, aut poculum Evandri manibus tritum.

III. Hinc etiam antiquæ leges, uti duodecim Tabularum apud Romanos, & Draconis, & Solonis apud Græcos &c. iisdem antiquis verbis efferebantur, & similiter antiquæ institutiones, & veterum proverbia, & mores antiqui urbium, etiam ridiculi; & formulæ judiciorum, atque hujusmodi sexcenta, quoquomodo immutari religio est, quoniam vetustas ipsa rebus reverentiam, atque honorem conciliat: ergo quo magis reverentia, & honore digna sunt ea, quæ ad Religionem spectant, eo magis firma, atque invariabilia esse oportet, ne aut veluti nova comtemnantur, aut veluti trita vilescant.

24. Ulterius: Finge, Romæ solum in Romana lingua Missam celebrari. Quid inde sequatur non vides? Nimirum, innumeri Sacerdotes, qui ab Hispania, Gallia, atque ex toto terrarum orbe aut negotiorum, aut pietatis causa tamdiu Missam celebrare non poterunt, quamdiu vulgarem Romanorum linguam non didicerint. Dices Romæ esse Ecclesias omnium Catholicarum Nationum, ubi Missam vernacula lingua celebrare possint, ut S. Jacobi pro Hispanis, Sancti Ludovici pro Gallis. Sed si hæ Romæ sunt, etiam Matriti, etiam Parisiis, etiam Viennæ erunt? Deinde qui Romæ apud S. Jacobum Missæ adessent, an omnes Hispani essent? An non in idem incommodum incidis, ut nimirum plebs Missam audiat in lingua, quam non intelligit? Urget Bellarminus. (*lib. 2. de Sacram. cap. 31.*) Nam si lingua vulgari Sacramenta administrentur, aperietur porta latissima ignorantiæ, & erit sicut populus, sic Sacerdos. Ministri enim contenti erunt, si sciant legere. Interea neque Sanctorum libros, neque Conciliorum definitiones, neque Canonum statuta, quæ præcipua sunt Ecclesiasticorum studia, nec Theologicas disciplinas, neque Scripturas addiscent, aut legent, nisi hæc omnia etiam velis ad vulgares linguas transferri.... Præterea: pro Missa singulare est argumentum. Nam magna pars eorum, quæ in Missa dicuntur, ut fere totus Canon, submissa voce dicendus est, ut statim probabimus; sed ideo submissa voce, aut secreto dicuntur, ne populus audiat; quæ autem plebs audire non debet, non opus est ut intelligat. Nam quomodo velit Ecclesia populum verba intelligere, quæ vetat audire? ergo quia non opus est, nec Ecclesia intendit, ut qui Missæ intersunt, mysticas preces intelligant.

25. Sed hujus ultimi argumenti majorem negat aperte Kemnitius, & alii Novatores. Ait enim Kemnitius, (*2. p. Exam.*) illam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem dicendi in Missa quædam elata voce, quædam submissa esse contra Christi institutionem, atque ideo damnandam. In contrarium vero est authoritas Concilii Tridentini ajentis: (*Sess. 22. cap. 9.*) Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnan-

nandum esse .... anathema sit. Hæc autem Catholica definitio probatur I. Nam ea, quæ crebro audire consuevimus, facile in hominum contemptum, ac derisionem veniunt. Multum quippe confert; ait Basilius lib. de Sp. Sancto, (*cap.* 27.) ad dignitatem, & reverentiam mysteriis conciliandam, ut non assuescant homines eadem sæpius audire; sed nihil in terris augustius, & majori reverentia dignius, quam Eucharistiæ mysterium: ergo &c. II. Mos Ecclesiæ Catholicæ divinæ institutioni adversari, & damnabilis esse non potest, quod in 11. statutum est; sed mos Ecclesiæ Romanæ hic est mos Ecclesiæ Catholicæ: ergo. Minor probatur. Nam in Græca, & in Armena Missa idem mos, & ritus servatur, & de Græca quidem ipse fatetur Kemnitius desumptis ex Basilii, & Chrysostomi Liturgiis, testimoniis. Ait vero *secreto*, ibi positum pro voce moderata. Sed apud Chrysostomum est *μυστικῶς*, id est tacite, aut sibi soli, quod non de moderata, sed de omnino secreta voce intelligi debet. (*Vide Bellarmin. 2. de Miss. cap.* 12.) Nam quis dicitur secum tacite loqui, quod moderata voce pronunciat. In Liturgia Mozarabica, & Ambrosiana, ac reliquis occidentalibus idem ritus habetur. Et de Missa quidem antiqua Latina negare id non potest Kemnitius. Constat enim ex Missa, quam bona fide ex antiquo, & authentico Codice descripsit, & publici juris fecit Matthias Illyricus Lutheranorum Coryphæus. Ibi enim & Orationis, quæ Secreta dicitur, mentio fit, & multa jubetur Episcopus dicere, dum Chorus aliud canit, quæ propterea submissa voce dicantur, necesse est, quum adstantes eam audire non possint. Patet item ritus Latinorum ex Innoc. I. in ep. ad Eugubinum Episcopum. Deinde exemplum secretæ orationis, & sacrificii habemus in veteri Testamento, nam Levit. 16. jubetur Sacerdos solus intrare intra velum, & ibi sacrificare, reliquis exclusis, & foris exspectantibus, unde nec audire quicquam, neque videre poterant. Denique omnium sacrificiorum maximum, & præstantissimum, & a quo reliqua omnia vim, & virtutem habent, Christus in Cruce sub silentio peregit: vox enim, & verba ad naturam ipsam, & naturam oblationis, & sacrificii neutiquam necessaria sunt. Quod si Dominus in Cœna verbis, & clara voce usus fuit, id non ad Eucharistiæ confectionem, sed ad Apostolorum Ordinationem, & instructionem fecit. Nec enim nisi eo docente scire poterant quid, & quomodo in ejus commemorationem, & imitationem in Ecclesia faciendum ab ipsis erat. Ex quo præcipuum Kemnitii argumentum solutum manet. Reliqua autem futilia sunt, ut quæ ex Græcorum more alta voce proferendi verba Consecrationis, & quæ ex Novel. 123. Justiniani, & aliquibus Patrum dictis afferuntur. Etenim Græcorum morem non improbamus, quum res meræ disciplinæ sit, in qua varius

rius esse potest usus regionum; sed Latinum morem damnari non posse, contendimus. Novella autem Justiniani non est ad rem. Solum enim jubet, ut quæ elata voce dicenda sunt, alta voce efferantur ab omnibus, contra quorumdam morem, qui submissa voce omnia pronunciabant. Quod si aliud voluit Justinianus, non est audiendus. Nec enim in rebus ad Religionem, & usum Altaris spectantibus idoneus Judex est.

26. Superest ergo, ut de ipsa Missæ serie, & ordine breviter aliqua prælibemus. Incipit Missa in nomine Trinitatis cum Psalmo *Judica*, quem jam ab tempore Ambrosii adcedentibus ad altare etiam laicis familiarem fuisse, manifestum est. Ait enim: (*lib. de iis, qui initiant. cap.* 8.) ad Christi contendis altaria dicens: Introibo ad altare Dei .... (4. *de Sacrament.*) Veniebas ad altare, dicebat anima tua: Introibo ad altare &c. Exstat etiam in Missa Illyrici, sed alio in loco, nimirum, post confessionem. Sequitur Confessio, quam omnes antiquæ habent Liturgiæ Græcæ, & Latinæ, licet diversis formis. Ejus, qua nunc utimur, ab aliquibus Pontianus Papa, ab aliis Damasus habetur. Exstat in Missa Illyrici sub hoc titulo: Coram Altari stans profert Confessionem, & dat absolutionem Ministro &c. Sequitur Introitus singularis Missæ, sed non semper idem, qui constat ex Antiphona, Psalmo, & versiculo Gloria, de quibus dictum est alibi. (*lib.* 12. *prop.* 8.) Finito Introitu, dicitur brevis oratio novies repetita: Kirie Eleison, quod Latine significat: Domine, miserere, & Græci Litaniam vocant a verbo λιτανευειν, quod supplicare significat. Dicitur autem Græca lingua jam ab tempore Gregorii. (*epist. ad Sicilienses.*) Non autem Gregorius eam precandi formulam induxit primus, ut quidam asseruerunt. Nam centum quinquaginta annis ante Gregorium celebratum est Concilium Vasense, ubi dicitur: (*cap.* 3. *ann.* 529.) Quoniam in sede Apostolica, & per omnes Orientales, atque Italiæ Provincias consuetudo est, ut Kirie Eleison frequenter cum grandi affectu, & commotione dicatur, placuit nobis &c. Meminit ejusdem Augustinus ep. 178. dicens, ab omnibus gentibus Christianis Deo græce supplicari, ut misereatur. Cur autem Græce potius, quam Latine dicantur, audiam ab aliquo potius, quam dicam. Porro Græci Sacerdotes canunt Kirie Eleison simul cum populo adstante; apud nos autem, ait Gregorius, (*ep.* 64. *ad Joan. Syr.*) solum a Clericis dicitur, & nos totidem vicibus Christe Eleison quod Græci nullo modo dicunt. Nunc vero nos sex Kirie, ter Christe dicimus.

27. Post Kirie subintrat Hymnus Angelicus, quoniam ex verbis Angelorum Domini Nativitatem annuntiantibus prima ejus verba desumpta. Quis reliqua addiderit, non satis constat. Innocentius in 2. de *Myster. Missæ cap.* 20. ait, a quibusdam tribui Telesphoro, sed a plu-

pluribus Hilario Pictaviensi. Porro initium ejus Hymni habetur in Liturgia, quæ Jacobi dicitur. Primitivos Christianos in suis cœtibus carmen Christo quasi Deo canere solitos, Plinius author est, (*ad Trajan.*) & confirmat Eusebius. (*lib.* 5. *hist. capit.* 28.) Ex his igitur primis Hymnis forsan deinde pulcherrimus ille compositus est, quem quotidie in Missa dicimus. Concilium Toletanum (*IV. cap.* 13.) solum, ait, reliqua, quæ ibi sequuntur post verba Angelorum Ecclesiasticos Doctores composuisse, sic autem compositum forsitan Telesphorus ut in Missa diceretur, instituit. Illyricus eumdem totidem syllabis invenit in Missa antiqua Latina, quam edidit, adeoque est pulcher, & congruus, ut Lutherus in nova sua Liturgia conservandum putaverit. Meminit ejus Athanasius Hilario coævus, & paulo antiquior in lib. de Virginibus. Antiquitus solum ab Episcopis, idque in Dominicis, & festis solemnioribus dicebatur, non a Presbyteris nisi in die Pascha, ut ex Gregorii Sacramentario habetur, & Ordine Romano, nunc paucis diebus exceptis, semper, & ab omnibus dicitur Sacerdotibus, detractis ab Nicolao V. ut fertur, quibusdam clausulis, quæ in laudem B. Virginis ex quorumdam imprudenti devotione irrepserant, & inveniuntur in quibusdam ad usum Chori MSS. & editis libris.

28. Deinde Presbyter apertis manibus quasi singulos amplexurus, populum salutat dicens: Dominus vobiscum. Quæ salutatio displicere adversariis nostris non potest, nisi displiceat Scriptura in libris Judicum cap. 6., Ruth. cap. 2. Paralip. 2., & Lucæ 1. Est autem antiquissima, ut patet ex Liturgia, quæ Marco tribuitur, ubi Dominus sit cum vobis omnibus. Patet idem ex 3. Concil. Carthag. (*can.* 4.) quod tempore Aug. celebratum est. Ibi enim vetitum est, ne Lectores hujusmodi salutationis formula utantur, quasi jam multo antiquius solis Sacerdotibus reservata. Græci in reliquis suis Liturgiis præter citatam Marci dicunt: Pax omnibus. Tam Græci autem, quam Latini eadem forma resalutant: Et cum spiritu tuo, quod præter eorum Liturgias patet ex Chrysost. homil. 18. in 2. ad Corinth. Latini item Episcopi, quum primum plebem salutant, Pax vobis dicunt, ad exemplum Christi, idque ab antiquo more, quod patet ex Optato Milevitano lib. 3., & Ambros. de dignit. Sacerd. Quum autem Priscillianistæ semper dicerent, Pax vobis, & salutatione Presbyteris communi nunquam uti vellent, sancitum est in Concil. Braccarens. (*cap.* 21.) ut non aliter Episcopi, aliter Presbyteri salutarent, sed uno modo omnes dicentes: Dominus vobiscum. Sopita autem, aut extincta Priscillianistarum hæresi, ad priscum morem reditum est, ut Latini etiam Episcopi dicant: Pax vobis; Presbyteri, Dominus vobiscum. Non quidem incongrue. Nam Episcopi specialius repræsentant Christum.

stum summum Sacerdotem, qui pacem dabat, non quomodo mundus dat. Presbyteri autem repræsentant secundi ordinis Ministros, sive Angelos, & Sanctos Dei Prophetas, qui eo modo salutare dicuntur in Scripturis, ut ad Josue, ad Mariam: Dominus tecum: ad Asam Regem Propheta: Dominus vobiscum. Et similiter Booz ad messores suos loc. supr. cit.

29. De Collectis sive orationibus dictum est supra, quum de divina Psalmodia ageremus, (*lib. 12. prop. 8.*) & quum de Actibus Religionis in 6. p. 12. Amen, quo Collecta concluditur Hebraica vox, qua assensum dictis præbemus, ita ut in credendis, fidem; in optandis, pium respondentis votum significet, Ita est, Fiat. Ejus autem usus antiquissimus ex Paulo habetur ajente: (*1. ad Cor. cap. 14.*) Qui supplet locum Idiotæ, quomodo respondebit Amen? Quasdam autem voces Hebraicas, quasdam Græcas cum Latinis miscuit antiquorum pietas, ut in his tribus linguis omne verbum veritatis, & pietatis haberi significaret. Dicitur autem Collecta expansis, & elatis manibus more precantium, & supernum auxilium implorantium, ex quo dictum est: (*Ps. 87.*) Expandi manus meas ad Te .... (*Ps. 62.*) In nomine tuo levabo manus meas, & similia in Scripturis multa. Hodie vulgo Collecta dicitur appendix illa, quæ in festis solennioribus communi orationi addi solet, in qua nominatim pro Papa, pro Rege, & Principe cum exercitu suo, pro Episcopo, pro pace, & salute populi, pro Captivis Christianis, pro terræ fructibus supplicatur Deo, cujus exempla ex Goldasto, & aliis profert Bona.

30. Post Collectam juxta antiqua Sacramentaria sequitur Apostolus, id est, lectio ex Epistolis Pauli, & Apostolorum, & Prophetarum, quas in Synaxibus, sive cœtibus Christianorum, quum ad Dominicum coibant, legi solitas, testatur Justinus, (*Apol. 2.*) & jubet Paulus dicens: (*ad Thess. 5.*) Adjuro vos, ut legatur Epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Idemque ad Colossens: (*cap. 4.*) facite, ut in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. Nec solum Apostolorum, sed etiam Apostolicorum virorum, Polycarpi, Clementis, & aliorum Epistolas in Ecclesia legi solitas testantur Eusebius, (*lib. 4. cap. 15.*) Hieronymus, (*lib. de Script. Eccl.*) & alii. Nunc vero nihil nisi ex divinis libris excerptum in Missa ad Epistolam legitur. Antiquitus item a Lectoribus dicebantur, nunc in Missa solenni a Subdiaconis, quod ab Amalarii (*lib. 2. cap. 11.*) temporibus incœpisse videtur. Hieronymus Presbyter, ait Hugo Victorinus in 2. de offic. Eccl. Lectionarium, ut hodie habet Ecclesia, collegit, sed Damasus Papa, ut nunc moris est, legi jam instituit. Et hujusmodi lectiones pro diebus, & festis singulis suo tem-

tempore assignatas commemorat Augustinus, (*Serm.* 236. *de temp.* & 10. *de verb. Apost.*) & ante Hieronymum Lectionarium confecerat Hyppolitus Martyr, ut ex ejus Canone Paschali habetur. In Conciliis Laodiceno, (*can.* 59.) & Carthag. III. (*can.*47.) sancitum, ne quid ex libro aliquo extra canonem legatur. Toletanum IV. (*cap.*61.) Apocalypsim designavit pro tempore a Pascha usque ad Pentecosten, quamvis eo tempore non ubique pro Canonico habebatur. Bracarense I. decrevit, (*cap.* 2.) ut omnes easdem lectiones dicerent, non alii alias. Epistolæ adnectitur Responsorium, seu versiculi aliqui ex Scripturis, ut plurimum desumpti, ut apud Aug. in festo Cathed. Exaltent eum in Ecclesia plebis &c. Dicuntur hi versiculi Graduale, quia canitur in Gradibus, sive Altaris, ut quidam volunt, sive pulpiti, aut Ambonis, vel dum Diaconus hos gradus ascendit, atque ad Evangelium canendum se præparat. Mos enim erat, qui etiam hodie alicubi asservatur, ut Evangelium ex editiore loco caneretur, qui Pulpitus dicitur, & Ambo a verbo græco αμβαινω, quod ascendere significat. Graduali adjicitur Tractus, qui in diebus luctus, & pœnitentiæ ponitur, & ideo tanquam vox flebilis tractim, inquit Durandus lib. 4. Ration., (*cap.* 21.) & cum asperitate vocum, & prolixitate verborum canitur. Hujus loco in tempore exultationis, & spiritualis letitiæ canitur Alleluja, de qua voce alibi dictum est dum de Psalmod. (*lib.* 12. *prop.* 8.) Responsorii aliqui authorem faciunt Cælestinum I., alii Greg. I., sed ante hunc tempore Augustini in usu fuisse, patet ex serm. 8., & 10. de verb. Apostol. ibi: Audivimus lectionem Apostoli, deinde cantavimus Psalmum, post hæc Evangelica lectio &c. Nec obstat Canon 12. Conc. Toletani IV. sub Honorio, in quo prohibetur sub pœna excommunicationis ritus aliquarum Ecclesiarum, quo laudes, id est, psalmus aliquis post Apostolum, id est, post Epistolam canebatur. Sed sciendum est, Concilium hoc celebratum fuisse ann. 633., quo in usu erat, & multos postea per annos, Ritus Mozarabicus. Juxta ritum autem Mozarabicum duplex erat lectio ante Evangelium, alia quidem ex veteri Testamento, & post hanc dicebatur Responsorium simile Graduali Romano; alia ex Epistolis Apostolorum, cui quidam secundum graduale adjiciebant, & hoc prohibet Concilium. Nos, qui unam lectionem duntaxat Evangelio præmittimus, Graduale post Epistolam dicimus, & hunc morem in Ecclesia Latina antiquissimum esse perspicuum est ex Augustino. (*Serm.* 33. *de Verb. D.* & *de Verb. Apost. Serm.* 8. & 10.) Ambrosiani, qui etiam duas lectiones Evangelio præmittunt, Graduale quidem dicunt post lectionem veteris testamenti, & versiculum cum Alleluja dicunt post Epistolam. Nec Luthero Responsorium, & Tractus di-

displicuit, nisi quod Alleluja semper dici vult, &
Missæ formula. Temere quidem, & contra Ecclesi
simum. Sed etiam de his semper ab nobis dissi

31. Porro in extrema Alleluja ultimum A lo
nota longiori cantari solebat, unamque brevem
bam, inquit Rupertus, (l. de div. offic. cap. 35.) in
trahimus, ut jucundo auditu mens attonita reple
luc, ubi sempiterna sunt gaudia. Solemus, ait
exposit. Miss. cap. 2.) longam notam post Alleluja
A prolixius decantare, quia interminabile est San
dium. Hæc autem cantus sine verbis protractio,
aut sequentia. Unde natum, ut Prosa quædam Ri
in festis Domini solennioribus addita est, *Sequen*
bebantur autem hujusmodi Sequentiæ ante undeci
bas Notgerus, ait Radulphus Tungrensis, (*prop.*
quas pro neumis de Alleluja dicitur composuisse.
tia quasi Allelujæ continuatio. Unde Hugo Victori
c. 7.) Quando sequentia dicitur, posterius Alleluja
sed chorus loco ejus Sequentiam concinit. Sequent
scha: Victimæ Paschali, cujus authorem esse Notg
bit Herrerius. (*lib. 2. de orig. Rit. cap. 12.*) Secunda
stes: Veni Sancte Spiritus, quæ tribui solet Robert
aut ab aliis Hermanno Contracto. Tertia in festo
Lauda Sion, cujus author D. Thomas Aquinas. Q
Missis Defunctorum: Dies iræ, cujus authore
Possevinus (*in appar. Sacro.*) verum authorem
Ord. Prædic. Generalem V. Sed bene notat Cirv
Missal. lib. 2. cap. 115.) hæc non proprie Sequentia d
leluja in Missa Defunctorum non dicatur. Ecclesia
aliæ nonnullæ proprias Sequentias nonnullas canunt
Clictovæum. (*Elucidat. lib. 4.*) Ultimo addita est in
Rithmus Stabat Mater in festo Dolorum B. Virgini
in Vit. S. Pauli Abb. S. Albani dicuntur Troparia.

32. Lectionem Evangelii antiquissimam esse in cœ
rum, patet ex Clemente Romano, Papia, quos addu
bius in 2. hist. Eccl. asserentes, Marci Evangeli
se, & legi in Ecclesiis jussisse. Item ex Concil. Ara
lentino, Carth. III., & ex Hieronymo, (*ep. ad Sabini*
lectionem Evangelii Diacono commissam scribit. Ad
gelii, ait Hugo, (*in Spec. Eccl. cap. 7.*) plebs baculos
detegit, Reclinatorium relinquit, stans audit. Evan
nullus Protestantium impugnavit. Ea lectione finita,

Cathecumenorum. Unde ad finem Evangelii, aut Concionis ad populum, quæ post Evangelium fieri solebat, dicebatur: Ite, Missa est.

33. Missa Fidelium incipit cum Symbolo, quod fides sit Evangelicæ prædicationis fructus. Dicitur autem in Missa Symbolum Constantinopolitanum, idque apud Græcos in urbe Constantinopoli Timotheus Patriarcha instituit, teste Theodoro Lectore, (*lib. 2. Collectan.*) circa annum Christi 510. Deinde in Antiochena Ecclesia idem statuit Petrus Gnaphæus, teste Nicephoro. (*lib. 15. cap. 28.*) Græcos primi Latinorum imitati sunt Hispani in Concilio Toletano III. ann. 589. statuentes, (*can. 2.*) ut propter reverentiam sanctissimæ fidei, & ad corroborandas hominum invalidas mentes, per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Galleciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est CL. Patrum Symbolum fidei decantetur. Ex Hispania ad Gallias, & Germaniam mos iste pertransiit, regnante Carolo Magno, qui ad Leonem III. legatos etiam misit de additione *Filioque*, Pontificis sententiam rogaturus. In ipsa autem Urbe Roma, inquit Berno Augiensis testis ocularis, (*de reb. Mis. cap. 2.*) Symbolum usque ad hæc tempora beatæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo canebatur. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi, eos hujusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fece infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa. Iisque necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non desiit, donec Domino Benedicto (VIII.) Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantaretur. Gesta hæc ann. 1014., in quo ejus Collationis meminit Baronius. Romanæ autem hunc Ecclesiæ ritum multis ante sæculis, ex eadem ratione deduxerat Ruffinus in Exp. Symboli dicens: In Ecclesia tamen Urbis Romanæ hoc non deprehenditur factum, quod nec hæresis ulla ibi sumpsit Exordium, & mos ibi servatur antiquus. Qua propter Baronius hanc (*anno 1014.*) Benedicti VIII. tempore factam mutationem narrans, placent ista, inquit, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum plusquam mille, magis quam novitati delatum fuisset.

34. Post Symbolum, iterum salutato de more populo, canitur offertorium, seu versiculus, aut versiculi aliqui ex Psalmis ut plurimum desumpti. Canitur autem hic versus, & *Offertorium* dicitur, quia secundum antiquum morem, quo fideles ad Dominicum convenientes aliquid ad altare offerebant, de quo supra, (*prop. 6. huj. & lib. 15. pr. 7.*) hic versus, unus sæpius repetitus, aut plures canebantur, dum Presbyter dona a fidelibus oblata per alios Presbyteros, aut Diaconos

su-

suscipiebat. Cujus moris mentio est in Missa ab...
tunc convertat se ad suscipiendas oblationes Pr...
rum.... Post acceptas autem oblationes a Cle...
cipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam, ...
partem aliquam Consecrationi, & sacrificio con...
pus (vel celebrans) accipiens oblationem a Dia...
Sancte Pater &c. ut in Missa Romana . . . . T...
aqua miscet dicens; Deus, qui humanæ substan...
in Missa nunc dicitur... Et Sacerdos Calicem...
rimus tibi, Domine, uti nunc dicitur. Oratio, ...
humilitatis &c. non invenitur in Missa Illyrici...
similes, post quas adjungitur: Veni sanctificator...
Sancta Trinitas, quæ nunc dicitur proxime ante...
in Missa edita ab Illyrico tempore oblationum, ...
Sancti alicujus, in hunc modum: Suscipe Sancta ...
nem, quam tibi offero in memoriam Nativitatis, I...
nis, Resurrectionis, & Ascensionis D. N. J. C., &...
tibi placuerint ab initio Mundi, & eorum, quor...
celebratur, & quorum hic nomina, & Reliquiæ...
&c. Hæc ideo late exposui, ut appareat, has pre...
fertorium, & Secretam dicuntur, quamvis in Ordi...
tiquis Rituum Expositoribus ante annos septingent...
tamen antiquissimæ sunt, quippe jam circa septin...
lum usitatæ in Missa Latina, ipsis Adversariis fate...
go Bellarminio quod asserit, (*lib. 2. de Missa cap. 17*...
Romana Ecclesia ante quingentos ab sua ætate ann...
tas; sed non admodum antiquas esse, negamus. Na...
Ecslesiæ locis, ut in Illyria in usu fuisse, testatur...
Ex Gallicano Ordine ad Romanum transiisse, testa...
(*Bibl. PP. cap. 11.*) & saltem orationem illam: V...
ubi Spiritus Sanctus ad oblatæ sanctificationem invoc...
& Africana Ecclesia usitatam fuisse, sive his, sive a...
ter ex Basilio, & Chrysostomo, Fulgentio, & Opt...
6.) In altare postulatum descendere Spiritum Sanctum...
In spiritu humilitatis, quæ in MSS. antiquissimis non...
sumpta est ex verbis Azariæ apud Danielem, & ejusd...
bentur multa in veteribus Liturgiis. Post invocationem...
cti Sacerdos manus lavat, interim dicens psalmum: La...
nocentes &c: de quo ritu supra dictum est, neque in...
juncto psalmo, quid Misoliturgici reprehendere possint...
35. Sacerdos Secretam dicturus, orat populum, ut s...
se oret dicens: Orate fratres &c., eidque respondetur, S...

nus &c., cujus orationis, & responsionis diversæ sunt in diversis Liturgiis formæ, æque piæ, & quæ in eandem sententiam conspirant. Similis mos est Græcis apud Goarium in not. ad Liturgiam Chrysostomi. Sequitur Collecta, sive Secreta, quæ varia est pro diversitate festorum. Ritus autem eam orationem secreto dicendi antiquissimus est, ut patet ex omnibus Liturgiis, usque ad antiquissimam Illyrici, & priscis Rituum expositoribus, Amalario Alcuino, Ruperto &c. Ratio autem esse potuit, ut attentio populi per illud silentium ad præfationem, & futurorum mysteriorum exspectationem excitaretur.

36. Sequitur enim immediate salutatio ad populum, & exhortatio, ut terrena omni cogitatione relicta, sursum cor, mentemque erigat. Cujus formulæ meminerunt Cyprianus in lib. de Oration. Augustinus ep. ad Dardan. 57. & alibi. Cesar. Arelatensis hom. 11. Concilium Milevitanum canon. 12. & ex Grecis Cyrill. Hieros. Cath. 5. Mystagog. Chrysostomus in secundam ad Corinthios hom. 28. Anastas. Sinaita serm. de Sacra Synaxi, & plures alii, unde patet, præfationes has, de quibus etiam hujusmodi PP. mentionem faciunt, & Liturgiæ omnes longe Gelasio, & Gregorio antiquiores esse. Præfationem quis ordinaverit, inquit Walfridus, nobis ignotum est. Sane quum ab tempore Cypriani, tertio nimirum sæculo, jam in usu fuerit, & ab nullo Pontifice, in nullo Concilio inveniatur instituta, dicendum est, juxta Augustini regulam, ritum hunc ex Apostolica institutione descendere. Porro quum Præfationes pro festorum variarent, adeo excrevit pro singulari Ecclesiarum, & Ordinum Monachalium devotione earum numerus, ut ducentæ quadraginta numerentur in libello Præfationum Coloniæ ab Gravio edito. Præfationis particularis de Eucharistia meminerunt Guitmundus, & Algerus in libris adversus Berengarium. Desiisse autem hæc Prefationum diversitas videtur, quum Romanorum PP. diligentia fere totus occidens Romanum Missæ ordinem suscepit. Porro in ordine Romano tres inveniuntur de tempore, nimirum, Communis per annum, quæ dicitur de Angelis. II. de Quadragesima, Qui corporali, III. de tempore Paschali a Pascha usque ad Ascensionem. Particulares I. de Ascensione, II. de Pentecoste, III. de Trinitate, IV. de Cruce, V. de Apostolis, VI. de Natali Domini, VII. de Epiphania, de quibus omnibus, præter primam, & communem, mentio est in cap. Invenimus de Consecr. dist. I., ibi invenimus has novem præfationes in sacro catalogo tantummodo receptas. His Urbanus II. in Concil. Placentino addidit undecimam de B. Virgine ann. 1080., & habetur in can. Sanctorum dist. 70. Græci una semper, atque eadem præfatione utuntur. Clauditur Præfatio cum Cantico Seraphico apud Isaiam, addito Cantico, quod pueri Hebræorum Christo cecinerunt in die Palmarum, quæ habentur etiam in antiquis-

tiquissimis Liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Maronitarum &c. & in Conc. Vasensi initio sexti sæculi celebrato, ann. 529. 37. Canon Missæ dicitur certus ordo, ac Regula legitima authoritate præscripta eorum, quæ in Missa agenda, & dicenda sunt. Quippe si pro captu & devotione cujusvis hæc mutarentur, & errores, & ineptiæ multæ passim acciderent in actione omnium sacratissima, & communissima. Unde & Lutherus ipse, qui libros de abroganda Missa, & de abominatione Canonis scripsit, tamen suis quamdam formulam celebrandæ Cœnæ tradidit. Recte enim in Conciliis Africano can. 70., & Milevitano can. 12. stabilitum est, ut non solum in Canone, sed etiam in tota actione Missæ nullæ dicantur preces, nisi quæ prius fuerint Sapientium, aut Concilii judicio approbatæ. Et in Eboracensi tempore Cœlestini III. coacto sancitum est, ut quoniam Secretum Missæ, id est, Canon, seu Mysterium, aut Missæ pars sacratior, & abstrusior, interdum invenitur aut falsitate Scriptorum, aut librorum vetustate corruptum, Archidiaconorum sollicitudo provideat, ut in singulis Ecclesiis ad verum, & probatum exemplar Canon Missæ cum omni diligentia corrigatur. Quam diligentiam in suis quisque temporibus ante, & post modum adhibuerunt Romani Pontifices Gelasius, Gregorius I., Gregorius VII., & novissime Pius V., Clem. VIII., & Urbanus VIII. Hi tamen non novo Canoni condendo, sed veteri in pristinam puritatem restituendo, & ea, quæ irrepserant, emendando incubuerunt, ut Greg. Magnus de semet fatetur. (*ep.64. lib.7.*) Græci, & Orientales diversas Liturgias habent, sed quas non cuivis ad libitum mutare licet. In Occidente quoque diversæ Liturgiæ sunt, sed legitima authoritate stabilitæ, non quod Lutherus, (*lib. de abrogan. Missa.*) & Kemnitius (*in 2. p. exam. p.* 825.) vellent ad privatorum Sacerdotum arbitrium mutabiles. Nam quid absurdius? Ecquid ergo? Erit apud cultas Nationes certus ordo legibus præscriptus, quibusque actionibus, & verbis determinatum, ut agri possesio acquiratur, ut servi manumittantur, ut virgo Vestalis capiatur, ut bellum indicatur, ut fœdera ineantur, ut testamenta, transactiones, & hujusmodi civiles actus celebrentur, ut Magistratus creentur, & harum rerum vilissimarum non solum institutores laudantur, sed etiam otiosissimi investigatores; & in sacrificio Christianæ Religionis augustissimo actiones, ceræmoniæ, preces, ac formulæ ad cujusvis etiam insipientissimi relinquentur arbitrium? Multa habeo, inquit Lutherus, quæ pro sano sensu Canonis dicere possem, sicut alias feci, tamen nunc non eum dignabor tali honore. Nimirum, magnus honor esset Canoni ab excucullato Monacho, & uxorato Presbytero laudari. Et quamvis alias id fecisset, & per annos quindecim Missam, ut ipse inquit, devote celebrasset, id fecit, quia

non-

nondum cum Dæmone disputaverat, cujus argumentis, ut ipse scribit, convictus fuit, & ad Missam abrogandam compulsus. Sed non ego Lutherum, eorum, qui scripta ejus legerint, patientiam, eorum, qui ipsum impugnaverunt, moderationem, eorum, qui ipsi adhæserunt, absurditatem, atque stultissimam insaniam demiror.

38. Quid Kemnitius? Fumi sunt, inquit, & nugæ, quæ Catholici de Canonis antiquitate fabulantur. Papæ. Tu ipse (*in Exam. Conc. Trid.*) pag. 826., 827., 828. dixeras, Canonem absolutum fuisse sexto sæculo: authorem Canonis vixisse circa ann. 590. tempore Greg. I. Canonem fuisse, ut nunc est, perfectum. Scribis sæculo decimo sexto, id est, a Canone condito mille post annos, & falso ab Tridentino dictum putas Canonem multis ante sæculis institutum? Et has nugas, & fumos vocas? Quid, quod Gregorius non Canonem absolvit, jam enim absolutus erat. Ipse enim loco supra adducto se restituisse, asserit, in Missa antiquas consuetudines, & sustulisse quædam, quæ postea irrepserant: ergo tempore Gregorii jam erat antiqua consuetudo, ritusque, & forma celebrandi, in quam decursu temporis nonnulla irrepserant emendatione digna: ergo ritus ille, seu Canon multo est sexto sæculo, sive Gregorio antiquior. Adhuc Vigilius Papa antiquior est Gregorio; at Vigilius ritum celebrandi nos, inquit, (*ep. ad Eucher.*) ab Apostolica traditione suscepimus. Leo antiquior est Vigilio; at Leo, dicitur, ea verba: sanctum sacrificium immaculatam hostiam, Canoni addidisse, quod author ejus vitæ, & Walfridus tradunt: (*cap. 22. de reb. Eccl.*) ergo antiquior Leone Canon est. Leone antiquior est Augustinus; at Aug. ejus orationis, in qua Sancti invocantur, & ejus, in qua pro defunctis oratur, meminit tract. 84. in Joannem. Augustino antiquior est Ambrosius; at hic in 4. Sacram. (*cap. 5. & 6.*) meminit ejus orationis, quæ incipit: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus, & illius: Qui pridie quam pateretur, & illius: Unde & memores, & illius: Supra quæ propitio &c. Ambrosio antiquior est author qqu. Veter., & nov. Testam. quæ habentur inter opera Aug. Ait, enim, se scribere trecentis annis post elapsas Danielis hebdomadas, id est, post Christi mortem, sæculo tertio. At hic ait, Melchisedechum fuisse quidem Sacerdotem, sed non summum, ut in oblatione, inquit, præsumunt Antistites. Sed qui Antistites, nisi Christiani? In qua oblatione, nisi in actione Missæ, in oratione, quæ incipit Supra quæ propitio, ubi habetur: Quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech? ergo illius oblationis Canon, & forma tertio sæculo multo est antiquior. Non enim recens inventa erat, quando ille author scripsit, sed jam communis, vulgata, & publica, longoque usu recepta in Ecclesiis, quod esse non poterat, nisi secundo saltem sæculo instituta fuisset. At se-

cun-

cundo sæculo vivebant adhuc, qui vivos Apostolicos Clementem, I-
gnatium, Dionysium, Polycarpum audierant, & a quibus Apostolorum præcepta & gesta didicerant. Rectissime ergo dixit Vigilius. (*d. Epist. I. cap. 5.*) celebrandi ritum ex Apostolica traditione descendere. Rectissime dixit Tridentinum. (*Sess. 22. cap. 4.*) Canonem multis ante sæculis institutum, quum dicere potuisset ab ipsis Ecclesiæ primordiis natum ex Christi verbis, ex Apostolorum traditionibus, & ex nonnullis, sed paucis, sed notissimis Sanctorum Pontificum Leonis, & Gregorii additionibus. Nec enim post Gregorium ulla vel levissima additio, aut substractio Canoni facta est.

39. Præterea Canonis nostri antiquitatem quatuor conjecturis prudentissimis fulcit Bellarminus. (*lib. 2. de Miss. cap. 18.*) Nam I. in toto Canone nullus Sanctorum invocatur, aut nominatur, excepta B. Maria Virgine, nisi Martyr, quod notavit dudum Augustinus in lib. de Sancta Virginitat. (*c. 45.*) Cujus rei nulla esse potest causa, ut scribit Inno. III. in 3. de Myst. Missæ, (*c. 10.*) nisi quia Canon. eo tempore conditus est, quo non cœperant in Ecclesia Sancti Confessores publice coli; sed jam sæculo octavo Sancti Confessores publice colebantur, ut patet ex Conc. Moguntino, (*can. 36.*) ubi in festorum Catalogo numerantur dies SS. Martini, & Remigii: igitur ante octavum saltem sæculum Canon est compositus. II. Nam antiqui Scriptores summa diligentia annotarunt, si quid Sancti Pontifices canoni vel levissimum addiderunt, (nam detraxisse quicquam nemo dicitur) ut Leo verba illa: Sanctum sacrificium &c. Gregorius illa: Diesque nostros &c. Ex quo certissime apparet, Canonem tempore horum Pontificum antiquissimum fuisse, & summo in honore, ac veneratione habitum. III. Ex eodem Capite. Nam qui adeo diligenter vel levissimas additiones annotarunt, multo magis Pontificem, aut Sanctorum aliquem, vel aliquos Canonis totius institutores adnotassent: ergo quum Canonis institutio nulli Pontifici, nulli Concilio certe tribui possit, & tot sæculis ubique in Occidentali Ecclesia inveniatur receptus, prudentissime creditur juxta Augustini regulam, ab initio Ecclesiæ ipsis Apostolis tradentibus institutus. Quarta conjectura est. Nam in oratione Canonis prima, §. Communicantes, ubi numerantur Apostoli, non servatur ordo, qui habetur in Evangeliis per Hieronymum emendatis, quod signum est, eam orationem fuisse compositam ante Hieronymi correctionem, atque adeo Canonem Hieronymi tempore antiquum jam fuisse, in quo nihil Damasus censuit immutandum, quamvis ille Hieronymo Evangelia ad Græcam fidem reddendi author fuerit. Sed quid adversus Protestantes argumentemur, qui nostri Canonis antiquitatem plusquam mille annorum certissimam ex ipsorum confessione nugas, & fumos vocant, quum ipsi in suæ Cœnæ celebratio-

ne

ne formam, seu Canonem sequantur vix ante annos ducentos ab Luthero, & similibus præscriptum.

40. Sed obstare videntur Gregorii dicta duo, quæ opponit Kemnitius, & diluit jam optime Bellarminus, (*loc. cit.*) sed ea hic adjicimus, quoniam ex eorum explicatione magna dictis omnibus lux accedet. Ait enim Gregorius in citat. Ep. Apostolos ad verba Consecrationis solam Dominicam orationem adhibuisse. Item ait: (*lib.* 9. *ep.* 12.) Canonis authorem fuisse quemdam Scholasticum. Ergo neque Apostoli, nec Sancti Pontifices primorum temporum Canonem composuerunt, aut eum ex Apostolica traditione suscepimus. Sed hæc vana sunt. Nam I. nos non dicimus, Canonem compositum fuisse ab Apostolis. Quî enim Apostoli vel se ipsos in Canone nominassent, vel Martyres, qui longe post obierunt, nominare potuissent? Dicimus vero, Canonem ex Apostolica traditione descendere, quia ipsi docuerunt vinum cum aqua miscendum, quibus verbis consecrandum, Dominicam orationem dicendam, panem frangendum, sumendum, distribuendum, populum salutandum, orandum pro Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt positi, orandum pro vivis, orandum pro defunctis, Sanctos invocandos. Fieri autem non potest, ut hæc omnia agerentur sine certa verborum sensibilium forma, & mysticis precibus. Paulus (1. *Corinth.* 14.) jubet fieri in Ecclesia orationes, & obsecrationes. Quando autem magis opportune, quam sacrificii tempore? Vult item, ut qui gerit vicem Idiotæ, respondeat Amen. Quomodo autem respondebit, si nihil conceptis, & clare prolatis verbis dicatur? Has igitur mysticas preces, qui Jacobum dicentem audierant, aut illis similes, scripto tradiderunt ad posteriorum instructionem, & prodiit Liturgia, quæ Jacobo tribuitur, & qui Marcum audierant, & Liturgia prodiit, quæ tribuitur Marco, & qui Petrum audierant, aut Clementem ab ipso eruditum, & prodiit Liturgia Clementis, & sic de cæteris. Deinde vero ne tanta esset Liturgiarum diversitas, atque ut in re sacratissima idem esset omnium sensus, ac tenor, Chrysostomus in Græcia ex antiquis Liturgiis, quod & Basilius antea, breviorem unam composuit. Idem inter Latinos ante Ambrosium, immo ante Cyprianum factum fuisse, colligimus. Nam Cyprianus Præfationis meminit, (*lib. de exposit. orat. Domin.*) & Ambrosius (4. *de Sacram. cap.* 5. *&* 6.) totius fere Canonis. Quis autem hujus Compilationis author fuerit, incertum est. Quod ergo ait primo Gregorius de sola Oratione Dominica, intelligendum est vel ita ut ex iis, quas nunc habemus preces, nullam aliam ad verbum adhibuerint Apostoli præter formam Consecrationis, & orationem Dominicam. Vel ut in angustiis, & pressuris carcerum, & cryptarum subterraneis, ut mysterium occultarent, vix orationem Dominicam

ad

ad verba consecrationis addiderint. Vel nihil aliud ex præcepto Domini addidisse quam orationem Dominicam, quod ait Hieronymus in 3. adversus Pelagianos, ex quo fortasse id sumpsit Gregorius. Sed Hieronymus ait, Apostolos ex Domini præcepto ad celebrationem Eucharistiæ adhibuisse orationem Dominicam, sed solam illam adhibuisse non dicit. Quod autem secundo ait Gregorius, Canonem compositum fuisse ab quodam Scholastico, quid contra nos? Nam nomen Scholastici apud Patres nihil aliud sonat nisi hominem in Scholis innutritum, presse, argute, dilucide, atque apposite dicere assuetum. Unde apud Augustinum (*tr. 7. in Joan.*) qui habent causam, & Imperatori supplicare volunt, quærunt Scholasticum, qui sibi preces componat. Sic Alcuinus Scholasticus dicitur ab Honorio, (*in catal. Scr.*) sic Prosper a Gennadio, (*in catal.*) sic Serapion ab Hieronymo, (*in catal.*) sic Mathæus quidam ab ipso Gregorio. (*lib. 10. ep. 2.*) In quo sensu Salvianus: (*in pr. 1. de gubern.*) Id faciunt, ut Scholastici, ac diserti habeantur. Quod si contendat, ut contendit Kemnitius, nomen Scholastici non appellativum esse, sed proprium viri alicujus, non pugnabimus, immo magnas Gregorio habebimus gratias, qui nomen authoris nobis tradiderit, quem scire avebant omnes Latini, a quo brevissimum quidem opus, sed tanta sensuum ubertate, verborum proprietate, & Latini sermonis elegantia, tam ad rem congrue, pie, reverenter contexuerit, ut nulla aut Græcorum, aut Armenorum, aut Maronitarum, aut Mozarabum, aut Ambrosiana, aut Gallicana antiqua purior, brevior, dilucidior, elegantior, mysterio dignior, fidei congruentior, pietati accommodatior inveniatur.

41. Porro virum hunc sive doctrina, sive nomine Scholasticum Romæ Canonem composuisse apparet, quia nullus ibi commemoratur Martyr, qui Romæ, aut in Romano Patriarchatu passus non fuerit. Nam Cosmas, & Damianus, qui ibi nominantur, non illi sunt fratres Arabes, qui in Ægæa civitate Achaiæ passi sunt, sed alii Romani, quorum festum in Menæis Græcorum habetur I. Julii. Hæc obiter ex Bona. (*lib. 2. rer. liturg. cap. 11. & 12.*) Quo autem tempore Scholasticus ille vixerit, incertum est. Kemnitius contendit, Gregorio fuisse coævum, ut Canonem sexto sæculo compositum esse probet. Verum aut ille Canonem non composuit, quod scripsit Gregorius, aut ante Gregorium longe vixit. Nam Canonis partes multæ habentur apud Scriptores Gregorio antiquiores, & Canon fere totus ad verbum apud Ambrosium, ut supra ostensum est: ergo author Canonis ante Ambrosium vixit, id est, ante Gregorium annos plusquam ducentos. Quod si tempore Gregorii Scholasticus ille vixit, non Canonis author, sed reformator, atque emendator fuit, vel aliquid Canoni addidit, atque eo modo dicitur Canonem composuisse, sicut dicitur

nunc Missale Pii V., quod Pius V. reformavit scilicet, non condidit.

42. Jam vero Canon totus novem precationibus absolvitur, quarum prima incipit: Te igitur, cujus meminit Ambrosius, (*loc. cit.*) & Optatus Milevitanus, (2. *cont. Parmen.*) & Vigilius Papa in ep. ad Justinianum Aug. inquiens: omnes Sacerdotes, antiqua in offerendo traditione suscepimus, ut Catholicam fidem adjuvare, regere Dominus, & custodire toto orbe dignetur. Hujus orationis authorem verbosum, & parum spiritualem vocat Lutherus, quod ter eandem rem dixerit: hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Quasi vero non in tota Scriptura divina innumera hujusmodi reperiantur: (*Ps.* 62.) Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus... (*Ps.* 117.) Dextera Domini exaltavit me, dextera Domini &c. quæ repetitiones non rei, sed affectus repetitionem, emphasim, & vehementiam exprimunt, quod ab Rhetore quopiam discere potuit. Secundo carpit panem, & vinum dici sacrificia illibata. Sed sacrificium dicitur quoque ipsa sacrificii materia, etiam remota, ut apud Cyprianum (*lib. de oper. & eleemos.*) sine sacrificio in Dominicum venis. Id est, sine pane, & vino, quod ad sacrificium offeras, sed tædet in his immorari, quæ Lutherus, non ex Catholici sensus ignoratione, sed ex malignitate opponit ad rudes decipiendos, præcipue quum jam Bellarminus (*lib. cit.*) hæc, & reliqua omnia argumenta his nimirum similia abunde diluerit.

43. Secunda Oratio est: Hanc igitur oblationem, quæ nonnihil immutatur in diebus Paschæ, & Pentecostes pro baptismo solenni in his diebus fieri consueto, quum dicitur: pro his quoque quos regenerare dignatus es &c. Ex libro antiquo Sacramentorum Reginæ Sveciæ alias hujusmodi variationes affert Bona, (*loc. cit.*) quibus tandem abolitis hæc sola investigium antiqui ritus permanet. Unde nec in Canone adnotatur.

44. Tertia Oratio incipit ab illis verbis: Quam oblationem, Tu Deus &c. ubi & verba Consecrationis interseruntur, interposito *Qui pridie*, ut non in propria, sed in persona Christi Sacerdos loquatur. Tria autem hic dubia sunt. I. circa illa verba: *Elevatis oculis in cælum*, quod Evangelistæ non dicunt II. circa illud: *Æterni*, quod Christus non dixit. III. circa illud: *Mysterium fidei*, quod in Scriptura non habetur. Sed horum primum non ponitur tanquam ab Evangelista aliquo dictum, sed tanquam actio naturalis, quas creditur usus Christus, quum minora facturus eadem usus fuisset, ut supra dictum est. Verbulum autem *Æterni* nihil addit supra novum Testamentum, quod non sicut vetus, per aliquod perfectius antiquandum erat. Verba autem: *Mysterium fidei*, non ibi ponuntur tanquam verba

ba Christi, nec tanquam textus Evangelici pars, sed tanquam paren-
thesis quædam, & inter commata legenda. Harum duarum oratio-
num ad verbum meminit Ambrosius, (*locis cit.*) sicut & sequentis,
quæ incipit.

45. Unde & memores &c. quæ etiam similis habetur apud Græcos,
& in omnibus Latinis Liturgiis. Quum autem in ea dicitur *Sicuti
accepta habere* &c. non sacrificia antiqua cum sacrificio Christi com-
paramus, sed fidem, ac devotionem nostram in offerendo ita Deo
acceptam petimus esse, sicut fidem, ac devotionem Abelis, & Abra-
hami &c. Dicitur autem Melchisedech summus Sacerdos, quia nul-
lam fuisse eo tempore Hierarchiam Ministrorum novimus, ut illum
alteri inferiorem fuisse, conjicere possimus, ac deinde propter sacrifi-
cii excellentiam ex cujus ordine Christus Sacerdos dictus est. Ex quo
patet solutio ad argumentum supra tactum ab authore quæstionum
Vet. & Nov. Testamenti. Quod autem dicitur: Jube hæc perferri &c.
supra (*prop.* 5. *huj.*) explicatum est. Non enim in cœlum deferuntur
ab Angelis Eleemosynæ piorum, & orationes justorum, nisi quatenus
fides, ac devotio benefacientium, & orantium ad conspectum Dei
ambitioso Angelorum famulatu, ac desiderio pervehuntur, quod est
apud Hilarium. (*comm. in Math. can.* 28.)

46. Quinta Oratio est: Memento Domine, ubi pro defunctis ora-
tur, cujus meminit Augustinus, (*Serm.* 32. *de Verb. Apost.*) & author
libri de Ecclesiast. Hierarch. (*cap.* 7. *part.* 3.) De re autem ipsa, sive
de ritu orandi pro mortuis satis supra (*prop.* 5. *huj.*) dictum est.
Sicut autem in prima oratione recitabantur antiquitus nomina vi-
vorum ex Dyptychis, seu tabulis, ita hic recitabantur nomina mor-
tuorum, de quo ritu Cyprianus: (*ep.* 37.) Dies eorum, quibus ex-
cedunt, annotate, ut commemorationes eorum celebrare possimus.

47. Sexta Oratio incipit: Nobis quoque peccatoribus, cujus verba
pulcherima esse, & hanc absque dubio fuisse formulam veterem
cum commemorationis Sanctorum fatetur Kemnitius, irridet Luthe-
rus. In hac oratione dubitatur, cur Joannes repetatur, qui jam fuerat
in prima oratione nominatus? Cur Stephanus Mathiæ præpositus? Cur
Mathias, & Barnabas non supra cum cæteris Apostolis, sed nunc
seorsim nominentur? Ad primum horum respondet Walfridus, (*cap.*
22. 2. *de Miss. cap.* 26. *cap.* 13.) & consentiunt plures cum Bellarmi-
no, & Bona, Joannem hic nominatum non esse Evangelistam, sed Ba-
ptistam, qui & Martyr fuit, & quodammodo Apostolus, nam mis-
sus a Deo ad prædicandam pœnitentiam, & Domino viam præpa-
randam. Ad secundum dicitur, hic non dignitatis personarum, sed
antiquitatis passionum rationem haberi; prius autem Joannes, quam
Stephanus, & prius hic, quam Mathias passus est. Ad tertium dici-

tur, ibi solos nominatos Apostolos primi ordinis, sive ab ipso Christo immediate, & per semetipsum electos. Ne tamen secundi Ordinis Apostoli innominati remanerent, hic datum eis locum, sicut datum fœminis Martyribus, quarum mentio in 1. oratione facta non fuerat.

48. Septima oratio ponitur ab aliquibus illa: Per quem hæc omnia, Domine &c., quam carpit Kemnitius, quasi oremus per nos Christum creari, sanctificari &c. Verum difficultatem, ac laborem fingunt isti homines in præcepto, ac ritu, seu modo precandi planissimo tum malignitate, & carpendi κακονπα, tum ex veterum rituum ignorantia. Dicimus enim hæc omnia, nimirum, panem, vinum, aquam, quæ sunt Sacramenti materia, & in quibus omnia, quæ sunt ad victum hominis necessaria significantur, adversus Manichæos, & Marcionitas, semper bona a Deo per Christum creari: sanctificari, quum ad cultum Dei, & Sacramenti materiam per oblationem deputantur: vivificari, quum per consecrationem panis fit vitæ, potus aquæ sapientiæ salutaris, & vinum geminans Virgines: benedici, quum per ipsa omni benedictione in cœlestibus replemur ex efficacia Crucis Christi in Sacramenta derivata. Denique præstari nobis, quum per mysteriorum participationem cruenti sacrificii virtus nobis applicatur. Ita ex Alcuino, & Hugone Bellarminus. (*cap.* 26.) Dixi etiam ex ignoratione veteris ritus. Sciendum est namque, antiquitus fideles ad Missam convenientes, non solum panem, vinumque, sed & multa alia ad Altare portare solitos, ut agnos, ova, caseum, mel, & lac, & oleum, & spicas frumenti, & fabam, & uvas, & omnes fructuum terræ primitias, quæ ut patet ex antiquis Missalibus intra Canonem ab Sacerdote benedicebantur propria benedictione a verbis consecrationis distincta, quod in rusticanis aliquibus Parochiis adhuc viget. Unde in statutis quibusdam Monachorum Cluniacensium habetur, ut custos Ecclesiæ, quando uvæ maturescunt, faciat eas in Ecclesiam deferri, ut inter Canonem ad horam competentem eas Sacerdos benedicat. Benedicebantur autem post illa verba: veniæ quæsumus largitor admitte per Christum Dominum nostrum, sub his, aut similibus formulis in libro Sacramentorum Reginæ Sveciæ: Benedic, Domine, & has fruges novas fabæ, quas tu .... ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini Nostri JESU Christi, per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c. & in plerisque Missalibus Vaticanæ, & Barberinæ Bibliothecæ: Benedic, Domine, & has creaturas fontis, lactis & mellis, & pota famulos tuos &c. in Christo JESU Domino nostro, per quem hæc omnia semper bona creas &c. Ex quibus patet, non corpus, & sanguinem Christi, sed omnia Dei dona ad humanum victum

V & per panem, & vinum significata, hic comprehen-
ctum necessaria,
di, ac benedici.

49. Octava Oratio est Dominicalis, de qua dictum est, (lib. 6. prop. 12.) quum de divina Psalmodia, & quum de actibus Religionis. (lib. 12. prop. 9.) Usum autem eam in Missa recitandi antiquissimum esse, & in omni Ecclesia receptum, patet ex Ambrosio, (5. de Sacr. cap. 4.) Hieronymo, (3. cont. Pel.) Augustino ep. 59., Gregorio, (lib. 7. Ep. 63.) Cyrillo Hieros. Catec. 5. Mistag. & ex omnibus Græcis, Latinisque Liturgiis, tum ex Conc. Tolet. IV. ubi reprehenditur abusus quarumdam Hispaniæ Ecclesiarum, ubi solum diebus Dominicis dicebatur. Ante Gregorium post sumptionem dicebatur; ab eo statutum, ut Domini corpore præsente, post Canonem dicatur. Ex quo Gregorii dicto (Ep. cit.) patet, Canonem non dici, nisi sex illas Orationes ante Dominicam. Dixi *sex*, nam illa, quæ ab aliquibus ponitur septima: Per quem hæc omnia &c. non est diversa oratio, sed continuatio præcedentis, in qua propterea post illa verba per Christum Dominum nostrum, non dicitur Amen. Orationi Dominicæ præponitur quædam Præfatiuncula: Præceptis salutaribus moniti &c. cui similem habent Græci, Maronitæ, & Mozarabes. Ad hanc alludit certe Hieronymus loc. nuper citato dicens: Ipse docuit Apostolos, ut in corporis sui sacrificio credentes audeant dicere; Pater noster &c. Et Chromatius dicens in tract. de Beatit. Deum nobis indulsisse, ut eum vocare Patrem auderemus.

50. Nona Oratio, si ita dicenda est, & non potius postremæ petitionis appendix, ita habetur: Libera nos quæsumus, Domine, &c. Porro quum in Missa Romana extra Sanctos in Canone expressos, alii nominari non debeant, tamen post Pater noster, inquit Micrologus, (cap. 23.) in illa oratione: Libera nos, quorumlibet Sanctorum nomina internumerare possumus. Hinc Ambrosiani addunt. Ambrosium, & in vetere Missali Vaticano hæc rubrica apponitur: Hic nominet quotquot Sanctos voluerit. Sed hic mos obsolevit. Nominantur autem præter Sanctam Dei Genitricem, tres primi Apostoli, Petrus quidem quia primus dignitate, Andreas quia primus vocatione, Paulus, quia singulari modo a Christo jam glorificato electus.

51. Clausulam hujus orationis: Per eumdem D. N. &c. dicens Sacerdos, hostiam frangit, & particulam decerpens, in Calicem immittit præsalutato populo per illa verba. Pax Domini sit semper &c. Hæc commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini Nostri JESU Christi (quæ significat unionem corporis, & sanguinis in resurrectione ad vitam immortalem) fiat accipientibus nobis ad vitam æternam, ut sicut per separationem corporis a sanguine significata est mors, quæ fuit causa nostræ redemptionis, ita per reunionem san-

gui-

guinis, & Corporis significetur ejus Resurrectio, quæ est causa nostræ resurrectionis, & glorificationis, seu vitæ æternæ. Amalarius, (*lib.* 3. *cap.* 31.) & Innocentius (*lib.* 5. *cap.* 2.) omittunt verbum *Consecratio*, & ita legunt: fiat commixtio corporis. Sensus autem est idem, non ut fiat consecratio, quod Lutherus opponit, sed ut fiat in vitam æternam, aut ut est in Liturgia Mozarabum, prosit sumentibus in vitam æternam.

52. Post hæc repetuntur ter verba Joannis Baptistæ, & dicuntur tres orationes, quas inquit Micrologus, (*cap.* 18.) non antiqui Canonis authoritate, sed piorum, & religiosorum consuetudine inductas fuisse. Verba Agnus Dei cum adjecta prece Miserere nobis, ut ter dicerentur, Sergius I. instituit, teste Anastasio in ejus vita; sed postmodum occasione schismatum, ad ultimum dici cœpit, dona nobis pacem, teste Innocentio in 6. de Myster., (*cap.* 6.) quod ubique receptum est, excepta Lateranensi Basilica, ubi mos antiquus servatur. Post trinam illam orationem, ter dictis verbis Centurionis: Domine non sum dignus Sacerdos ait: Corpus D. N. J. C. &c., quæ formula ab Gregorii tempore in usu erat, ut supra dictum est. Similiter dicit ad Calicem, præmissis verbis Quid retribuam Domino &c. ex psalmo (115.) desumptis. Deinde Calicem abluit dicens: Quod ore &c., & iterum manus, & Calicem dicens: Corpus tuum Domine &c. in quibus nihil occurrit notandum, unde & illas duas orationes in formula Missæ suæ conservavit Lutherus. Sequitur ex Psalmis, aut sacris libris, Communio, quæ inter communionem populi canebatur, tum salutato populo, Collecta, mox iterum salutato, dimissio per ea verba Ite, Missa est, quæ antea in fine Missæ Cathecumenorum dicebatur. Nunc semper dicitur, exceptis Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, ac Missis Defunctorum ad luctum, & mærorem significandum. Videtur enim, ait Bellarminus, (*cap.* 27.) nescio quid lugubre, ac mæstum præseferre, quod, non publica denuntiatione præmissa, unusquisque in silentio seorsim discedit. Discessurum populum Sacerdos solenniter benedicit, quod omittitur in Missis Defunctorum. Benedictioni præmittitur oratio brevis: Placeat tibi &c. In Concilio Agathens. sub Symmacho prohibetur plebs ab Ecclesia exire ante benedictionem Sacerdotis. Idemque habetur ex Conc. Aurelianens. in Capitulari Caroli Magni lib. 1. cap. 71. Unde quum in eod. Conc. Agath. (*cap.* 44.) Presbyteri prohibentur benedicere, intelligendum est, præsente Episcopo, aut non de benedictione in fine Missæ fieri solita, de quo late rituum Expositores. Denique quum ante ex consuetudine fieret, nunc ex Pii V. constitutione in fine Missæ legitur Initium Evangelii secundum Joannem, nisi aliud assignetur.

53. Reliquum est, ut de aliis ritibus, quibus in Missa utimur,

sed

sed non ita ut Missæ proprii, sed veluti communes aliarum sacrarum functionum sunt, breviter dicamus. Prima est aspersio aquæ benedictæ, quæ in aliis multis sacris ceræmoniis adhibetur, & in Dominicis per annum ante Missam solemnem. Et primo quidem posse aquam, & quamcumque Dei creaturam benedici, patet exemplo Christi, qui panes multiplicaturus, eos benedixit Math. 14. & Lucæ 9., & panem in Eucharistiam, sive in corpus suum conversurus, item benedixit. Rationem autem attulit Paulus dicens: (1. *ad Tim.* 4.) Omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Aqua igitur per verbum Dei, & orationem sanctificari, & benedici potest. Deinde hujusmodi benedictionis antiquissimum, & sanctissimum esse in Ecclesia usum ex Apostolica traditione derivatum, patet ex Clemente Apostolorum discipulo in 8. Constitut. (*cap.* 35.) Ex Dionysio, sive authore lib. de Eccles. Hierar. (*cap. de bapt.*) ex Alex. I. (*ep.* 1.) sexto post Petrum Pontifice, ex Cyrillo Cathech. 3. ex Cypriano ajente: (*lib.* 1. *ep.* 12.) Oportet mundari, & sanctificari prius aquam a Sacerdote. Ambrosius in libr. de his, qui initiantur, (*c.* 3.) dicit, aquam nullum habere usum in Ecclesia, nisi signo Crucis, & oratione benedictam. Et in 4. de Sacram. (*cap.* 5.) dicit, aquam debere consecrari. Basilius in lib. de Sp. Sancto (*cap.* 27.) hanc consecrationem esse dicit Apostolicam traditionem. Meminerunt item aquæ benedictæ Epiphanius (*hær.* 30.) Theodoretus in 3. Historiæ Eccles. (*cap.* 21.) Augustinus in 6. contra Julian. (*cap.* 8.) & aliis in locis, tum Conc. Nannatense canon. 4. Non ergo usum benedicendæ aquæ Alex. I. instituisse dicimus, quod Calvinus objicit, sed solum dicimus, Alexandrum præcepisse, ut in Ecclesia semper asservaretur, & etiam in cubiculis adhiberetur ad fugandos Dæmones. Habebant quidem & suam Lustralem aquam Pagani antiquitus, sicut & sacras ædes, & altaria, & Sacerdotes, & sacrificia. Numquid ideo dicemus, ritus nostros a Paganis fuisse institutos?

54. Secunda communis ceræmonia, sive qua non solum in sacrificio, sed in aliis etiam sacris functionibus utimur, est thurificatio, qua non Christiani solum, sed etiam Pagani velut natura ipsa dictante, ut ex Virg. Horatio, & aliis eorum Scriptoribus patet, sed etiam Hebræi ex Dei institutione utebantur. Inter Christianos autem antiquissimus id esse patet ex can. 4. inter Apostolicos, ubi præscribitur Thymiama, sive incensum offerendum esse ad Altare, quum sacra celebratur oblatio. Ejusdem ritus meminit Author libri de Eccles. Hierarch. (*cap.* 3.) tum antiqua Liturgia, quæ Jacobi dicitur, & illa Chrysostomi, cum antiqua Latina Illyrici. Damasus quoque in vita Soteris, & Silvestri inter vasa Ecclesiæ numerat thuribula, & thymia-

miamatheria, sive acerras, tum Ambrosius in 1. Lucæ: atque utinam nobis adolentibus altaria, adsit Angelus &c. Thurificatione autem non utimur, inquit D. Thomas, (3. *p. q.* 83. *art.* 5.) quasi ceræmoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Pertinet autem ad duo. Primo quidem ad reverentiam Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid vel ex homiditate loci, vel ex corporum concursu pravi odoris fuerit. Secundo ad mysticam significationem, seu repræsentationem effectus gratiæ, qua Christus repletus fuit, & a Christo derivatur ad fideles officio Ministrorum juxta illud 2. ad Corinth. 2.: Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Et ideo undique thurificato Altari, per quod Christus significatur, thurificantur omnes per ordinem. Significatur etiam per insensum orationes, & pia vota, & odor bonæ vitæ Sanctorum juxta illud: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, cujus odor ascendit in conspectu Domini de manu Angeli. Unde dicitur in sacrificio Noè, odoratus Dominus odorem suavitatis, & Angeli dicuntur in Apocalyps. habere phialas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

55. Tertia ceræmonia omnium communissima, & antiquissima est Crucesignatio, quam ex traditione Apostolica descendere, scribit Basilius in lib. de Sp. Sancto. (*cap.* 27.) Porro Liturgiæ antiquæ Græcæ quidem Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Maronitarum, Armenorum, Mozarabum hujusmodi Crucesignationibus plenæ sunt. Chrysostomus quoque (*hom.* 55. *in Math.*) & Augustinus (*tract.* 118. *in Joann.*) dicunt, omnia Sacramenta, & ipsum divinum sacrificium signo Crucis perfici. Signat Cruce Sacerdos se ipsum in fidei protestationem; signat librum, altare, res offerendas, & oblatas, ac denique populum, dum ei benedicit, quoniam ut D. Thomas loquitur, (*loc. cit. ad* 3.) tam Consecratio Sacramenti, quam virtus, efficacia, & acceptatio sacrificii, tum fructus ipsius, & quicquid in sacrificio geritur, aut significatur, procedit, ac derivatur ex morte, & passione, sive Cruce Christi, unde ubicumque aliquid horum verbis, aut factis significatur, aut agitur, aut petitur, Sacerdos Crucesignatione utitur. Sed illud movet quosdam imperitos, quod panem, & vinum jam consecratum, ubi præsens jam Christus est, sæpius benedicimus, quod absurdum videtur. Nam Christus ibi præsens multo dignior est, ac major Sacerdote; sine contradictione autem, inquit Paulus, (*ad Heb.* 7.) minor a majori benedicitur, non vero contra. Opposuit sibi dudum id ipsum D. Thomas. (*l. c. ad* 4.) Respondet autem quod Sacerdos post consecrationem non utitur Crucesignatione ad benedicendum Christo, vel ad consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem Crucis, & modum passionis Christi, quæ per sacrificium incruentum repræsentatur, & per quam tota ejus efficacia ad altaris sacrificium de-

derivatur. Quod si ad omnem progressum, & motum, ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensam, ad lavacrum, ad cubile, & quæcumque denique nos conversatio exercet, Crucis signaculo frontem terimus, quod ait Tertullianus: (*de Cor. cap.* 3.) Si edentes, & bibentes, & stantes, & cubantes, & ambulantes, & sedentes nos Cruce signamus, quod est apud Cyrillum: (*Catech.* 4.) Si ad omnem actum, ad omnem incessum manu pingimus Crucem, quod scribit ad Eustochium Hieronymus, (*ep.* 2.) cur id in actione mysterii crebrius, & attentius non faciamus?

56. Quarta denique communis ceræmonia est osculum. Osculatur enim Sacerdos, & Altare, & librum, & Ministrum suum, & in persona ejus omnem Clerum, & populum, illa quidem in signum reverentiæ, illum autem in signum pacis, & charitatis. Habetur hic ritus in omnibus Liturgiis, ejusque meminerunt Justinus M. in 2. Apol. Tertullianus in lib. de orat. cap. ult. Cyrillus Catech. 5. Mystag. & Chrysostomus homil. 77. in Joann., quod & receptissimum, & antiquissimum esse, demonstrat. Nihil ergo in tota actione Mysterii agitur, aut dicitur, nisi antiquissimum, receptissimum., veritati, pietati, & honestati consonum, quod erat propositum. Vide infra. Lib. XV. prop. 3.

Doctrina hucusque tradita quatenus ad dogma pertinet, his Conc. Tridentini decretis continetur Sess. 13.

Canon. I. Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine D. N. J. C. negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit.

Can. III. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ snb unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

SESS. 22.

Canon. I. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam comme-

morationem Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER DECIMUSQUINTUS.

De Sacramentis in genere, De Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.

PRÆFATIO.

DE hoc argumento D. Thom. 3. parte a quæst. 60., & ibi Suarezius, atque ejus Expositores. Bellarminus tom. 2. Controv. Tournelius tom. 6. Antoinius tom. 2. & generatim Theologi in 4. Sententiar.

PROPOSITIO I.

1. SAcramentum est signum sensibile ex Dei institutione sanctitatem, & justitiam significans, & efficiens. Ita Catechismus Concilii Tridentini ex ipsomet Concilio sess. 13, (*can.* 4.) Et quidem Sacramentum a Sacro dictum est apud Varronem. (*lib.* 4. *de L. L.*) Unde & Pecunia apud Pontificem ab litigantibus deposita Sacramentum dicebatur, id est, res sacra, sancta, inviolabilis, venerabilis. Hinc & militare juramentum, immo juramentum quodcumque Sacramentum appellari solitum est, ut apud Horatium: (2. *od.* 17.) Non ego perfidum dixi Sacramentum. Et apud Ciceronem: (*de orator. cap.* 10.) quibuscum tibi justo Sacramento contendere non licet. Præter hanc autem communem apud Latinos significationem sumitur etiam hoc nomen in Scripturis sanctis pro re sacra, secreta, abscondita. Unde apud Danielem (*c.* 2.) dicitur mysterium Concilii sui, & apud Tobiam (*c.* 12.) Sacramentum Regis, & (*Sap.* 2.) Sacramenta Dei. Et (*Math.* 13.) Mysterium Regni cœlorum, & in Apocalips. cap. 1. Sacramentum septem stellarum, & 17. Sacramentum mulieris, & bestiæ, Ex quo patet, in Scripturis non solum appellari Sacramentum sacram rem, quæ sub figura latet, sed etiam signum illud, seu figura, sub qua res latet. Quoniam vero mysteria, sive secreta alicujus aut Religionis, aut societatis hominum non communicantur nisi illis, qui per quamdam cooptationem, & aggregationem ipsius societatis

 mem-

membra fiunt, per aliquas reliquis ignotas cæremonias, inde cæremoniæ hujusmodi etiam Sacramenta dici solent, & initia, quibus ex agresti vita ad humanitatem exculti sumus, tanquam ea sint vitæ melioris principia, quod est apud Tull. in 2. de legib. Igitur qui recens in hujusmodi cætus humanos adscripti sunt, & secretorum ejus fiunt conscii, dicuntur latine Initiati. Inde Ambrosius librum scripsit de iis, qui initiantur mysteriis, & Augustinus ait (15. de Civ. cap. 26.) per Sacramenta credentes initiari. Porro sive Sacramentum dicatur res sacra, & inviolabilis, sive dicatur res latens, & ab extraneorum, & profanorum vulgo remota, sive dicatur signum, aut figura rei latentis, & sacræ, sive cæremonia, per quam homines sacrantur, & initiantur, non est cur Sacramenti nomen abominentur Protestantes, quum ea omnia, aut saltem plura nostris ritibus convenire manifestum sit, & ipsi illi nonnunquam fateantur, ut infra demonstrabitur.

2. Nimirum præcipue eis displicet, ut dicamus, Sacramentum esse rei sacræ signum, aut figuram. Sic enim scribit Lutherus in lib. de Captiv. Babilonic. (*cap. de bapt.*) Non habet universa Scriptura hoc nomen Sacramentum in ea significatione, qua nos utimur, sed in contraria. Ubique enim significat, non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam, & absconditam. Zuinglius in lib. de ver. & fals. Relig. (*cap. de Sacram.*) Vocem istam Sacramentum magnopere cuperem, Germanis nunquam fuisse receptam ... Abunde liquet, ait Calvinus in 4. inst. (*cap.* 14. §. 13.) Veteres, qui Sacramentorum nomen Signis indiderunt, minime respexisse quis fuerit hujus vocis usus Latinis Scriptoribus, sed novam hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter sacra signa designarent. Sed primo assumptio Lutheri falsa est, ut supra obiter diximus. Nam in Apocalypsi (*cap.* 1.) habetur Sacramentum Mulieris, & Bestiæ, & in fronte mulieris habetur scriptum: Mysterium. Meretrix autem, & Bestia illa non erant res ipsa mysteriosa, sed illius signum. Et connubium apud Paulum (*Eph.* 5.) dicitur magnum Sacramentum, quatenus significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ. Nam ipsa Signa, inquit Augustinus, (*ep.* 138.) quum ad res divinas pertinent, Sacramenta dicuntur .... (*ep.* 23. *ad Bonif.*) Et si Sacramenta non haberent aliquam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, omnino sacramenta, id est, signa earum non essent. Veteres, inquit Calvinus, Sacramentorum nomen Signis indiderunt: ergo ea vocamus cum Patribus Sacramenta, quæ sunt Sacrorum Signa. Quid Melanchon Lutheri ocellus: Quæ alii, inquit, (*loc. comm. cap. de Sacram.*) Sacramenta, nos Signa appellamus: signa ergo rerum sacrarum sunt, quæ nos dicimus Sacramenta. Falsum est autem, Veteres Patres ad Latinam hujus vocis significationem non respexisse. Nam

cur.

cur ab Latinis jusjurandum dicitur Sacramentum, nisi quia verba jurantis, sive Deum testem invocantis signa sunt internæ, & inviolabilis obligationis, & vinculi, quo Deo obligamur, ejus infallibilem scientiam, & veracitatem protestantes? Quod si aliam huic voci veteres Patres significationem indiderunt, decet ne Theologum timere ferulas Grammaticorum, & cum Varrone potius, aut Festo, vel Nonnio, quam cum Cypriano, vel Augustino loqui? Nonne habemus Pauli præceptum (*1. ad Timo.* 6.) vitandi profanas vocum novitates? Liberis, nimirum, vocibus, ut est apud Augustinum, (10. *de Civ. cap.* 23.) loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem religiosarum aurium pertimescunt; nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus ipsis significatis impiam gignat opinionem. Unde & Sacramenti verbum in ea, qua nos significatione, tota Latina Ecclesia, sicut & Græca nomen Mysterii, semper non retinuit solum velut antiquum, & venerandum, sed etiam ad linguas omnes in Occidente vulgares derivavit, Italos, Gallos, Hispanos, Anglos, Germanos &c. Nimirum Augustinus primus, inquit Kemnitius, ferme cœpit Sacramenti vocabulum in hac materia extendere... Nam ipsi, ut aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus divinæ, vel sacræ signum sit. Hæc ille pag. 28. (*In Exam. edito ann.* 1566.) Sed mentitur, ut sæpius iniquitas sibi. Nam apud ipsum Kemnitium paulo ante, nimirum ejusdem Examinis pag. 22. Conjunctio viri, & uxoris in conjugio est Sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, ut ad Ephes. 5.; sed illa conjunctio non est res sacra, sed rei sacræ signum: ergo Sacramentum dicitur a Paulo ante Augustinum, non res sacra, sed signum, aut figura rei sacræ. Item juxta ipsum: (*Infra.*) Omnes figuras, & Allegorias significantes aliquid, Patres vocant Sacramenta. Tertullianus in 5. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarum, & Allegorias Sacramentorum, ubi de duobus filiis Abrahæ; & Sacramentum ligni disputans de securi Elisæi, & de ligno Paradisi; sed Tertullianus multo est antiquior Augustino: ergo juxta a te dicta non fuit primus Augustinus, qui rei divinæ, aut sacræ signum Sacramentum vocaverit. Idem argumentum fieri posset de Cypriano, Lactantio, Hilario, Ambrosio, & Hieronymo, qui Augustino omnes antiquiores sunt. Sed quid contra hos homines argumentamur? Lutherus ipse, qui Sacramenti nomen impugnaverat, postea Carolstadium, & Zuinglium nomen Sacramenti adspernantes ita, ut erat homo oris modestissimi, reprehendit: (*lib. contra Cœlest. Proph. par.* 2.) Carolstadius dicit, Christum, & Apostolos non appellasse Cœnam Sacramentum: velle se habere hoc nomen ex Bibliis. Age animicida, tu, & Spiritus peccati, fatemur quidem, Deum nec dixisse Sacramentum,

nec

nec præcepisse, ut Sacramentum diceretur. Sed dic nobis contra: ubi prohibuit Sacramentum dici? Quis ergo tibi dedit potestatem prohibendi, quod Deus non prohibet? Magistrum Lutherum, uti prius abominantem, ita postea nomen Sacramenti amplectentem sequuti sunt Philippus, & Brentius, & ipsemet Kemnitius, immo omnes Protestantes in Confessione Augustana. Atque hæc de Sacramenti vocabulo dicta sint.

3. Sequitur, ut Sacramenti in eo Christiano sensu accepti naturam in proposita definitione contentam probemus pariter, & explicemus. Jam vero Sacramentum omne in Theologica acceptione signum aliquod esse debere probatur I. ratione. (*D. Thomas q. 60. art. 1.*) Nam quæcumque habent ordinem ad unum aliquid, ab eo denominari possunt. Sicut sanum non solum dicitur animal, quod est subjectum proprium sanitatis, sed etiam medicina, quæ sanitatem causat, & diæta, quæ conservat, & color, qui significat; sed Sacramentum dicitur a sacro: ergo quodcumque ad res sacras pertinet, sive sacrum sit, sive rem sacram significet, Sacramentum dici potest. Sed tota Ecclesia Catholica utitur Sacramenti nomine, ut intelligat, non solum id, quod sacrum est, sed id etiam, quod rem Sacram significat, ut probatum est: ergo in sensu Ecclesiæ omne Sacramentum est rei sacræ signum. II. ab inductione, Nam omnia Sacramenta sivæ novæ, sive veteris Legis, quæ sola vera sunt, ut Circumcisio, Immolatio Agni Paschalis, Consecratio Sacerdotum &c. non solum res sacra, sed rerum sacratiorum signa erant, & figuræ, ut dicetur, (*pr. seq.*) & Circumcisio aperte dicitur (*Rom.* 4.) Signaculum justitiæ fidei. III. ex Augustino supra cit. Nam si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non essent: requiritur ergo aliqua similitudo inter Sacramentum, & id, cujus Sacramentum est; sed omne, quod est simile alteri, est quodammodo signum illius: ergo omne Sacramentum, ejus, cujus Sacramentum est, signum est. Et signa, quum ad res divinas significandas deputantur, Sacramenta appellantur..... (*de Catech. Rud. cap.* 25.) Ipsæ enim res divinæ, & invisibiles in eis (tanquam in signis) honorantur, nec sic habenda est illa species benedictione sanctificata, quemadmodum habetur in usu quolibet vitæ. Non enim quilibet accessus viri ad fœminam est signum conjunctionis Christi ad Ecclesiam, sed conjunctio authoritate Ecclesiæ sanctificata. Quia vero signum (*qu.* 60. *art.* 2.) non datur nisi hominibus, quorum est ex notis ad ignota procedere, ideo non quodcumque rei sacræ signum Sacramentum est, sed solum signum rei sacræ spectantis ad hominis sanctificationem. Nec enim omnia gesta veterum Patriarcharum, quæ erant umbra futurorum, (*Colos.* 2.) Sacramenta

pro-

proprie dici possunt, alias & omnia opera Dei, per quæ invisibilia ipsius intellecta conspiciuntur, (*Rom.* 1.) dici possent Sacramenta...., (*qu.* 60. *art.* 3.) In hominis autem sanctificatione tria considerantur, videlicet, ipsa causa sanctificationis, quæ est Passio Christi, & forma sanctificationis, quæ consistit in gratia, & virtutibus, & ultimus finis sanctificationis, qui est vita æterna. Et ideo hæc omnia per Sacramenta significantur. Sacramentum enim Rememorativum est ejus, quod præcessit tanquam causa, nimirum passionis Christi, & demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi passionem, nimirum Gratiæ, & Prognosticum, seu prenunciativum futuræ vitæ. Et quia hæc tria quodam ordine sunt unum, ideo per unum Sacramentum simul repræsentari possunt. Ex quo multæ Scripturarum, & Patrum loquutiones, quum eidem Sacramento diversas tribuunt significationes.

4. Dictum est item Sacramentum *signum sensibile*. (*qu.* 60. *art.* 4.) Accedit enim Verbum ad elementum, inquit Augustinus, (*tract.* 80, *in Joann.*) & fit Sacramentum. Elementum autem ibi vocat rem materialem, ac sensibus perviam, ut in baptismo aquam. Ratio autem est, Quia Sapientia Dei unicuique providet secundum modum suum. Est autem homini naturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Res autem, quæ per Sacramenta significantur, sunt spiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur. Signum vero est, per quod devenitur in cognitionem alterius: oportet ergo Sacramenta esse ejus naturæ, ut per ea in cognitionem divinarum in nobis operationum nostro modo pervenire possimus..... Effectus autem sensibilis per se habet ducere in cognitionem alterius, quasi primo, & per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio incipit a sensu; effectus vero intelligibiles non habent, ut possint ducere in cognitionem alterius, nisi ipsi per aliud manifestentur. Et quia umumquodque denominatur, ac definitur secundum illud, quod ei convenit primo, & per se, non vero secundum quod ei convenit per aliud, ideo signum proprie non dicitur nisi de rebus sensibilibus. Unde signum definitur ab Augustino, (*in* 2. *de doc. Christi cap.* 1.) quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud facit innotescere. Hæc autem D. Thomæ ratio eadem fuit Chrysost. (*homil.* 83.) in Math. Si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona; nunc autem, quoniam corpori conjuncta est anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit.... Non enim, quod est in lib. de Cœles. hier. (*cap.* 1.) non fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi opertum sacrorum varietate velaminum, & his, quæ nobis familiaria sunt, paterna providentia naturæ mortalium sese accommodante vestitum. Nos enim, ut idem in Eccl. hier., (*cap.* 1.) vi-

visibilibus imaginibus ad divinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus. Augustinus etiam dicit, (*in ps.* 33.) Verbum Dei, quod in Cœlis est cibus invisibilis Angelorum, cibum visibilem factum esse homini, ut se nostræ naturæ accommodaret, quod etiam tangit Isidorus in lib. de Summ. Bono. (*cap.* 17.) Similia Damasc. in 4. de fide. (*cap.* 10. & 14.) Compositus est homo, atque ideo cognata, atque ei similia medicamenta ad curationem destinata, inquit Greg. Niss. (*or. de bap.*)

5. Dictum est tertio: *Ex institutione Dei*. (*qu.* 60. *art.* 5.) In usu enim Sacramentorum duo considerari possunt, nimirum, cultus Dei, & sanctificatio hominis, sed primum horum est hominis ad Deum; secundum autem est Dei ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare id, quod est in potestate alterius; sed sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis: ergo determinare ea, quibus homo sanctificetur, est in potestate solius Dei: ergo in Sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, juxta id, quod scriptum est: (1. *ad Cor.* 6.) Abluti estis, sanctificati estis, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis. Confirmatur. Nam in rebus, quæ operantur virtute sua naturali, si res duæ ejusdem sint virtutis, possumus pro libitu hac, aut illa ad eamdem rem uti, ut ferro, aut lapide ad percutiendum; sed aqua, aut oleum non ordinantur ad sanctificationem ex virtute sua naturali, sed solum ex institutione divina: ergo oportuit divinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

COROLLARIUM I.

6. Res corporeæ, in quibus Sacramenta instituta sunt, nulla possunt humana authoritate mutari.

COROLLARIUM II.

7. Res eædem non naturaliter, sed ad placitum Dei significant. In iis autem, quæ significant explicitò, non est quærenda proportio, aut similitudo signi ad signatum, sicut rami viridis ad vinum venale; (*qu.* 64. *art.* 2. *ad* 2.) tamen Dei Sapientia, & suavis Providentia ita disposuit, ut esset aliqua similitudo inter actionem, qua Sacramentum conficitur, & effectum, ab eo significatum, ut facilius per externas actiones interni, & invisibiles effectus intelligerentur. Nam quum vident, rudes præsertim homines, carnem lavari, ungi, potari, ac cibari, exigua instructione perveniunt ad capiendos spirituales effectus, quos Gratia in eis operatur abluendi sordes animi, fovendi,

ac

ac reficiendi. Et hoc sensu intelligendum est citatum illud Augustini: Si Sacramenta aliquam similitudinem eorum, quorum sunt Sacramenta, non haberent, Sacramenta omnino non essent.

8. Ad institutionem autem Christi, ac Dei (*qu.* 60. *art.* 6.) pertinet non solùm determinatio materiæ pro diversis Sacramentis diversæ, sed etiam determinatio verborum, quibus Sacramenta conficiuntur, & quæ veluti illorum forma sunt. Sacramenta enim sunt quædam sanctificationis signa, ut probatum est, & in sequentibus amplius firmabitur. Considerari autem possunt tripliciter, & quocumque modo eis congruit, ut verba rebus sensibilibus adjungantur. Nam primo considerari possunt ex parte causæ sanctificationis, quæ est Christus, seu Verbum Dei Incarnatum, & huic Sacramentum quodam modo conformatur, dum rei sensibili verbum Dei adjungitur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili Verbum Dei est unitum. Secundo considerari possunt Sacramenta ex parte subjecti, sive hominis, qui sanctificatur: homo autem est quid compositum ex corpore, & anima, cui proportionatur Sacramentalis Medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum creditum in anima operatur. Unde Augustinus dicit: (*Tr.* 80. *in Joan.* 15.) Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Tertio considerari possunt Sacramenta ex parte ipsius significationis Sacramentalis. Verba enim, ut est apud Augustinum, (2. *de Doctr. Christian. cap.* 3.) inter homines significandi principatum obtinuerunt, quia diversimode formari possunt ad exprimendos diversos conceptus mentis, atque adeo per verba magis distincte exprimere possumus, quod mente concipimus. Unde ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium, quæ ambigua esse posset, per verba aliqua determinaretur. Aqua enim significare potest & ablutionem ratione humiditatis, & refrigerium ratione frigiditatis. Sed quum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur ad significandam spiritualem emundationem.

2. Id ipsum probatur ex Scripturis, & Patribus. Nam ut est apud Paulum, (1. *Tim.* 4.) omnes corporeæ creaturæ, & omnia Dei opera suapte natura bona sunt, atque ad Dei honorem, & gloriam creata: (*Prov.* 16.) Universa enim propter semetipsum operatus est Deus: ergo si non aliud quam hæc naturalis bonitas attenderetur, omnia æque ad divinum cultum, & sacras cæremonias adhiberi possent, quod summam confusionem, & incommoda afferret. Unde oportuit, uti probatum est, ut determinatæ res in divinum cultum, & mysticam significationem assumerentur. Quidquid autem ad divinum cultum, aut sacram significationem deputatur, & assumitur, Sanctum Do-

mino est. Sanctificantur autem omnia, quæ bona creata sunt, per verbum Dei, & orationem, ut idem Paulus ait: (*ibid.*) ergo quæ ad sacramentalem significationem assumuntur, per Verbum Dei, & mysticas preces sanctificari, & consecrari necesse est. Unde teste eodem Paulo, (*Ephes.* 5.) mundamur per lavacrum aquæ in verbo vitæ; & a Christo Domino dictum: (*Joan.* 15.) Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Hinc illud tritum Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Idemque haberi potest ex Chrysostomo hom. 20. in Epistolam ad Ephesios. Cyrillo Catech. 3. Mystag. Theodoreto, & aliis ex Græcis. Ex Latinis autem Cyprianus in sermone de Bapt. Christi: (*sive quis est author.*) Verborum solennitas, & sacri invocatio nominis, & signa Apostolicis institutionibus, & Sacerdotum ministeriis attributa visibile efficiunt Sacramentum. Addit Ambros. (*in* 1. *Corinth. cap.* 1.) Sacramenta perfici verbis solennibus, Aug. item: (*lib.* 20. *cap.* 13.) Noster panis, & calix mysticus fit certa consecratione. De singulis Sacramentis res infra constabit. Notum est illud Eug. IV. decretum in Conc. Floren. omnia Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis, & intendentis facere, quod facit Ecclesia, idemque colligitur ex Tridentino sess. 7. can. 13. .... Quamvis autem, & aliæ res sensibiles, ut aqua, & oleum &c. sint diversorum generum, conveniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectior est in verbis, quam in rebus ipsis. Et ideo ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex forma, & materia in compositis physicis, & artificialibus, quatenus verbis perficitur significatio rerum, sicut per formam perficitur, determinaturque materia. Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles abluendi, ungendi, & alia hujusmodi, quum in his sit eadem ratio significandi. Ex qua D. Thomæ doctrina præoccupatæ remanent speculativæ quæstiones, in quibus quandoque occupantur Recentiores, utrum nomina formæ, & materiæ proprie dicantur? An Sacramentum sit compositum physicum, an artificiale, an rationis? &c. Loquimur enim de Sacramentis uti de facto ab Christo instituta sunt ex rebus, & verbis. Res, sive elementa appellamus materiam, verba appellamus formam. Cui hæc nomina, velut scholastica displiceant, breviora, & meliora suppeditet. Nec enim, ubi de rebus constat, de verbis decertamus.

CO-

COROLLARIUM I.

10. Verba, quibus sacramenta conficiuntur, (*qu.* 60. *art.* 7.) quod attinet ad rem significatam, nulla humana authoritate mutari possunt. Res enim sensibiles, quæ sunt velut materia Sacramentorum per verba sanctificantur, atque ad certam, ac determinatam significationem contrahuntur, & sunt quasi forma; sed in omni genere compositi forma potior est materia. Materia autem Sacramentorum ex Dei institutione ita certa, ac determinata est, ut nulla humana authoritate mutari possit, uti dictum est: ergo potiori jure verba, quibus Sacramenta conficiuntur, immutabilia sunt. Ut enim Tertullianus ait: (*de Bapt. cap.* 13.) Non solum lex tingendi, seu baptizandi posita est a Christo, sed etiam forma præscripta .... Primi namque Sacerdotalis muneris Duces, id est Apostoli, ut dicitur in lib. de Eccl. Hierarch. cap. 1. visibilibus signis cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus (quæ ab Christo acceperant) nobis tradiderunt. Hinc Augustinus ait, (3. *de bapt. cap.* 15.) baptismum conferri debere verbis Evangelicis,... Perinde enim est, si quis expers baptismatis decedat, & si in uno quopiam eorum, quæ a Christo tradita sunt, deficiens baptismum suscipiat, quod est apud Basilium in libro de Spiritu Sancto. (*cap.* 10.)

COROLLARIUM II.

11. Patet hinc contra Lutherum, & suos, verbum in Sacramentis ex Dei institutione adhibitum non esse verbum doctrinale, & concionatorium, quo suscipientes Sacramenta instruantur, aut quibus eorum fides excitetur, sed verbum consecratorium, quo elementa, seu visibilis materia sanctificetur. Nam si verbum doctrinale, seu concio esset de necessitate Sacramenti parvuli, qui concionem non capiunt, baptizari non possent. II. Hæretici, qui falsam doctrinam in suis concionibus tradunt, non vere baptizarent. III. Catholici, qui sine concione baptizantur, non susciperent verum baptisma, atque ideo, quum ad Calvinianos transeunt, iterum baptizari deberent, quod non fit. IV. ipse Calvinus, & sui in Sacramento Baptismi præter verbum concionatorium, de quo dicitur: (*Math. cap.* 28.) Docete omnes gentes, admittunt etiam verbum, quod sit forma baptismi consecratoria, quum dicunt: Ego te baptizo in nomine &c. sicut habetur ex Calvino in libro de formula ministrandi Sacramenta, ex Melancthone in locis, cap. de bapt. & ex praxi eorum quotidiana. Cur ergo in aliis Sacramentis verbum consecratorium non admittunt? Dicent, eam for-

mam baptizandi expresse a Christo traditam in Evangelio. Sed contra. Nam Christus dixit: Baptizate eos in nomine &c. non autem dixit. Baptizate dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris &c. ergo necessitas illius formulæ non habetur ex Evangelio, nisi adjuncta interpretatione, & communi Ecclesiæ sensu, quæ ab Apostolis edocta, sic Evangelii verba intellexit semper, & adhibuit; sed Ecclesia ipsa verba consecratoria similiter adhibenda esse censuit ex divina institutione ab Apostolis tradita in omnibus aliis Sacramentis, ut de singulis infra dicetur: ergo in reliquis pariter verba, præter concionatoria quæ non sunt ullo modo pars Sacramenti, sed ad illud bene suscipiendum præparatoria, etiam benedictionis, & sanctificatoria, adhibenda, ex quibus accedentibus ad elementum, conficiatur Sacramentum, atque adeo sint partes Sacramenti cujusvis.

COROLLARIUM III.

12. Verba Sacramentorum (*qu.* 60. *art.* 8.) ita sunt ex divina institutione determinata, ut nihil illis addere liceat, vel subtrahere. Hac in re consentientem habemus Lutherum in hom. r. de Baptism. sic loquentem: Clare exprimit Christus, quas cæremonias velit, & formam ipse præscribit: ut illa ipsa signa, neque alia, illa ipsa verba, neque alia hic adhibeantur. Ita ibi, quamvis alibi, more solito, contraria scripserit. Circa mutationes autem, quæ in formis Sacramentorum accidere possunt, duo sunt consideranda. Unum quidem ex parte proferentis. Quum enim in verbis maxime attendatur sensus, atque intentio loquentis, ut (*lib.* 6. *prop.* 25.) dictum est, & in rebus esse non possint, nisi ab aliquo proferantur, manifestum est, Christum, qui per verbum sanctificari elementa voluit, etiam Ministros, per quos ea verba proferantur, destinasse; omnis autem humana loquutio ex intentione, & animo loquentis vim, & significationem determinatam habet. Ex sese enim verba possunt ambigua esse, aut jocose, & ludicre, aut ironice, aut metaphorice, vel aliter usurpari. Si ergo Minister verba proferens intendat per additionem, aut substractionem alicujus verbi alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere, quod Ecclesia facit, & Christus faciendum instituit. Unde si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris &c., & B. Virginis Mariæ, forte non esset baptismus, aut esset secundum intentionem loquentis. Nam si sic intelligatur baptizari in nomine Virginis, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur, talis sensus esset veræ fidei contrarius, & tolleret veritatem.

Sa-

Sacramenti. Si vero intelligatur, quod additur (in nomine Virginis) non quasi nomen Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato, non tollitur perfectio Sacramenti... Aliud est considerandum ex parte significationis verborum. Nam quum verba operentur in Sacramentis secundum sensum, quem faciunt, oportet considerare, utrum per talem additionem, aut substractionem tollatur debitus sensus verborum. Nam si tollatur, proculdubio non perficitur Sacramentum. Judicari autem debet de his mutationibus, additionibus, substractionibus, transpositionibus, corruptionibus, interruptionibus &c. non secundum ακιστιχω Geometricam, ut ille inquit, (2. *Periher. cap.* 1.) sed moralem, ita ut credatur debitum sensum servari, quando audientes intelligunt, & judicant illud significari, quod per integra verba significari solet, etiam si proferens ex balbutientia, aut ex linguæ lapsu aliud dixerit, quod est apud D. Thomam ajentem: (*art.* 7.) Ille, qui corrupte profert verba Sacramentorum, si hoc ex industria facit, non videtur facere id, quod facit Ecclesia, & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore Grammaticæ, aut ex impotentia pronunciandi certas litteras, aut ex lapsu linguæ, si sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum loquutionis, non videtur perfici Sacramentum. Et hoc præcipue contingit, quando corruptio fit ex parte principii dictionis, puta si pro *Patris* dicat *Matris*. Si vero non omnino auferatur sensus loquutionis per hujusmodi corruptelam, Sacramentum perficitur. Et hoc præcipue contingit, quando corruptio est in fine dictionis, ut si pro *Patris*, & *Filii*, dicatur *Patrias*, & *Filias* de quo habetur decisio Zachariæ Pap. in cap. Retulerunt de Cons. dist. 4. Quamvis enim hujusmodi verba corrupte prolata nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia accommodatione usus. Et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus moraliter, sive in existimatione hominum. Magis autem attenditur variatio in principio dictionis, quam in fine, quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio autem ex parte finis, ut *patris*, *patrem*, *amo*, *amavi*, ut plurimum solum mutat consignificationem, quamvis in Græca, & aliis nonnullis linguis varietur significatio ex parte principii, maxime in conjugationibus verborum. Hæc D. Thomas pro solita sua dignitate, & brevitate: ad multa particularia in hac materia descendunt Suarezius, Sotus, & Recentiores.

13. Quod autem dictum est de Ministro Sacramenti, & de ejus intentione, & proposito fusius est explicandum. Pertinet namque hoc etiam ad institutionem divinam in confectione Sacramentorum. Ad cujus rei intellectum sic procedendum est. (*qu.* 64. *art.* 1.) Nam Sa-

cra-

cramenti virtus operatur intrinsecus in anima immediate. Abluitur enim, & ungitur, quod est apud Tertullianum, (*de resurrect. carn. cap.* 8.) ut anima mundetur, foveaturque; nihil autem immediate operatur, ubi non est; intra animam autem nihil esse potest, nisi divina virtus, sive ipse Deus, quia nihil, nisi Trinitas illabitur animæ, ut alibi probatum: (*lib.* 5. *prop.* 23.) Sacramenti ergo internus effectus solum a Deo producitur. Item: internus effectus Sacramenti novæ legis est gratia sanctificans, ut mox probabitur; sed Gratiæ largitor non est nisi Deus, ut alibi probatum est: ergo idem quod prius. (*qu.* 64. *art.* 2.) Jam vero Sacramenta non operantur ad internos, & spirituales effectus nisi instrumentaliter. Instrumentum autem non operatur nisi in virtute alterius agentis principalis, quum sit movens motum: principale autem agens, non potest esse nisi ille, qui dat virtutem Sacramento; sed nullus potest vim, & efficaciam tribuere nisi solus Deus, ut probatum; ergo solus Deus est principale agens, sive author, & institutor Sacramentorum.

14. Christus autem (*art.* 3.) Deus est, & homo, ut in decimo (*prop.* 9. & 10.) probatum est: ergo secundum divinitatem Sacramentorum est institutor; secundum humanitatem autem agit ad spirituales effectus Sacramentorum, sicut agit ad nostram justificationem, nimirum, per modum impetrationis, & meriti, & etiam per modum causæ efficientis, non quidem principalis, sed instrumentalis, sicut primus Sacerdos, a quo omne Sacerdotium, & sicut Pontifex, & Episcopus animarum nostrarum, a quo omnis spiritualis jurisdictio derivatur. Prima illa potestas dicitur Authoritatis; secunda autem Humanitatis tanquam Instrumenti, dicitur potestas Excellentiæ, quia Christo competebat, non tanquam donum gratuitum, sed ut debitum ejus Humanitati conjunctæ Verbo Dei in persona. Hæc autem potestas Excellentiæ in quatuor consistit. I. quod Sacramenta operantur virtute derivata ex passione, & meritis Christi. II. quod in ejus nomine Sacramenta sanctificantur. III. quod ad excellentiam potestatis J. C. pertinet, quod ipse, qui per meritum passionis, & mortis suæ dedit virtutem Sacramentis, potuit Sacramenta instituere. Unde inquit Ambrosius in 4. de Sacram. (*cap.* 4.) Sacramentorum author quis est, nisi Dominus JESUS Christus? Et Augustinus: (*ep.* 118.) Ipse Dominus noster JESUS Christus Sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.... Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, & author, inquit Cyprianus. (*serm. de lot. ped.*) In cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem (id est, in ritibus, ac cæremoniis ab Ecclesia deinceps adjunctis.) Et sicut par est Spiritui Sancto, & Christo Divinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas, & potestas.

stas. Nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem præcepit. Denique quia causa non dependet ab effectu, sed potius contra, ideo IV. ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramentorum, etiam sine Sacramento conferre, ut patet in Magdalena, cui sine ullo Sacramento effectum Sacramenti contulit.

15. Jam vero potestatem authoritatis, quam Christus habuit ut Deus, (*qu.* 64. *art.* 4.) nulli puro homini communicare potuit, sicut nec divinam naturam. Potestatem autem Excellentiæ, quam Christus ut homo habuit in Sacramenta, an puræ creaturæ communicare potuerit, in dubio esse videtur. Negant ex antiquis Scotus, Gabriel, Durandus; affirmant Suarezius, Gottius, & alii Recentiores, se cum D. Thoma sentire existimantes. Negamus tamen, & negamus cum D. Thoma. Nam juxta illum (*ar.* 2.) virtus Sacramenti est ab eo, qui instituit Sacramentum: ergo quum virtus Sacramenti sit a solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor; quod autem solius Dei est, non est puræ creaturæ communicabile: ergo potestas instituendi Sacramenta communicabilis non est. Neque dicas, hæc dicta esse de potestate authoritatis, non de potestate excellentiæ. Nam contra est, quia potestas excellentiæ in Sacramentis non convenit Christo ut homini, nisi quatenus humanitas est instrumentum Divinitatis ei conjunctum in persona; sed hæc conjunctio convenire non potest nisi Deo incarnato: ergo potestas excellentiæ nisi in Deo incarnato esse non potest. Patet idem discurrendo per singula illa quatuor, in quibus potestas excellentiæ consistit juxta D. Thomam. Nam I. Christus dicitur author Sacramentorum, quia meritum, & virtus passionis ejus operatur in Sacramentis, sive quia omnis efficacia Sacramentorum derivatur ex merito passionis ipsius: nulla autem pura creatura potest Sacramentis vim, & efficaciam tribuere: ergo. II. Sacramenta sanctificantur in nomine Christi, quia per invocationem nominis Christi protestamur fidem, per quam virtus passionis nobis copulatur, sicut scriptum est: (*Rom.* 5.) Christum proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius; sed author, & consummator fidei est Christus Deus, & homo: ergo in nullius puræ creaturæ nomine possunt Sacramenta sanctificari. (*Act.* 4.) Non enim aliud est sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. III. Ad excellentiam potestatis Christi pertinet instituere Sacramenta, quia ipse dedit virtutem Sacramentis, quatenus Deus per potestatem authoritatis, quatenus homo autem, quia per meritum passionis suæ a Deo obtinuit, ut tali, aut tali signo gratiam Deus nobis largiretur; sed nulla pura creatura hoc a Deo obtinere potest tanquam sibi debitum,

ni-

nisi Christus Deus, & homo, qui factus est nobis justitia, & sanctificatio, & Redemptio: ergo nulla pura creatura potest, aut potuit Sacramenta instituere. IV. denique ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramenti conferre, sine exteriori sacramento.... Sed nullus potest sine sacramento effectum Sacramenti conferre, nisi propria virtute Sacramenti effectum operetur, ut conceditur in 4. argumento. Nulla autem pura creatura potest propria virtute effectum sacramenti operari, sive gratiam conferre: ergo nulla pura creatura potest effectum sacramenti sine exteriori sacramento conferre; in his autem quatuor juxta D. Thom. consistit potestas Excellentiæ, quæ est in Christo: ergo potestatem excellentiæ non potuit Christus puræ creaturæ communicare.

16. Opponuntur autem expressa verba D. Thomæ ajentis: (*quæst. cit. art.* 4.) Aliam potestatem habuit Christus excellentiæ, quæ competit ei, secundum quod homo, & talem potestatem potuit Ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad effectus Sacramentorum. II. ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta. III. ut ipsi instituerent Sacramenta. IV. ut etiam sine sacramento possent effectum sacramentorum conferre, solo imperio. Hanc autem doctrinam ex Augustino desumpsit D. Thomas, ita scribente: (*tract.* 5. *in Joan.*) Potuit Dominus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum, tanquam vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere eam in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum suum, quantam haberet baptismus datus a Domino. Confirmatur id ipsum argumentatione Suarezii: (*in hac q. disp.* 12. *sect.* 2.) Institutio Sacramenti nihil est aliud, quam impositio, aut determinatio talis rei, & talis actionis, aut verborum, ut sint signum certum, & infallibile gratiæ sanctificantis; sed cui Deus daret tantam Gratiæ plenitudinem, ut posset illa omnia facere, quæ assignat D. Thomas, vere institueret rem aliquam, aut actionem, & verborum formulam, quæ essent certum, & infallibile signum Gratiæ sanctificantis: ergo vere, & proprie institueret Sacramenta. Confirmatur secundo. Quia a Patribus, & Conciliis Christus dicitur institutor sacramentorum, etiam ut homo est; sed Christus non aliter habuit in sua humanitate potestatem instituendi sacramenta, nisi quia determinavit materiam, & formam verborum, quæ essent certa, & infallibilia signa gratiæ: ergo quicumque vir sanctus, cui hæc potestas concessa esset, vere diceretur Sacramentorum institutor, atque author.

17. Ad præcipuum argumentum explico verba D. Thomæ: talem potestatem excellentiæ potuit Christus communicare creaturæ

omni-

omnimodam, & secundum eam perfectionem, qua Christus eam obtinet, nego: in gradu infinite minori, concedo. Vel sic: potuit communicare quoad usum, & ministerium concedo; quoad efficientiam, & causalem influxum, quem Christus habet in Sacramenta, nego. Explico singula. Potuit Christus decernere, ut merita Petri aliquid operarentur in baptismo, ut nimirum per merita Petri conferretur nobis gratia; sed non ut collatio gratiæ esset debita meritis Petri, sicut est debita meritis Christi, qui (1. *Corinth.* 1.) factus est nobis justitia, & sanctificatio, & Redemptio. Potuit Deus, & Christus facere, ut aqua ad baptismum sanctificaretur nomine Petri invocato, sed non potuit facere, ut Petrum protestaremur per eam invocationem authorem, & consummatorem fidei, & propitiatorem per fidem. Et hæc fides est, per quam Christo conjungimur, & virtus passionis ejus nobis applicatur in Sacramentis. Hæc est, quæ justificat impios, inquit Leo, & de peccatoribus salvos facit. Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Item III. potuit Deus delegare Petro facultatem, ut Sacramenta institueret, nimirum, ut determinaret quibus in rebus, & quibus verbis, aut ritu sacramenta conficerentur; sed non potuit Petrus quantavis sanctitate polleret puro homini possibili, alligare his rebus, aut verbis gratiæ collationem, sicut alligavit Christus qua Deus est, nec ejus gratiæ collationem mereri ex justitia, & operari tanquam instrumentum Divinitati in persona conjunctum, sicut meruit, & operatur Christus qua homo est. IV. denique potuit Christus Petro concedere, ut ad nutum suæ voluntatis, sine aliquo externo sacramento, effectum sacramenti conferret, nimirum Gratiam; sed voluntate Petri se habente non ut causa Gratiæ collativa, quæ est Christus ut Deus, ut non ut causa Gratiæ Sacramentalis meritoria, qua est Christus ut homo, sed ut causa gratiæ occasionalis, sive ad cujus præsentiam Deus libere voluit conferre gratiam. Et hanc fuisse mentem D. Thomæ, & Augustini patet ex sequentibus. Ait enim D. Thomas in responsione ad tertium. Quod ad hoc inconveniens vitandum, ne scilicet multa capita essent in Ecclesia, Christus noluit potestatem suæ Excellentiæ communicare. Quod item dixerat Augustinus: (*loco cit.*) Noluit, ut in ipso esset spes baptizatorum, a quo baptismum acciperent. Noluit servum ponere spem in servo. Atque ideo clamabat Apostolus, quum videret homines in se ipso spem ponere volentes: (1. *Corinth.* 1.) Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? .... Noluit Christus: Si enim daret hanc potestatem hominibus, ut ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi: ut quomodo dictum est Baptisma Joannis, sic diceretur Baptisma Petri, & baptisma

Pauli &c. ergo ne tot essent Baptismata, quot servi, qui baptizarent, sibi tenuit Dominus potestatem baptizandi; servis ministerium dedit. Ex qua summorum Doctorum sententia, sic conficitur argumentum. Si Christus potestatem suæ Excellentiæ alicui, aut aliquibus communicasset, multa sequerentur absurda. Nam I. homo spem posset in homine ponere, a quo sacramenta, gratiam, & salutem habere posset, teste Aug. II. Tot essent Baptismata, quot homines proprio nomine baptizantes, essentque scissuræ, & schismata inter baptizatos dicentes: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego vero Cephæ, quod etiam fatetur Augustinus in verbis citatis. III. Ex eodem Augustino alibi: (*tr. 6. in Joan.*) Ipsi Sancti homines diversarum gratiarum sunt, nec omnes paria merita habent. Sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. Quare ergo si alius ab justo, & sancto; alius ab alio inferioris meriti baptizetur, unum tamen, & par, & æquale est quod accipiunt, nisi quia in unius nomine baptizantur, nimirum Christi, de quo dictum est: (*Joann.* 1.) Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto? Non enim tribuitur Sanctitas baptismatis Ministris baptizantibus, sed illi, in cujus nomine baptizantur, super quem descendit columba: ergo si merita, & nomina Ministrorum operarentur ad effectum Sacramentorum, pro diversitate meritorum baptisma sanctum esset, & quia diversa sunt merita, & inæqualia, diversa erunt, & inæqualia baptismata, & tanto quisque aliquid melius putaretur accipere, quanto a meliore videretur accepisse. IV. Ex D. Thoma (*ad tertium.*) noluit Christus potestatem Excellentiæ Ministris communicare, ne Ecclesia esset monstrosa, & multiceps. Nam quamvis Christus semper fuisset caput principale, & primarium, tamen essent tot ministerialia, & secundaria Capita, ac visibilia, quot essent Ministri, quibus ea facultas commissa esset, quod esset inconveniens gravissimum: ergo saltem in præsenti providentia, stante hac constitutione, & forma regiminis, non potuit Christus potestatem Excellentiæ puræ creaturæ communicare, etiam juxta Augustinum, ac D. Thomam.

18. Ex his facilis est solutio ad utrumque Suarezii argumentum. Ad primum enim negatur major, quam & ipse falsam esse cognovit. Suddit enim: Verum quidem esse, Sacramentum debere esse signum certum, & infallibile quantum in se est, & consequenter etiam admitto, inquit, institutionem Sacramenti non solum includere impositionem Signi, sed etiam efficaciam, seu certitudinem significationis ejus. Quare necesse est, ut is, qui potest instituere Sacramentum, possit non tantum imponere signum, sed etiam dare signo certitudinem, ut, eo posito, infallibiliter detur gratia, quando, & quomodo ipse voluerit, quatenus habere potest in sua patestate; sed pura creatura nullo modo habere potest in sua potestate dare huic signo virtu-

rutem, ut, eo posito, infallibiliter conferatur gratia, quum neque gratiam per se conferre possit, quod est Dei proprium, neque mereri ut conferatur, quod est proprium Christi Mediatoris: ergo pura creatura nullo modo potuit instituere Sacramenta. Ad secundam confirmationem negatur minor propter ly *non aliter*. Christus enim ut homo, quamvis non conferret effectum Sacramenti, nimirum gratiam, cujus solus Deus est largitor, tamen meruit, ut signis a se positis alligaretur Gratia, ita ut tota ratio hujus alligationis esset virtus, & efficacia passionis suæ, quod nulla creatura pura mereri potuit. Christus ergo est causa meritoria virtutis, & efficaciæ, quæ est in Sacramentis, & simul causa efficiens instrumentaliter, quia Sacramenta non operantur, nisi in virtute passionis Christi, quod debebatur humanitati patienti, tanquam instrumento conjuncto in persona Divinitati, quod in pura creatura esse non potuit. Longe ergo aliter erat potestas in Christo ut homine, quam esse posset in qualibet pura creatura. Nam omnes Ministri Ecclesiæ, & qui nunc sunt, & qui esse possint, instituuntur in Ecclesia divinitus fundata. (*in* 4. *di.* 17. *q.* 3. *art.* 1.) Et ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem Ministrorum, sicut creatio præsupponitur ad opus naturæ: ergo sicut aliquid potuisset fieri in rebus, quod fieri non potest in rebus sic jam creatis, & institutis, ita aliquid fieri potuisset in Ecclesia absolute, quod fieri non potuit in Ecclesia sic jam stabilita, ac disposita. Ecclesia autem fundata est in fide, & Sacramentis, ideo ad Ministros Ecclesiæ novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova Sacramenta instituere, aut instituta removere non pertinet, sed hoc est potestatis Excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum. Similia 3. p. q. 64. art. 2. ad 3.

19. Hæc autem pro rei veritate dicta sint, de cætero ad nostri præsentis argumenti propositum non faciunt. Sic enim pergimus. Christus potestatem authoritatis, quam habet ut Deus in Sacramenta, nulli communicari potuit, potestatem autem Excellentiæ (potuisset, aut non potuisset communicare,) nulli tamen communicavit: ergo homines nullam habent in Ecclesia authoritatem in Sacramentis, nisi (1. *Corinth.* 4.) ut Ministri Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. Unde dictum est: (2. *Corinth.* 5.) Pro Christo legatione fungimur.... (2. *Corinth.* 2.) Et ego si quid donavi, propter vos in persona Christi. Inter dispensatores autem (1. *Corinth.* 4.) quæritur, ut fidelis quis inveniatur. Non est autem fidelis dispensator, aut Œconomus, aut Legatus, qui in negotiis Domini sui non verba, & gesta sua conformat, ac dirigit juxta instructionem, aut mandatum ejus, cujus vicem, aut personam, vel negotium gerit. Oportet ergo, Christi, & Ecclesiæ Ministrum in dictis, & factis circa Sacramenta se con-

formare proposito, & intentioni Christi, cujus authoritate, & nomine Sacramentum conficit, & Ecclesiæ, cujus ministerio fungitur. Nec obstat, Ministrum esse instrumentum. Est enim instrumentum animatum, quod non movetur motu mechanico sicut baculus, sed motu morali per intellectum, & voluntatem, ut sciat, & velit actiones suas dirigere ad finem intentum a principali agente, & ideo requiritur intentio, qua se subjiciat agenti principali. Nec obstat item, hanc intentionem esse occultam, & insensibilem. Nam fit sensibilis per verba, quæ Minister profert, in quibus exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perficiendum sacramentum, nisi contrarium exterius exprimatur verba immutando, aut aliquid agendo, unde non serio, sed per irrisionem, aut jocum id facere demonstraretur. Non est autem necessarium, ut baptizaturus v. g. habeat intentionem actualem, qua ore, aut corde dicat: Volo baptizare, aut quid simile, sed sufficit, ut habeat habitualem intentionem, (quam alii virtualem appellant) quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti. Habitualis autem intentio dicitur aliquando habita, & non retractata, nec actu impedita, ut in somno, amentia, ebrietate &c. Quod si forte in ipso exercitio actus cogitatio ad alia rapiatur, ex virtute primæ, & præteritæ intentionis perficitur sacramentum, & ideo virtualis dici solet, sed melius dicitur habitualis, quia perseverat in habitu, quandiu non retractatur, sicut ob eandem causam dicitur peccatum habituale, & non virtuale. At habitualis perseverantia intentionis interrumpitur per somnum, amentiam &c. quia cessat tunc judicium rationis, & libertas, non autem cessat anima, in qua est macula peccati.

20. Porro circa hujus intentionis necessitatem multa disputant & Scholastici, & Morales Theologi. Quidam enim, ut Ambrosius Catherinus, (*in opusc. de intent. Ministr.*) putarunt, Ministrum solum attendere debere ad materialem, & naturalem actionem abluendi, vel ungendi, & dicendi verba. Sed hic opinandi modus communiter exploditur. Alias si quis aut Medicinæ, aut munditiei causa puerum lavaret dicens: Volo, ut laveris in nomine Patris &c. verum conficeret Sacramentum, ut argumentatur Bellarminus. (1. *de Sacram. in gen. cap.* 27.) Quidam per oppositum putarunt, Ministrum intendere debere non solum ad conficiendum Sacramentum, sed etiam ad effectum, & finem Sacramenti, scilicet sanctificationem suscipientis. Hæc autem opinio nimis rigida est, & magis quam requiratur, a Ministro exigit. Non enim effectus sanctificationis pendet a voluntate, aut intentione Ministri, quod si penderet, baptizatus ab Hæretico, aut Pagano, non esset vere baptizatus, quum illi aut negent, aut nesciant per Baptismum gratiam conferri. Estque contraria expressa Augustini sententia ajentis: (*epist.* 98. *ad Bonifac.*) Nec illud te moveat, quod quidem non

ea

ea fide ad baptismum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam ... Non enim propterea illi non regenerantur, quia ab illis non hac intentione offeruntur. Ita argumentatur Gottius Cardinalis. (*Tract.* 4. *q.* 7. *dub.* 4. §. 1. *tom.* 3. *Theolog. Scholast.*) Sed Augustinus, seu quis est author Epist. ad Bonifacium, non de intentione baptizantis loquitur, sed de intentione eorum, qui pueros ad baptismum deferebant, tamen in infantibus, in quibus fides parentum operatur, argumentum illud non est omnino elumbe. Media igitur via tenenda est, ac dicendum cum D. Thoma, (*q.* 64. *art.* 8. *&* 10.) sufficere ad perficiendum Sacramentum intentionem ad ponendam actionem, res, & verba, tanquam quid sacrum, & religiosum, aut sacramentale, sive intentionem conficiendi Sacramenti, aut magis in genere faciendi, quod Ecclesia intendit, vel quod Christus instituit. Verbo: *Agendi ea ita rite, ac congrue, ut non ex parte sua ponat obicem operationi Christi, sive gratiæ collationi, quæ effectus est, & finis Sacramentorum.* Unde si Minister intendat baptizare, etiam si gerat in mente non facere, quod Ecclesia facit, id est, etiamsi non intendat suscipientem a peccatis mundare, quia talem effectum inde oriri non credit, tamen vere baptizat, quia cæremoniam facit, quam facit Ecclesia, licet non intendat eum finem, quem intendit Ecclesia. Et ita intelligendus Innocentius in cap. Si quis pueros de Bapt. quod male interpretatur Kemnitius. Addit Augustinum (*tr.* 5. *in Joan.*) quasi dixerit, baptismum ab ebrio collatum validum esse; sed Augustinus non ebrium, sed ebriosum dixit. Potest autem quis ebriosus esse, non actu ebrius, sicut potest quis actu ebrius esse, & non esse ebriosus. Addit Chrysost. apud quem (*hom.* 85. *in Joan.*) Sacerdos linguam, & manus præbet. Nec enim justum est propter alicujus malitiam ad salutem nostram accedentes offendi. Sed Chrysostomus non excludit intentionem Ministri, sed probitatem vitæ, ex cujus defectu accedentes offendi poterant, non de intentionis defectu, qui mere internus esse potest, ut patet.

21. Major est difficultas circa factum Athanasii, ex quo sic argumentantur. Nam si aliqua requiritur intentio Ministri, ea esse deberet sincera, & seria, qualis sacram, & religiosam cæremoniam decet, non jocularis, ludrica, mimica, aut irrisoria, ut definitum est ab Leone X. damnante illas propositiones: Sacerdos etiam levis, & ludens, vero tamen baptizat, & absolvit .... Esto confessus non sit contritus, & Sacerdos non serio, sed joco absolvat, si tamen pœnitens se credat absolutum. Idemque confirmatum habetur in Conc. Tridentino sess. 14. can. 9. Sed Athanasius adhuc impubes cum pueris ludens, quosdam baptizavit, & ordinavit faciens se Episcopum, & Sacramentum illud existimatum est, ratumque habitum ab Alexan-

xandro Patriarcha Alexandrino, ut refert Sozomenus lib. 1. Hist. cap. 17. & habetur factum approbatum in ca. Spiritus Sanctus 1. qu. 1. ergo non requiritur seria, atque sincera Ministri intentio, atque adeo nulla. Confirmatur ex Augustino ajente: (*7. de Bapt. cont. Donatist. cap. 53.*) Si in baptismo totum ludicre, & mimice ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum ..... implorandum esse censerem: ergo quia non constat baptismum mimice, & ludicre collatum nullum esse, constaret autem, si ex Christi institutione seria, & sincera requireretur ad sacramentum Ministri intentio: ergo ex Christi institutione non requiritur. Ad argumentum distinguo minorem: ludens baptizavit, id est, inter ludendum baptizavit, concedo: ludens, id est, per ludum, aut jocum baptizavit, seu ficte, & simulate, nego. Quot enim ludentes pueri serio agunt, & non per ludum? Nam & jocando, aut ridendo facere, aut dicere verum .... Quis vetat? Unde Athanasius Episcopum se per ludum gerebat; sed non per ludum, sed serio quæ Episcopum facientem viderat, gerebat. Unde Divus Thomas: (*in 4. dist. 6.*) Dicitur quod puer Athanasius ludendo se gerens Episcopum, baptizavit quosdam, & judicatum est ab Alexandro Episcopo, ut non rebaptizarentur, quia inventum est, quod ipse intentionem baptizandi habuit. Quod patet etiam ex hoc, quia non baptizavit, nisi Catechumenos. Quæ responsio innititur ipsis verbis Sozomeni ajentis: Quum quæstioni instaret (Episcopus) confessi sunt .... quosdam pueros, qui nondum mysteriis initiati erant, ab eo fuisse baptizatos. His Alexander accurate interrogatis, quidnam illis dixisset, fecissetve ludi illius Episcopus, & quid ipsi respondissent, quidve edocti essent. Quumque omnia juxta Ecclesiasticum ordinem servata in illis esse deprehendisset, communicato consilio cum Sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos eos esse, qui in simplicitate divinam gratiam semel accipere meruissent. Ad secundam objectionem ex Augustino desumptam dicitur: Augustinum non requirere divinæ revelationis oraculum, ut sciamus, an Baptismus ficte, & ludicre collatum sit verum Sacramentum? Hoc enim omnes sciunt naturali lumine ducti, sed solum quando dubium est: an intentio Ministri, aut etiam suscipientis ludrica fuerit, aut seria, & nulla exstant indicia, ex quibus eorum intentio interna colligi possit, quod est diversissimum.

CO-

COROLLARIUM I.

22. Error Ministri in fide (*qu.* 64. *art.* 9.) extra materiam Sacramenti non vitiat Sacramentum, uti si is, qui baptizat, non credat Christum ex Matre Virgine natum, & tamen credat baptismum v. g. habere efficaciam ad salutem, talis enim infidelitas non impedit intentionem conferendi Sacramentum.

COROLLARIUM II.

23. Error in fide (*ib. ad* 1.) circa ipsam materiam Sacramenti non vitiat Sacramenti substantiam .... Licet enim credat, ut Lutherani, per externum Sacramentum solum excitari fidem suscipientis, nullum autem sequi gratiæ interioris effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi cæremoniam conferre Sacramentum. Unde non obstante infidelitate, potest intendere, & facere id, quod facit Ecclesia, quamvis existimet id nihil esse præter vanam, aut ridiculam cæremoniam, & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia Minister agit in persona Ecclesiæ totius, cujus fides supplet id, quod deest fidei Ministri, & est simile in Ministro, aut Legato Regio, Mandatorio, Notario, aut Procuratore, qui vere, & solenniter exequitur, & subscribit contractum pro Domino suo, quamvis ipse privata opinione putet contractum illum, aut negotium irritum, aut ridiculum esse, vel nullum effectum habiturum. Ratio autem utriusque Corollarii est, quia Minister in Sacramentis operatur instrumentaliter; instrumentum autem non agit in virtute propria, sed in virtute principalis agentis, qui in sacramentis est Christus. Sicut autem charitas, ita & fides sunt propriæ virtutes hominum. Unde sicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti charitas Ministri, ita nec ejus fides, & sicut improbi valide baptizant, aut consecrant, ita & infidelis, dummodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate Sacramenti, Sed Hæreticorum quidam (*ib. ad* 2.) alii non servant Ecclesiæ formam, & tales nec Sacramentum conferunt, nec rem Sacramenti. Alii autem servant Ecclesiæ formam, & tales conferunt Sacramentum; si tamen sint manifeste ab Ecclesia præscissi, non conferunt rem, aut effectum spiritualem gratiæ, sed hoc non ratione Ministri, sed ratione suscipientium, qui peccant communicando in sacris hujusmodi Ministro, . . . nisi forte per ignorantiam excusentur, tunc enim suscipient effectum Sacramenti, quamvis Minister conferendo, nisi in casu necessitatis, peccet. Unde explicatur illud Augustini, seu quis est author lib. de fide ad Petr. (*cap.* 36.) Nullatenus dubites, extra

Ec-

Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Similiter illud Leonis: (*Epist. ad Leon. August.*) in Alexandrina Sede omne cœlestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidialibus manibus omnia se subtraxere mysteria, scilicet, quantum ad rem Sacramenti, non autem quantum ad ipsum Sacramentum. Cyprianus autem, quamvis contrarium tenuerit, (*lib.* 1. *epist. ult.*) in hoc ejus sententia non recipitur ab Ecclesia Catholica. Aliorum PP. dicta similia, Ambr. Greg. &c. simili modo explicantur.

COROLLARIUM III.

24. Probitas, aut Sanctitas Ministri non est ad valorem Sacramenti necessaria, sicut sanitas Medici non est necessaria ad medicamenti efficaciam. Ratio est supra tacta in Cor. præced.

COROLLARIUM IV.

25. Perversa intentio Ministri (*qu.* 64. *art.* 10.) non vitiat Sacramentum, dum non sit circa ipsam substantiam Sacramenti. Potest enim perverti intentio dupliciter. Primo respectu ipsius Sacramenti, puta, quum aliquis non intendit serio Sacramentum conficere, sed ficte, aut derisorie aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue fit extrinsecus manifesta per materiæ, aut formæ corruptionem, vel per nutum, aut actionem aliam. Alio modo potest perverti intentio Ministri quantum ad id, quod sequitur Sacramentum, puta, si intendat baptizare fœminam, ut ea abutatur, & quia non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit, sed Minister ipse ex tali intentione graviter peccat.

26. Quis autem hominum sit proprius cujusque Sacramenti Minister, infra explicabitur. Nunc ubi in genere de Sacramentis disserimus, dicendum solum est, Sacramenti Ministrum ex institutione Christi (*qu.* 64. *art.* 7.) debere esse hominem, & non Angelum. Nam tota virtus Sacramentorum derivatur a passione Christi; passio autem non competebat Christo nisi secundum humanam naturam, cui in natura conformantur homines, & non Angeli, sed potius secundum humanas passiones dicitur (*Hebr.* 2.) modico ab Angelis minoratus. Et ideo ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare; non autem ad Angelos. Item quia potestatem conficiendi Sacramenta Christus non cuicumque rationali creaturæ, non Angelis, sed hominibus concessit dicens: (*Math.* 28.) docete omnes Gentes ba-

baptizantes eos. Et hoc facite &c. (*Lucæ* 22.) Accipite Spir. Sanctum &c. . . . (*Jacobi* 5.) Inducat Presbyteros Ecclesiæ &c. (*Eph.* 5.) Et ipse dedit quosdam Pastores &c. in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi, id est, Ecclesiæ. Unde (*Hebr.* 5.) omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituitur pro hominibus in iis, quæ sunt ad Deum. Hinc formæ Sacramentorum sunt sensibilia, & humana verba, non quæcumque, quas etiam Psitacus formare posset. Sciendum tamen, quod sicut Deus non ita virtutem suam alligavit Sacramentis, ut non possit sine Sacramento effectum Sacramenti conferre, ita etiam virtutem suam non ita alligavit Ecclesiæ Ministris, ut non possit Angelis tribuere potestatem ministrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli non possunt esse nisi veritatis nuncii, nec nisi secundum Dei placitum operari, ideo si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia constare deberet hoc factum fuisse voluntate divina. Si vero Dæmones, qui sunt spiritus mendacii aliquod Sacramentale ministerium exercerent, non esset ratum habendum, quia nec de jure ordinario eam potestatem habent, nec extraordinaria Dei delegatione eam habere possint, quum omnis cum illis societas, & commercium sit nobis prohibitum, & nulla sit conventio Christi ad Belial. Quod autem de Angelis, idem de homine extra statum viæ jam posito dicendum est.

27. Quoniam vero Subjectum suscipiens Sacramentum est officio Ministri correlativum; dicendum est I. Subjectum Sacramenti non esse posse, nisi hominem. Dicendum II. fidem suscipientis non esse necessariam, ut quis vere sacramentum accipiat. Non enim interest, ait Augustinus in 3. de Bapt., (*cap.* 14.) quum de Sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem, nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem, sicut fieri potest, ut integra teneat verba Symboli, & tamen non recte credat, sive de Trinitate ipsa, sive de Incarnatione &c. . . . (*in* 4. *dis.* 6. *q.* 6. *art.* 3.) Alio enim modo requiritur ex necessitate ad Baptismum, sine quo baptismi non imprimitur caracter, (3. *p. q.* 68. *art.* 8.) & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Non enim Sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, aut suscipientis, sed per virtutem Dei . . . . Unde etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa Sacramentum baptismi v. g., & ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi Sacramentum baptismi. Et tamen quamvis etiam circa ipsum Sacramentum

non recte sentiat, sufficit ad perfectionem Sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum v. g., sicut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit. Hæc cum Augustino D. Thomas.

SCHOLION.

28. Porro circa intentionem, cujus hic D. Thomas meminit, quum secundum diversas personas, & diversa Sacramenta diversa sit, non potest in universum hic disseri; quapropter in singulis Sacramentis opportunius dicetur.

29. Superest explicanda ultima definitionis particula, qua dicitur Sacramentum justitiam, & sanctitatem significare, & efficere, & significare quidem supra stabilitum est, nec Adversarii Protestantes ipsi inficiantur, uti ex dictis patet. Tria sunt ergo probanda. I. Sacramenta sanctitatem, & justitiam conferre. II. Eam conferre ex opere operato. III. Explicandum quomodo hæc conferant?

30. Et primum quidem aperte convincitur ex Scripturis quum novi præcipue, tum veteris Testamenti. Scriptum est enim: (*Math.* 3. *Luc.* 3. *&* *Joan.* 1.) Ego baptizo vos aqua, ille vos baptizavit in Spiritu Sancto: ergo tantum erat discrimen inter baptismum Joannis, & baptismum Christi, quantum inter aquam, quæ non potest abluere nisi corpus, & Spiritum Sanctum, sive Spiritum sanctificationis, qui potest emundare animam, & internam conferre Sanctitatem. Unde Paulus (*Act.* 19.) jussit baptizari in nomine Domini JESU eos, quos audivit jam fuisse baptizatos baptismo Joannis; at hoc necessarium non fuisset, nisi diversus esset effectus baptismi Christi a baptismo Joannis: baptismus autem Joannis ad significandam pœnitentiam, & excitandam fidem utiliter adhibebatur: ergo alium ab his effectum præstabat Christi baptismus, nimirum internam gratiam, qui est effectus proprius Spiritus Sancti. Item: (*Marc.* 16.) Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; sed nemo salvatur, nisi per gratiam fuerit a peccato mundatus, & Deo charus, ac divinæ naturæ consors factus: ergo. Idem patet ex illo: (*Joann.* 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei; sed (1. *Corinth.* 6.) nihil coinquinatum, neque adulteri, neque &c. regnum Dei possidebunt: ergo quia baptizati per aquam & spiritum Sanctum a peccatis mundantur. Quid Petrus? (*Act.* 2.) Pœnitentiam agite: & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Quid Ananias ad Paulum? (*Act.* 22.) Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius .... (*Eph.* 5.) Christus se ipsum tradidit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret. Sed quomodo? mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, id est, per baptismum.

Quod

Quod autem de Baptismo, ipsum de aliis nostris Sacramentis dicitur: (*Joan.* 6.) Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam .... (*Joan.* 2.) Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis .... (*ibid.*) Noli negligere gratiam, quæ data est tibi .... (1. *ad Tim.* 4.) cum impositione manuum &c.... (*Act.* 8.) Imponebant eis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum .... (*Jac.* 5.) Si in peccatis sit, remittentur ei. Matrimonium autem quomodo Christum, & Ecclesiam repræsentaret, nisi per aliquem spiritualem modum immaculatus thorus sanctificetur? quod est apud Paulum. (*Eph.* 5.)

31. Convincitur id ipsum secundo ex Prophetiis, & figuris veteris Testamenti, quibus apertissima novæ legis Sacramenta, & eorum effectus prænuntiantur. Scriptum est enim apud Isaiam: (*cap.* 1.) Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum, dicit Dominus. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, aut hircorum nolui.... Lavamini, mundi estote. Quasi dicat, ait Hieronymus: (*ibid.*) Pro superioribus victimis, & holocaustis, Evangelii mihi placet Religio, ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere, atque ita eum locum interpretantur Basilius, Theodoretus, & Cyrillus uterque ap. Bellarmin. (*lib.* 2. *de Sacr. cap.* 4) Scriptum est apud Ezechielem: (*cap.* 36.) Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum, quem locum de baptismo intellexerunt Hieronymus, Theodoretus, Cyprianus apud cit. Bellarm. Micheas, cap. 7., inquit Hieronymus, (*ep. ad Ocean*) de Baptismi gratia vaticinatur dicens: Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, quem sensum tenuit Rupertus in eum locum, & Augustinus in ps. 113. Scriptum est quoque apud Zachariam: (*cap.* 13.) Erit in die illa fons patens domui David, & omnibus habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, quem locum de baptismo accipiunt Hieronymus & Rupertus in commentario.

32. Figuram Baptismi primam, & antiquissimam fuisse, existimant Patres Spiritum Domini, qui ferebatur super aquas, (*Gen.* 1.) sive ut Hebraice habetur, *incubabat aquis*, quasi eis vim creatricem, & altricem tribuens, qua virtute sicut tunc animantia generavit, ita nunc per Spiritum Sanctum homines regenerat, quos ideo Tertullianus (*de Bapt.*) pisces appellat, quia ex aqua, & Spiritu Dei regeneratos. De quo Piscis nomine Augustinus in 18. de Civ. Dei, (*cap.* 23.) & Prosper in lib. 2. de prædictionib., (*cap.* 29.) nec non Optatus Milevitanus in 3. adv. Parmeni.

SCHOLION.

33. Ut hoc obiter dicatur, multum sudarunt nonnulli Scriptores & docti, & pii in explicando cur, Christus *Piscis* dicatur, & cur antiqui Christiani ad hoc significandum piscem supra ædium suarum fores sculpserint, aut depinxerint? Augustinus ait, in hoc nomine mystice intelligitur Christus, eo quod ex hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, id est, sine peccato esse potuerit. Sed hæc ratio longissime petita est, nec unquam in scripturis invenitur Christum Piscem vocatum, aut sub piscis figura adumbratum. Piscis ergo ab antiquis figuratus, non Christum signabat, sed hominem Christianum, sive ex aqua regeneratum, id est, baptizatum. Si autem aliquando sumitur pro Christo, quod solum, reor, habetur apud Hieronymum ajentem: (*Ep.* 43.). Bonosus tamquam ιχθυος filius aquosa petit. Ιχθυς autem Græce dicitur quod Latino *Piscis*, ut dicatur Bonosus piscis filius, quasi Christi filius, si autem, inquam, aliquando Piscis pro Christo sumitur, ratio non in natura piscis quærenda est, quasi piscis in re aliqua sit figura Christi, quod ex Scripturis non habetur. Nec etiam quærenda est ratio hujus mysterii in nomine quocumque Piscem significante, Latino, Gallo, aut Hispano, sed solum in nomine Græco Ιχθυς, nam hoc nomen, inquit Optatus Milevitanus, secundum Græcam significationem in uno nomine per singulas litteras turbam Sanctorum nominum continet. Igitur Christiani sculpebant, aut depingebant Piscem, non quia Piscis significatus per eam figuram Christum exprimeret, sed quia Piscis dicebatur Græce Ιχθυς. Quinque autem hujus nominis litteræ sunt initiales totidem verborum, quibus fidem de Christo protestamur. I enim est initium nominis Ιησυς, X est initium nominis Χρυσος, Θ est initium vocis Θευ, Y est initium nominis Υιος Σ est initium nominis Σοτηρ. His igitur vocabulis conjunctis hæc fit sententia

Ιησους Χρυσος Θευ υιος Σοτηρ.
Jesus Christus Dei Filius Salvator.

Ergo ne Christiani esse deprehenderentur persequutione grassante, non scribebant ea nomina, sed solum initiales litteras, ex quibus conjunctis resultat dictio Græca ιχθυς, quæ piscem significat, idemque esset, si aliud quicquam significasset. Quum vero illa Ακροστιχις intelligi potuisset, quippe quæ in Sybillinis versibus habebatur, ut est apud Ciceronem, (*in* 2. *de Divin.*) (licet significationem ejus nesci-

verit), pro initialibus illis litteris, earum significatum, id est, piscem sculpebant præ foribus, ut sicut alias per nomen res, hic e converso per rem significaretur nomen turbam sanctorum nominum continens, sive Christianæ fidei professionem. Componitur ea dictio ex initialibus Græcorum, quia in primis illis Ecclesiæ temporibus omnis sacra doctrina Græce tradebatur, unde Clemens, & Justinus, & Irenæus, quamvis Latini, Græce scripserunt, & hinc usque ad hodiernum diem in tota Ecclesia nomina *JESUS*, & *Christus*, non Latinis, sed Græcis caracteribus abbreviata scribimus IHS, Xρς.

34. Jam vero ex hoc, non prorsus injucundo diverticulo, ad viam redeamus. Diluvium, & Noemi Arcam figuram fuisse baptismi, tradit Petrus in 1. Epis. In arcæ enim pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod nos similis formæ salvos facit baptisma, non depositio sordium carnis, sed interrogatio bonæ conscientiæ in Deum; sed testimonium bonæ conscientiæ non habetur nisi per internam gratiam: ergo &c. Item Circumcisionem figuram fuisse baptismi, tradit Paulus ad Coloss. (*cap.* 2.) dicens: Circumcisi estis circumcisione non manu facta, nec circumcisione carnis, sed circumcisione Christi consepulti ei in baptismo; sed circumcisio non manu facta est spiritualis, & interna: ergo baptismus spiritualem, & internum effectum habet. Figuræ item fuerunt baptismi apud Patres transitus maris rubri, de quo Cyprianus, (4. *ep.* 7.) Augustinus, (*Tract.* 11., & 13. *in Joann.*) Hieronymus. (*Epist.* 83. *ad Ocean.*) Aqua ex petra scaturiens juxta eundem Paulum in 1. ad Corinth. (*cap.* 10.) Transitus Israelitarum per Jordanem, & lavatio Naaman in fluvio eodem apud Ambrosium ajentem: (*in* 4. *cap. Luc. &* 1. *de Sacr. cap.* 4.) Qui per hunc fontem transit, a terrenis transit ad cœlestia, a peccato ad vitam.

35. Tertio idem convincitur ex decisionibus Conciliorum. Nicœnum inquit, (*Edit. ab Alfonso Pisano in cap. de doctr. Bapt. ant.* 8. *c.*) aquam vides, considera Dei virtutem in aqua absconditam. Constantinopolit. (*in Symb.*) Credimus unum baptisma in remissionem peccatorum. Milevitanum: (*cap.* 2.) Parvuli ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Arausican. II. (*can.* 25.) Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia &c. Senonense, ubi Lutheri error de baptismo damnatur. Denique apertissime Florentinum, (*in Decreto.*) & Tridentinum. (*Sess.* 7. *in decreto, & Can.* 6. *&* 7. & 8.)

36. Quarto convincitur ex Patribus quum Græcis, tum Latinis. Justinus in Apolog. (*ad Antonin.*) Remissionem antecedentium peccatorum consequimur per aquam..... Lavacrum est, per quod peccata

cata abstergimus, ait Clemens Alexandrin., (1. *Pedag.*46.) & quia per hoc Sacramentum Nativitatis sordes deponuntur, ideo & parvuli baptizantur, inquit Origenes .... (*hom.* 14. *in* 2. *Luc.*) Mortuus quippe in aquam descendis; ascendis vivificatus in justitia, ait Cyrillus Hieros. (*Catech.* 3.) Est quippe in aqua gratia, non ex aquæ natura, sed ex præsentia Sp. Sancti, quod est apud Basilium lib. de Sp. Sancto. (*cap.* 15.) Etiam aqua, ait Nyssenus, (*lib. de Bapt.*) licet nil aliud, nisi aqua sit, superna gratia ei benedicente, in eam, quæ mente percipitur, regenerationem hominem renovat. Quod si dicas: Qua ratione aqua regenerat? Ostende mihi: Qua ratione semen generat?... Nimirum Spiritus Sancti operatione, inquit Cyrill. Alex. (2. *in Joan.cap.* 42.) aqua, qua corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem, & potentiam ..... Ante etenim solum dictum erat: Producant aquæ reptile animæ viventis; ex quo tamen Jordanis alveum ingressus est Christus, non reptilia, sed animas rationales, & spirituales aqua producit: Hæc, & multa alia similia Chrysostomus, (*hom.* 25. *in Joann.*) cui consonant Theophylactus, & Oecumenius, Theodoretus quoque, & Damascenus ap. Bellarmin. (2. *de Sacramen.* 6. & 7.) Ex Latinis profert idem Doctor verba Tertulliani, Cypriani, Syricii, Gaudentii, Lactantii, Silvestri Papæ, Ambrosii, Hieronymi, Optati Milevitani, Augustini, Gregorii. Leonis tamen verba pulcherrima (*Serm.*4. *de Nativ.*) prætermittere non possumus. Omni, inquit, homini renascenti aqua baptismatis est instar uteri Virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra Conceptio, hic mystica tollat ablutio..... (*Serm.* 5.) Dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem. His adde Isidorum, adde Fulgentium, adde Hilarium ab Suarezio citatum, (*q.* 62. *disp.* 7. *sect.* 1.) adde Bedam, adde Eusebium Emissenum, seu quis est author libri, aut homiliæ de Sacramentis, adde Bernardum in serm. de Cœna Domini, & vide qua fronte scripserit Melancthon: (*in Apoleg. art.* 13.) Neque ullam litteram ex priscis Scriptoribus proferri posse, quæ patrocinetur in hac re Scholasticis. Minus imperite, sed irreverentius Lutherus: (*lib. contra Cochlæum.*) Si qui sunt, ait, ex Patribus, qui senserint Sacramenta sua virtute justificare. Esto etiam Augustinus, nihil moror. Hominum sunt dicta, sibi ipsis sæpius pugnantium, & pleraque humano sensu extra Scripsuras docentium. Quid vero respondet Calvinus? Forte, inquit (4. *instit. cap.* 14. §. *ult.*) miseros Sophistas deceperunt immodica illa Sacramentorum Encomia, quæ apud veteres leguntur, quale est illud Augustini, quod vetera Sacramenta promittebant; nostra vero dent salutem. Has, & similes di-

dicendi figuras, quum non adverterent hyperbolicas esse, & ipsi sua hyperbolica dogmata promulgarunt.

37. Verum, bone Deus, si Patres Christi cum Patre consubstantialitatem prædicant, hyperbolice loquuntur apud Arianos; si Christi divinitatem, figurate loquuntur apud Nestorianos; si Spiritum Sanctum Deum vocant, improprie loquuntur apud Macedonianos; si meritum sanctæ Virginitatis extollunt, si bonorum operum necessitatem asserunt, si voluntariam paupertatem, aut obedientiam laudant, immodica sunt eorum encomia apud Jovinianum, Vigilantium, Lutherum, & suos; si sacrificii veritatem, atque virtutem, si Christi in Eucharistia præsentiam, si numerum Sacramentorum assignant, si eorum efficaciam commendant, hyperbolice, figurate, improprie, immodice loquuntur apud Lutherum, Calvinum, Zuinglium; si Episcoporum supra Presbyteros dignitatem, & jurisdictionem docent, si Sanctæ Deigenitricis, & Sanctorum invocationem, & cultum promovent, immodici sunt; si Romanæ Ecclesiæ, si Romani Pontificis potestatem, & jurisdictionem tuentur, eorum dicta ampullata, ventosa, hyperbolica, turgida sunt apud Febronium. Quodnam est igitur dogma Catholicum, in quo Patres proprie, & non figurate, aut hyperbolice loquuti fuerint? Quodnam, in quo ex eorum omnium dictis, ac sententiis, tanquam Ecclesiæ Catholicæ testibus firmum argumentum in re Theologica desumi possit? Cur & ipsi Patres allegant, & cum ipsis se loqui, & sentire passim gloriantur?

38. Statutum ergo, sanctumque sit, novæ Legis Sacramenta sanctitatem, & justitiam non significare solum, quatenus fidem ipsam spiritualium rerum in nobis excitant per modum concionis, sed reapse conferre, atque in nobis efficere. Conficere autem, & conferre non ex opere operantis, sed ex opere operato. Abominantur hanc dictiunculam Lutherus, Calvinus, Kemnitius, barbaram, & monstrosam, ac magicam vocem appellantes. Et barbaram quidem, aut proprius solœcam vocem esse, non diffitemur. Sed barbare quandoque in sacris loquendum esse, & Zoroaster dixit. Unde Augustinus, quum ossum ossi dixisset, (*in ps.* 138.) melius est, inquit, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi. Quod si magis Latine dictum velint, dicemus Sacramentum conferre gratiam ex ipso opere, aut virtute ejus operis, quod fit, non attenta fide, probitate, aut recta, vel iniqua intentione facientis, & conferre eam gratiam infallibiliter, dummodo obex non ponatur ex parte suscipientis. Magicam autem vocem non esse, patet ex ipsis Luthero, Calvino, & Kemnitio, qui quum calumniari, & irridere noluerunt, eam vocem satis apte explicari cognoverunt, & ipsimet explicuerunt. Arbitrati sunt alii, ait Lutherus, (*lib. de captiv. Babilon. cap. de Baptism.*)

es-

esse aliquam virtutem occultam, & spiritualem in aqua, & verbo; quæ operetur in anima recipientis gratiam Dei. Sed alii contra dicunt nihil esse virtutis in Sacramentis, (nimirum per se consideratis) & gratiam a solo Deo dari, qui assistit ex pacto Sacramentis a se institutis. Sed omnes conveniunt, sacramenta esse efficacia signa gratiæ. Kemnitius ait: (*2. p. Exam. cap. de oper. operat.*) Scholasticos aliquos, nimirum, Gropperum, & Alphonsum, dicere, nihil aliud se velle in disputatione de opere operato, quam Sacramenti veritatem non esse ex Ministri operantis dignitate, & merito æstimandam, sed ex Dei authoris institutione, potentia, & voluntate, atque operatione. Mox subdit: Si hoc vellent Pontificii, quando de opere operato disputant, quoniam vera sententia est, nulla esset controversia. Sed nec olim, ait, hoc senserunt Scholastici, nec id modo volunt Pontificii, sed longe aliud monstrum sub exoticis illis verbis alitur, & Ecclesiæ obtruditur.... Nimirum fingunt, inquit Calvinus, (*in Antidoto sess. 7. cap. 5.*) subesse vim Magicam Sacramentis, quæ sit extra fidem efficax.... Pontificii, inquit Kemnitius, (*in 2. p. Exam. pag. 125.*) defendunt opinionem operis operati, quod scilicet per Sacramenta conferatur utentibus gratia, ut non requiratur bonus motus interior in suscipiente. Sed hi sibi fingunt hostem, quem feriant. Non enim excludimus bonum motum interiorem omnem a suscipiente, sed solum bonum motum, qui sit aut de congruo, aut de condigno meritorius gratiæ sacramentalis, seu illius gratiæ, quæ per Sacramentum confertur, ut se ipsum explicat Gabriel, (*in 4. di. 1. q. 3.*) ex quo omnium Scholasticorum opinionem desumere vult Kemnitius. Porro Sacramenta conferre suum effectum independenter a merito, probitate, aut recta intentione, & fide Ministri conferentis, & independenter ab dispositione positiva suscipientis, supra probatum est, & de singulis sacramentis infra probabitur. Operantur igitur Sacramenta ex opere operato, quod ab Tridentino definitum est, (*Canon. 8.*) & erat secundo loco probandum.

39. Explicandum autem superest, quomodo Sacramenta conferant gratiam, quod non jam ad Catholicum dogma, sed ad Scholasticas opiniones spectat, in quibus, salva fide, dissentire possunt. Nihil est autem, de quo tantopere, non indocti solum, sed etiam docti dissentiant, inquit Canus. (*Relect. de Sacram. in gener. part. 4.*) Conveniunt porro omnes Scholastici, quod Sacramenta contineant gratiam, & efficiant, ut Florentinum Concilium loquitur. Conveniunt secundo, Sacramenta non esse causam principalem gratiæ; sed solum instrumentalem. Causa enim gratiæ non est nisi Deus, ut supra ostensum est. Ut autem dogma Catholicum salvetur, vel dicendum est, esse instrumentalem causam in genere causæ efficientis physice, aut in ge-

ne-

nere efficientis moralis. Thomistæ pro virtute instrumentali physica pugnant; pro morali efficientia stant Scotus, Durandus, Canus, & novissime Tournelius, & Antoinius. Tam ii vero, qui physicum, quam qui moralem influxum tuentur, in diversos abierunt explicandi modos, quibus omissis, qui apud citatos authores videri possunt, quærenda est potissimum sententia D. Thomæ. (3. *p. q.* 62. *art.* 1.) Hic autem I. ostendit in genere, Sacramenta novæ legis gratiam per aliquem modum causare. Per sacramenta enim incorporamur Christo, & mysticum ejus corpus efficimur; non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam: ergo &c. II. aliorum sententiam moralem solum influxum tuentium, sententiam impugnat dicens: Sed dicunt quidam, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, (nimirum per physicum influxum,) sed quia Deus Sacramentis adhibitis, gratiam operatur, & ponunt exemplum de eo, qui afferens denarium plumbeum, vel subscriptionem, aut sigillum regium, accipit centum libras ex Regis ordinatione, non quod numisma illud aliquid operetur ad accipiendam illam pecuniæ quantitatem; sed sola voluntas Regis statuentis, ut afferenti numisma illud tantum pecuniæ detur. Unde & Bernardus dicit in quodam sermone de Cœn. Domini, quod sicut investitur Canonicus per librum, & Abbas per baculum, sic divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam numisma illud non est nisi quoddam signum Regiæ voluntatis de hoc, quod pecunia ab isto recipiatur. Similiter liber, aut baculus sunt quædam signa, quibus denotatur traditio Canonicatus, aut Abbatiæ. Secundum hoc igitur Sacramenta novæ legis nil aliud essent, quam signa gratiæ, quum tamen ex multis SS. authoritatibus (supra allatis) habeatur, quod sacrificia novæ legis non solum significant, sed causant gratiam. III. statuit D. Thomas veram causalitatem, & physicam sacramentorum dicens: Et ideo dicendum, quod duplex est causa agens, principalis, & instrumentum. Prima operatur in virtute suæ formæ, cui evadit similis effectus, sicut ignis suo calore calefacit, & hoc modo non est causa gratiæ nisi Deus, per quem homo fit particeps, & consors divinæ naturæ. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per modum, quo movetur a principali. Unde effectus non evadit similis instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta novæ legis causant gratiam. Adhibentur enim ex divina ordinatione ad gratiam in hominibus causandam. Deinde in responsione ad secundum explicat quomodo idem Sacramentum esse possit causa, & signum, quod contra recentiores Hæreticos militat. In responsione autem ad tertium ex-

exponit, quomodo Sacramenta, sicut instrumenta alia per propriam operationem abluendi, urgendi &c. quam circa corpus exercent, efficiunt operationem instrumentalem divina virtute supra animam. In artic. 4. ejusdem quæst. respondendo ad primum, explicat quomodo virtus spiritualis potest esse in re corporea non permanenter, & complete, sed transitorie, & incomplete, sive ut instrumento, quod exponit exemplo vocis sensibilis, quæ licet sit quid corporeum, & materiale, habet tamen quandam vim spiritualem, per quam excitat intellectum audientis, quatenus procedens ab conceptione mentis. Sicut enim vox *lignum* non significat nisi ex hominum placito, tamen ea conventione, & placito inter homines posito, vox illa per sonum sensibilem spiritualem attentionem excitat, & similem ei, ex qua procedit, ideam in mente audientis generat, quamvis non immediate. Ibidem ad quartum explicat quomodo plura instrumenta, quum ad unum effectum assumuntur, eadem virtute operantur, sicut homo movet manum, & manus baculum, & baculus ignem. Ita eadem virtus Christi authoris Sacramentorum operatur & in Ministro, & in rebus, & verbis Sacramentorum, & in anima suscipientis. Ex quibus omnibus patet, D. Thomam tribuere Sacramentis veram, & physicam efficientiam per modum instrumenti. Quam sententiam Estius (*in* 4. *d.* 1.) putat Scripturæ, & Patrum dictis, ac Sacramentorum dignitati magis consonam, sed intellectu difficilem, & per quam non videatur contrariis argumentis plene satisfieri. Unde & ipsi D. Thomæ discipuli diversimode opinati sunt.

40. Pro cujus rei intellectu notandum est I. ex Bellarmino, (*de Sacramen. cap.* 11.) multum interesse inter instrumenta, quibus Deus, & quibus homines utuntur. Nam I. homo, ut operetur per instrumentum extra se positum, indiget & illud applicare sibi, & illud applicare operi, ut accipere manu ferrum, & illud applicare ligno. Prima autem illa applicatione Deus non indiget, quum sit rebus omnibus intimus, ut in 1. (*prop.* 15.) ostensum est. II. homo indiget, ut instrumentum aptum sit ad opus intentum, quia virtus humana juvatur instrumento ad id faciendum, quod per se solam non potest, sicut ferro acuto ad scindendum; virtus autem divina non juvatur instrumento, quum per semet omnia possit. Unde nec requirit in instrumento aptitudinem. Unde instrumentum humanum aliquid ex propria virtute ad operationem confert, ut pondus in martello, acies in ferro &c. Inde homo non potest uti re qualibet ut instrumento ad opus quodlibet, nec uti instrumento, nisi quod aliquomodo tangat rem ipsam, circa quam operatur.

41. Notandum maxime II. Causam physicam non solum dici illam, ex qua immediate sequitur effectus, sed etiam illam, quæ appli-

cat

cat causam tali modo, ut effectus consequatur. Unde dicitur causa curationis Medicus, qui applicat medicamentum, & causa mortis, qui venenum porrigit, & causa combustionis, qui ignem admovet ligno, atque id generis sexcenta. Quibus positis, & luce clarioribus, Christus est causa physica Sacramentorumm, & sicut agens primario, tanquam verus Deus, & tanquam instrumentum Deo conjunctum, quatenus homo, per quem omnia Deus bona creat, benedicit, & præstat nobis. Instituit ergo Sacramenta, & gratiam, ac dona supernaturalia non solum meruit, ut iis alligarentur, sed etiam alligavit per semet dicens: (*Marc.* 16.) Qui baptizatus fuerit, salvus erit... (*Joann.* 20.) Quorum remiseritis peccata.... (*Joann.* 6.) Qui manducat meam carnem &c. Potestatis autem hujus partem Christus communicavit Ministris per inamissibilem potestatem, quam *Caracterem* appellamus, de quo postea. Ministri igitur non morales, sed physicæ sunt Sacramentorum causæ, sed eadem est virtus per quam minister operatur, & conficit Sacramentum, atque ea, per quam Sacramenta operantur in anima, nimirum virtus Christi, quum sint instrumenta ad unum finem ordinata, & alia subordinata alteri, quæ ab eodem agente moventur. Unde sicut Sacramenta, ipsi etiam Ministri dicuntur mundare, abluere, sanctificare, remittere peccata, dare Spiritum Sanctum &c. ergo efficacia, & efficientia Sacramentorum est efficientia instrumenti realiter, & physice, ac non solum moraliter operantis.

42. Sed quomodo Sacramentum, quum sit quid corporeum, & sensibile, operari potest effectum mere spiritualem, & in anima pure spirituali? Respondeo, Sacramentum non esse solum corporeum elementum, & sensibilia verba, quæ non possunt illabi animæ, nec producere effectum aliquem mere spiritualem, sed complexum quoddam ex rebus sensibilibus, quibus divina virtus alligata est ex merito Christi, & voluntate Dei: ergo, qua corporeum est, operatur in corpore, & est signum spiritualis effectus; quatenus autem habet virtutem Dei adnexam, operatur in anima, & est causa instrumentalis effectus divini, & spiritualis, qui ex virtute ei conjuncta, atque adnexa procedit. Nec repugnat hujusmodi complexum ex re materiali, & spirituali, ut patet in homine ex anima, & corpore constante, neque ex divino, & corporeo, ut patet in Christo. Unde ad rem D. Thomas: (*art.* 5.) Sicut in ipsa persona Christi humanitas est causa (non solum meritoria, sed etiam effectrix salutis nostræ per gratiam virtute divina eidem ut instrumento conjuncto principaliter operante, ita etiam in Sacramentis, quæ derivantur a Christo, causatur gratia instrumentaliter quidem per ipsa Sacramenta, sed principaliter per virtutem Spiritus Sancti, qui (ex pacto assistit) & in eis

 ope-

operatur. Unde Concilium Florentinum aptissime dixit: (*loc. cit.*) Sacramenta nostra gratiam continere, & conferre, quod de causa pure Morali proprie dici non potest. Non enim effectum aliquomodo continet, quamvis aliquomodo conferat, atque efficiat. Præterea non opus est, ut instrumentum per suam operationem attingat immediate effectum proximum principalis agentis per virtutem suam activam, sed solum per virtutem applicativam, nam baculus, per quem a manu applicatur ignis, non attingit ad effectum combustionis, nec eam producit, sed ignem applicat, qui propria virtute comburit. Igitur nec Sacramenta per virtutem activam producunt gratiam, sed eorum immediatus effectus est applicare nobis passionem, & merita Christi, quibus in nobis gratia producitur. Sunt enim non fontes, ex quibus gratia scaturit, sed canales, per quos haurimus gratiam ex fontibus Salvatoris. Et sicut baculus non comburit lignum, est tamen causa physica instrumentalis combustionis, quia ignem applicat, ita Sacramenta, quamvis non producant gratiam, sunt tamen physicum instrumentum, per quod virtus passionis Christi nobis applicatur, unde gratia ad nos derivatur. Actio ergo Sacramentorum applicativa est causæ, non productiva effectus, atque adeo non opus est esse ejusdem generis, nec ullo modo proportionatam effectui in genere naturæ. Hæc tamen clarius patebunt ex solutione argumentorum.

43. Opponuntur enim I. multa loca Patrum, qui sæpe tribuunt soli Deo omnem internum effectum Sacramentorum. Nam remissio peccatorum, inquit Cyprianus, (*Serm. de Baptism. Christi.*) sive per baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet, & similia. II. Justificatio est majus opus creatione, ut ab Augustino dictum est; (*tr. 72. in Joan.*) sed nulla creatura esse potest instrumentum creationis, ut cum D. Thom. (*lib. 5. prop. 2.*) dictum est: ergo nec justificationis. III. Gratia producitur per actionem creativam; sed creare, etiam sicut instrumentum, nulla creatura potest: ergo &c. IV. Sacramentalis actio est successiva, & transiens: ergo in nullo tempore est tota: ergo in nullo momento operatur: justificatio autem in aliquo tempore fit, & fit in momento: ergo &c. V. Vel est in Sacramentis virtus aliqua divinitus superaddita, vel non? Si secundum, Sacramenta nullo modo possunt conferre gratiam supernaturalem, ut per se patet. Si primum: vel illa virtus est quid corporeum, vel spirituale? Si corporeum quid, non potest agere in rem spiritualem, qualis est anima, nec rem spiritualem producere, qualis est gratia. Si est virtus spiritualis, non poterit esse in subjecto corporeo, quale est Sacramentum. VI. Illa virtus, quæcumque sit, vel erit in verbis, vel in rebus, vel in utroque? Si in verbis: ergo Eucharistia sumpta non confert

fert gratiam. Si in rebus tantum, cur adhibentur verba? In utroque autem esse non potest, quia idem accidens in duplici subjecto esse non potest, vel erunt duæ virtutes in eodem Sacramento saltem partiales, non autem virtus passionis Christi partim hic, partim illic esse potest. Item VII. Nec esse potest tota illa virtus in qualibet parte Sacramenti, quia tunc non penderet a subjecto, nec esset accidens: nec pars esset in una parte, & pars in alia, quia tunc non esset virtus spiritualis, sed corporea, & divisibilis: ergo virtus illa superaddita nullo modo explicari potest, aut intelligi. Hæc autem partim explicata jam, & præoccupata sunt, partim ex dictis explicari satis congruenter possunt, præsertim si supponamus res, & operationes supernaturales non esse ad qualitates, causalitates, compositiones, & genera reducendas juxta regulas, & Naturalis Philosophiæ principia. Nam quis etiam sensibilium multorum, & patentissimorum effectuum, ut vis centripetæ, aut magneticæ explicationem commodam invenit? Quare inter prima, non solum Theologi, sed etiam sani, & prudentis Philosophi elementa, hoc Augustini postulatum ponendum est, (*Epist.* 3. *ad Volusia.*) uti demus Deum aliquid posse, quod humana ratio investigare non possit... Ad primum ergo dicendum, eosdem Patres, qui effectum omnem Sacramentorum soli Deo tribuunt, alibi etiam Sacramentis, etiam Ministris tribuere. Dicunt enim, Ministros absolvere, remittere peccata, esse dispensatores gratiæ, & mysteriorum Dei, dare Sp. Sanctum, conficere corpus Christi &c. atque item per baptismum, & Sacramenta cætera conferri gratiam, vitam æternam, salvos nos fieri &c. Omnia hæc igitur vera esse oportet, & vera quidem sunt, si intelligantur de diverso genere causarum, Principalis scilicet, quæ solus Deus est, Ministerialis, & Vicariæ, quæ est Sacerdos, & Instrumentalis, quæ sunt Sacramenta, sicut hostium debellatio, & victoria tribuitur Regi, & Exercitus Imperatori, & Militibus. Ad II. dicendum, Augustinum non dicere justificationem esse majus opus creatione simpliciter, sed esse opus majoris misericordiæ. Vel distingui potest major: est majus opus ex parte rei productæ, quæ est participatio divinæ naturæ, concedo; ex parte modi producendi, nego. Ad III. negatur major. Nam Gratia est accidens, nullum autem creatur ex nihilo, non enim est, sed inest, unde fit solum ex potentia subjecti, aut naturali, aut obedientiali. Ad IV. eam cavillationem Sophisticam ab omnibus esse solvendam, nam in omnibus rebus, quæ successione quadam perficiuntur, vim habet, unde circa motum eam derisisse, dicitur Democritus. Nam quando oratio a me prolata in mente tua generat notitiam? Nempe, dices, tum quum sensum perfectum reddit per extremorum verborum prolationem. Sic ergo per extremorum verborum prolationem Sacramentum completur, & si-

mul

mul dum completur, operatur. Deinde actio Sacramentalis intelligi potest dupliciter: nam vel intelligitur per actionem Sacramentalem ea, qua Sacramentum conficitur, & hæc successiva est, aut ea, qua Sacramentum operatur, & hæc non successiva, sed instantanea est, sicut licet prolatio verborum orationis successiva sit, tamen ejus operatio in mente audientis momentanea est. Ad V. jam supra dictum est ex D. Thoma, non repugnare rem sensibilem agere in spiritum per virtutem non rei inhærentem, aut in ea receptam, sed per modum motus transeuntis, sicut vox sensibilis, quatenus operatur vi verbi mentalis, operatur in mente audientis. Ad VI. dictum jam est ex eodem D. Thoma, quod quum plura instrumenta ordinantur ad eundem effectum, omnia eadem virtute principalis agentis operantur, sicut manus, & baculus eadem motione moventur. Eadem enim vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad aliquem effectum, quatenus sunt unum ordine quodam. Et ita eadem virtus sacramentalis invenitur in verbis, & in rebus prout ex verbis, & rebus unum perficitur Sacramentum, sicut in baculo, & manu, & igni idem invenitur motus voluntatis, a qua omnia hæc ad eumdem effectum ordinantur. Quod autem unum accidens non possit esse in duplici subjecto, bene dictum est de accidente permanente, & inhærente, non de transeunte, & extrinsecus movente. Nam eadem vis motrix potest in diversis operari. Unde patet responsio ad septimum.

44. Opponitur item. In eo, qui ficte baptismum suscipit, aut Ordinem, obice fictionis recedente, Sacramentum reviviscit, & effectum gratiæ operatur, ut habent communiter Theologi; sed tunc Sacramentum physice non est: quod autem physice non est, nec physice operatur: ergo Sacramenta non physice, sed solum moraliter operantur. Hoc tamen diluitur facile. Major enim non est vera in omnibus Sacramentis, sed solum in iis, quæ iterari non possunt, quæ propterea dicuntur imprimere caracterem. Ideo autem hæc reviviscunt, quia caracter ab iis relictus manet in anima, unde etiam manet in anima Sacramentum, non solum moraliter, sed etiam in effectu suo aliquo, qui deinde, obice amoto, operatur. Secundo respondeo, tunc Sacramentum non operari nisi moraliter, non inde tamen sequitur, Sacramentum, quando est præsens, operari solum moraliter, quod intenditur. Nam vulnus incussum physice operatur mortem, quamvis vulnus idem apprehensum, non physice, sed moraliter hominem occidere possit.

45. Opponitur III. Antiquitus ante Christum fuerunt etiam Sacramenta; sed gratiam nullam conferebat: ergo conferre gratiam non est effectus Sacramentorum. Explico hoc consequens: ergo conferre gra-

gratiam non est effectus Sacramentorum novæ legis, nego; non est effectus Sacramenti in genere, concedo. Unde in definitione Sacramenti ut sic, non diximus: *gratiam internam significans, & efficiens*; sed *sanctitatem, & justitiam significans, & efficiens*, quod etiam in antiquis Sacramentis verum est. Significant enim justitiam, & sanctitatem legalem, & externam in suscipientibus, quod ad rationem Sacramenti sufficit. An autem justitiam etiam internam, sive gratiam spiritualem contulerint, mox dicetur. Et hæc quidem pro D. Thomæ sententia exponenda dicta sint. Dogma tamen fidei in Scoti sententia non minus solide, & plane, immo planius fortasse explicatur per meram causalitatem moralem, quatenus ad præsentiam Sacramenti Deus ex pacto, aut promissione se ad conferendam suscipienti gratiam misericorditer obligaverit.

46. Præter hunc autem effectum novæ legis Sacramentis omnibus communem, est & alter aliquorum proprius, de quo propterea in generica Sacramenti definitione meminisse, non oportuit, oportet autem hic explicari, & probari, quoniam non unius singularis, sed aliquorum Sacramentorum effectus est, atque adeo ad Tractatum de Sacramentis in genere spectat. Dicendum est autem I. Per aliqua Sacramenta relinqui caracterem in suscipiente. Colligi id potest I. ex nonnullis Scripturarum loquutionibus. Scriptum est enim: (2. *Corinth. cap.* 1.) unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. . . . (*Eph.* 1.) Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis . . . . (*cap.* 4.) Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis. Ex quibus Dionysius, seu quis est author lib. de Eccl. Hierarch., (*prop.* 3.) de homine baptizato: Huic Deus lucem suam perinde quasi signum aliquod tradit . . . . Nam sub se militantibus dat tesseram, inquit Basilius. (*orat.* 13.) Quomodo enim vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnoverit signaculum? Idem baptismum vocat signaculum inviolabile, sicut & Nazianzenus orat. in Sanct. lavacr. Nam & Israelitæ signati sunt, sed circumcisione carnis, ut pecora, nos autem ut filii, signati sumus Spiritu Sancto, ait Chrysostomus. (*hom.* 2.) in ep. ad Ephes. Epiphanius quoque Baptismum signaculum Christi vocat, (*hær.* 30.) per quem circumcidimur a peccatis, (*hær.* 8.) & obsignamur in nomine Domini. Ambrosius in 1. de Sp. Sancto: (*cap.* 6.) Spiritu, inquit, signamur, ut splendorem, & imaginem ejus, & gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum. Augustinus primus, ut reor, caracteris vocem induxit, de qua multis in locis, nam in 6. de bapt. (*cap.* 1.) Caracterem, inquit, Dominicum a fallacibus deprædatoribus acceperat, quem in venientibus ad Christianæ unitatis salutem agnosci potius opor-

oportuit, quam improbari. Alia ejusdem loca citat Bellarminus, (2. *de Sacr. cap.* 21.) apud quem in eandem sententiam Damascenum, Theophylactum, Oecumenium, Theodoretum, Haimonem, Bedam, Anselmumque citatos invenies: Signaculum sanctum, & indelebile. Denique id apertissime definierunt Concilia Florentinum, (*in Decreto.*) & Tridentinum dicens: (*Sess.* 7. *can.* 9.) Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis non imprimi caracterem in anima, id est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. Et confirmari potest hoc ratiocinio D. Thomæ: (*Qu.* 63. *art.* 1.) nam Sacramenta ad duo ordinantur, videlicet, ad purgandam a peccatis animam, quod faciunt per gratiam, & ad perficiendum hominem circa ea, quæ ad cultum Dei spectant secundum ritum vitæ Christianæ. Quicumque autem ad certum aliquod munus, aut professionem vitæ deputatur, consuevit aliquo modo consignari, & insigniri, ut servi, & antiquitus milites. Hujus autem caracteris tria sunt officia, nimirum, facere hominem ad ea, quæ sunt divini cultus, configurare illum Christo, atque adeo illum discernere ab aliis, qui imaginem Christi in se non habent, aut ad ea, quæ ad divinum cultum pertinent, idonei non sunt, & ab hoc effectu dicitur caracter, quasi nota, aut signaculum, quo alii homines ab aliis discernuntur, sicut signaculum justitiæ fidei dicitur a Paulo (*Rom.* 4.) circumcisio, quia per illam Judaica gens, veluti per quandam fidei, & divini cultus protestationem, a Paganis discernebatur.

47. Porro (*qu.* 63. *art.* 2.) Sacramenta caracterem imprimere dicuntur, quatenus per ea homo in perpetuum deputatur ad cultum Dei juxta ritum Christianæ Religionis. Unde ab aliquibus definitur: Signum sanctæ communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum ab Hierarcha. *Signum sanctæ communionis dicitur*, quatenus est protestatio quædam communis, & Catholicæ fidei: *sanctæ ordinationis*, quoniam per Sacramenta accipitur facultas non solum Sacramenta suscipiendi, quod fit per baptismum, qui propterea dicitur *Janua Sacramentorum*, sed etiam facultas, & robur ad eadem tuenda, quod fit per Confirmationem, & facultas ad ea aliis dispensanda, quod fit per Ordinem. Unde dicitur in 2. de Eccl. Hierarch. (*cap.* 2.) Deum in quodam signo tradidisse sui participationem accedenti ad baptismum, faciens eum Divinum, & communicatorem divinorum. Divinus quippe cultus consistit vel in recipiendo aliquid divinum, vel in tradendo aliis divina. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia, quæ non inest naturaliter homini. Nam ad tradendum aliis requiritur potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Caracter igitur importat potentiam quandam spiritualem ordina-

natam ad ea, quæ sunt divini cultus. Hæc autem potentia instrumentalis est. Non enim homo est primum agens, nec in Sacramento, quod recipit, nec in Sacramento, quod confert, sed hoc ei solum competit, quatenus Minister Dei est. Minister autem est quoddam instrumentum, ut habetur in 1. Politicor. Et ideo sicut virtus Sacramentorum non est in genere, aut Cathegoria aliqua per se, sed per reductionem, eo quod est quoddam fluens, & incompletum, ut supra dictum est, ita caracter non est in aliquo genere, specie, aut prædicamento, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis. Confirmatur. Nam ut habetur in 2. Ethic. tria hæc solum in anima inveniuntur, nimirum, aut Potentia, aut Habitus, aut Passio. Caracter autem non est passio, nam hæc cito transit; caracter autem est quid permanens, ut mox dicetur. Nec item est habitus, nam habitus non est indifferens ad bonum, & malum, unde habitu bono nemo male utitur, & habitu malo nemo utitur bene; inclicat enim, & producit solum actus similes sibi; sed caracter est ejus naturæ, ut possit homo eo bene, aut male uti, sicut patet in potestate consecrandi: ergo caracter non est habitus. Superest ergo ut reducatur ad genus potentiæ. Confirmatur item. (*ib. ad* 1.) Nam in quarta specie qualitatis ponitur forma, aut figura. Hæc autem non dicuntur proprio nisi de re corporea; de caractere autem spirituali solum improprie, & metaphorice; sed nihil ponitur in prædicamento, nisi per illud, quod de eo proprie prædicatur: ergo caracter non pertinet ad quartam speciem qualitatis. Nec ad tertiam, (*ib. ad* 2.) quia ad hanc pertinent secundum Philosophos qualitates sensibiles, ut lumen, calor &c. caracter autem non est quid sensibile: ergo. Similiter nec ad primam, ostensum est enim, caracterem non esse habitum, aut dispositionem, quæ ponuntur in prima specie qualitatis. Superest ergo, ut reducatur ad secundam speciem qualitatis, in qua sunt potentia, vel impotentia. Nec dici potest caracterem esse solum relationem, aut denominationem mere extrinsecam, qualis est denominatio Legati, aut Magistratus, qui talem, aut talem caracterem gestare dicuntur, quod Scotus voluit. Nam relatio, quæ importatur in nomine Signi, oportet, inquit D. Thomas, (*ad tertium*.) ut super aliquo fundetur. Relatio autem hujus signi, quod est caracter, non potest fundari immediate super Essentiam animæ, quia sic conveniret naturaliter omni animæ: ergo oportet fundari super aliquo, quod est in hac anima, & non in illa, sive oportet poni aliquid in anima, super quo fundetur talis relatio, & hoc est caracteris essentia. Porro super hac quæstione multum inter se digladiantur Suarez, Vasquez, & multi Recentiorum, & ex antiquioribus Durandus, Scotus, Gabriel. Sed non oportet, ut ipse Durandus loquitur, in explicandis fidei dogma-

tibus inire vias obscuras, quæ plus habeant difficultatis, quam principale propositum. Nec oportet multum laborare in modis, aut qualitatibus superadditis inveniendis, per quas supernaturales Dei operationes ad Philosophorum Cathegorias, & Prædicamenta accommodentur. Dogma est: Per Sacramenta aliqua imprimi caracterem. Quomodo hæc impressio fiat, quid caracter ille sit, D. Thomas etiam ad rudissimi cujusque captum rem omnem explicuit dicens: (*art.* 3. & 4.) Caracter est Potestas a Deo supernaturaliter data hominibus ad divina suscipienda, aut ea aliis tradenda. Quæ, quia datur ita, ut amitti non possit, dicitur animæ imprimi, sive indelebiliter insculpi.

48. Amitti autem non posse planum est.... (*qu.* 63. *art.* 5.) Nam sine pœnitentia sunt dona, & promissa Dei. Nihil enim (*Sap.* 11.) odit eorum, quæ fecit. Unde nulla creatura destruitur nisi vel per destructionem subjecti, aut causæ, vel agentis, a qua producitur, & ad exigentiam alicujus contrarii prævalentis; sed caracter spiritualis non habet contrarium, nec anima, quæ est ejus subjectum, aut Deus, qui est ejus causa, deficere potest: ergo &c. Confirmatur. Nam impressio caracteris est quædam consecratio, seu deputatio creaturæ rationalis ad divinum cultum; sed quæcumque res Deo consecratæ, ac deputatæ, tandiu retinent consecrationem, quamdiu non destruuntur, ut templum, aut Altare, vel calix, anima autem rationalis, quæ est subjectum caracteris immortalis est, ut alibi (*lib.* 6. *prop.* 3.) ostendimus: ergo caracter in ea susceptus est indelebilis. Et hanc rationem attulit D. Thomas. Conclusio autem definita est in Conc. Florentino, & Tridentino.

COROLLARIUM I.

49. Sacramenta, qua imprimunt caracterem, repeti non possunt. Non enim ratione gratiæ. Nam hæc potest haberi per alia Sacramenta, baptismo v. g. indigne, sed valide suscepto. Non ratione caracteris, quia hic jam habetur baptismo semel valide suscepto. Potestas autem in re eadem ad eundem effectum plusquam una esse non potest.

COROLLARIUM II.

50. Caracteris subjectum (*qu.* 63. *art.* 4.) non est substantia animæ, sed ejus potentiæ. Caracter enim est potestas data ad suscipienda, vel aliis tradenda ea, quæ spectant ad divinum cultum; sed divinus cultus in quibusdam Religionis actibus consistit; quod autem ordinatur ad actum sunt potentiæ animæ, non ejus Essentia. Nihil enim ope-

operatur per suammet essentiam nisi Deus, ut (*lib.* 1. *prop.* 12.) dictum est: ergo caracteris immediatum subjectum est operativa potentia. Quia tamen hæc radicatur, & fluit ex essentia tanquam passio ejus, ideo caracter in anima esse dicitur, sed mediate. Confirmatur. Nam caracter est potentia instrumentalis, uti dictum est, sed instrumentum non competit nisi operativæ potentiæ. Nibil enim indiget instrumento, ut sit, sed ut operetur.

COROLLARIUM III.

51. Caracter Sacramentalis (*qu.* 63. *art.* 3.) est caracter Christi. Deputatur enim homo Christianus ad duo. Primum ad regnandum cum Christo in cœlis, sicut electi, & horum caracter est gratia finalis, de quo dictum est: (*Ezech.* 9.) Signum Thau super frontes virorum gementium, & dolentium.... (*Apoc.* 7.) Quoad usque signemus servos Dei nostri.... Duodecim millia signati. Secundo deputatur homo ad militandum sub vexillo Christi in hac vita, id est, ad Deum colendum per receptionem, dispensationem divinorum juxta ritum Christianæ Religionis; totus autem ritus Christianæ Religionis derivatur a Sacerdotio Christi.

COROLLARIUM IV.

52. Non omnia Sacramenta (*qu.* 63. *art.* 6.) caracterem imprimunt. Non enim omnia idoneum hominem faciunt ad alia vel valide accipienda, vel valide administranda. Quæ autem imprimant, de singulis in suo loco dicetur.

PROPOSITIO II.

Oportuit in Ecclesia Christi aliqua esse hujusmodi Sacramenta.

1. ID probat D. Thomas (*qu.* 61. *art.* 1. *&* 4. *cont. Gent. cap.* 56.) triplici ratione. Prima quidem ex conditione humanæ naturæ, quæ per sensibilia, & corporalia ad spiritualia manuducitur. Prius enim quod animale. Ad divinam autem providentiam pertinet, ut unicuique provideat secundum modum suæ conditionis. Unde convenienter divina Sapientia auxilia salutis homini confert per signa sensibilia, quæ Sacramenta dicimus. Secunda ratio sumitur ex statu hominis, qui per peccatum se corporalibus rebus subdit; sed animalis homo, & corporalibus deditus, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, nisi ei per corporalia, & sensibilia signa manifestentur, &

 aliun-

aliude ubi morbus est, ibi adhibenda est medicina: ergo homini, qui per malum usum rerum externarum peccaverat, oportuit per sacrum usum rerum externarum medicinam adhiberi. Tertia ratio est. Nam studium humanæ vitæ, & actionis præcipue versatur circa corporalia victus, cibi &c. Durum ergo esset homini, si omnino abstraheretur ab usu corporalium: ergo convenienter ei proposita sunt corporalia exercitia ad salutem congruentia, ut vitarentur vel superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu Dæmonum, vel qualitercumque noxia in quovis genere peccati.

COROLLARIUM I.

2. Hinc patet, nos non loqui de absoluta necessitate, Deus enim, qui est Sacramentorum institutor, nihil extra se de necessitate operatur.

COROLLARIUM II.

3. Patet item, (*qu.* 61. *art.* 2.) in statu innocentiæ, sive qui fuit in Adamo ante lapsum, sive qui esse potuit, si Adamus non peccasset, nulla fuisse necessaria Sacramenta. Sicut enim mens hominis perfectissime Deo subdebatur, ita menti erant perfecte subditæ inferiores vires animæ, & ipsi animæ corpus, de quo alibi: (*l.* 7. *pr.* 2.) ergo superior pars animæ non poterat per corporale quodcumque perfici, quod fit in Sacramentis, quamvis perfici posset in naturalibus, eo modo, quo est homini connaturalis perfectio per sensum, & experimentum. Sed oppones illud Augustini: (19. *cont. Faust. cap.* 11.) In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum convenire homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur; sed in statu innocentiæ fuisset vera Religio: ergo fuissent Sacramenta, & signacula. Respondeo, Augustinum per signacula, & Sacramenta ibi intelligere quoscumque externos ritus, & cæremonias, per quas homines in unius Religionis professionem, & protestationem conveniunt, ut sacrificia, oblationes, altaria, templa, thurificationes, & hujusmodi alia. (*ad tertium*.) Matrimonium autem quamvis institutum fuerit indissolubile in statu innocentiæ, non tamen ex tunc fuit Sacramentum .... Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, & Ecclesiam, sicut omnia alia, quæ in figura contingebant illis, quorum significationem non populo, sed paucissimis, & sanctissimis forte Deus revelabat.

4. Post peccatum autem (*qu.* 61. *art.* 3.) Sacramenta sunt adhibita etiam ante Christum tam in lege naturæ, quam in lege Mosaica. Sa-

Sacramenta enim necessaria sunt ad humanam salutem, quatenus sunt visibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur; nullus autem sanctificari potest post peccatum nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus, & justificans eos, qui sunt ex fide Christi JESU: oportuit ergo ante adventum Christi fuisse quædam visibilia signa, quibus homines fidem suam de sperato Mediatore, sive de Christo futuro protestarentur. Hujusmodi autem signa dicuntur Sacramenta: necesse ergo fuit ante Christum quædam institui Sacramenta. Confirmatur. Nam omnes ex Adamo carnali generatione propagati peccatum originale contrahunt, ut supra (*lib.* 9. *prop.* 9.) statutum est; cum hoc autem originali peccato in æternum ab cœlesti gloria excluduntur: ergo ne omnes, qui in naturæ lege vixerunt, ab æterna vita excludantur, necesse est ponere remedium aliquod, per quod ab originali peccato liberarentur. Nemo autem prorsus liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur nisi gratia Dei per fidem Redemptoris: ergo ponendum est medium aliquid, per quod Dei gratiam consequerentur. Et hoc quidem in adultis esse potuit mere internus actus fidei; at hæc fides, aut actus ejus in parvulis locum habere non poterat: ergo ne parvuli omnes per tot sæcula ab regno Dei excludantur, ponendum est remedium aliquod, per quod ab originali peccato mundarentur. Non enim credendum est, inquit Augustinus, (5. *cont. Jul. cap.* 9.) ante Circumcisionem famulos Dei, quando quidem in eis erat fides Mediatoris in carne venturi, nullo ejus Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura Sacra latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus peccata mundi tollit. Apertius etiam legis jam tempore nascentibus offerebantur sacrificia pro peccatis.... Non ergo irreligiose creditur, nec inconvenienter intelligitur, ut est apud Prosperum, (2. *de convers. Gent. cap.* 23.) quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa Nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eos juvarentur.... Ergo originale peccatum, quod a primis parentibus in totam humani generis successionem defluxit, omni tempore aliquibus oportuit remediis expiari, licet vim plenam significantiæ non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Verba sunt Philippi Abb. Bonevall. in tract. de Op. Card. Christi inter oper. Cypriani.

5. De hac re quidem aliquando dubitasse videtur Augustinus. Inquit enim in 15. de Civ. Dei: (*cap.* 16.) Utrum aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit, corporale, atque visibile regenerationis signum

ante

ante diluvium, Sacra Historia tacet. Et in 2. de Nupt. & Concup. (*cap.* 11.) Superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide. At deinde aliquod fuisse constanter docet, quamvis quale fuerit, sicut & nos, ignoraverit. Unde D. Thomas in 4. sent. dist. 1. q. 1. Dicendum est, ait, quod ante legem scriptam erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis, & Pœnitentia quæ ordinabatur ad deletionem actualis .... (3. *p. q.* 60. *art.* 5. *ad* 3.) Sed sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solum interiori instinctu ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uti deberent. Supponit ergo aliquod fuisse remedium, & quidem a Deo institutum in genere, (nam quis posset ei medio alligare gratiam, & remissionem peccati originalis, nisi solus Deus?) sed in particulari non determinatum, sed relictum parentum devotioni, v. g. ut sacrificium fieret, aut preces, vel oblatio. Et hoc videtur confirmare alibi (*q.* 70. *art.* 4. *ad* 2.) dicens: Quod ante Circumcisionem nullum requirebatur signum protestativum fidei, quia nondum fideles seorsim ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei. Hoc tamen intelligendum est de signo protestativo determinato, & illis omnibus communi, nam fuisse aliquod ex cujusque devotione determinatum, & singulis capitibus, aut etiam familiis proprium, mox subdit dicens: Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo mortis constitutis, aliquas pro eis preces funderent, vel aliquas benedictiones eis adhiberent, (quod erat quoddam signum protestativum fidei) sicut pro se ipsis adulti preces, & sacrificia offerebant, & qu. 4. de Malo art. 8. ait, fidem antiquorum cum quadam ejusdem protestatione valuisse parvulis ad salutem. Et alibi (*in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3.) docet, in statu illo (legis naturæ) non solum fuisse necessaria opera, quæ sunt de dictamine legis naturalis, sed etiam alia, quæ essent signa, & protestationes eorum, quæ ad reparationem pertinebant, & hæc erant illius temporis Sacramenta, ut sacrificia, decimæ oblationes, & hujusmodi.

6. Dices: pro purgatione peccati originalis satis fuisse actum mere internum fidei in adultis quidem ab iis elicitum; in parvulis autem elicitum aparentibus, aut suscipientibus nomine ipsorum. Quod confirmari videtur ex Patribu ajentibus, antiquos sola, & nuda fide fuisse ab originali mundatos. Sic Tertullianus: (*lib. de bapt. cap.* 13.) Fuerit salus aute Domini passionem per fidem nudam; at ubi fides aucta est, &c. In Nationibus, inquit Bernardus, (*ep.* 77.) quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide, & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, immo & suffecisse parentum fidem.

fidem. Gregorius item: (4. *Mor. cap.* 13.) Quod apud nos valet baptisma, id egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides &c. cui consonans Beda: (1. *in Luc. cap.* 8.) Quotquot ante circumcisionem, vel post illam de exteris gentibus extiterunt fideles, sive victimis se, suosque a peccato originali, seu certe sola fide salvabant. Favere etiam videtur Augustinus, dum ait, (2. *de Nupt. cap.* 11. *cit.*) antiquos latuisse Sacramentum justificationis, & D. Thomas dum inquit, (*q.* 70. *art.* 4. *ad* 2. *cit.*) antea nullum fuisse requisitum signum protestativum fidei. His tamen non obstantibus, dicendum est, fuisse in lege naturæ necessariam quandam externam protestationem fidei, seu signum aliquod sensibile, quod multis probat Suarezius. (*q.* 61. *art.* 3. *disp.* 4. *sect.* 2.) Primo quidem: quia per eam qualemcumque protestationem fidei homines non solum a peccati interna macula mundabantur, sed etiam quodammodo initiabantur, atque ad divinum cultum consecrabantur, quod oportebat fieri per ritum aliquem hominis conditioni accommodatum, per operationem nimirum aliquam externam, & sensibilem. II: quia homini non est solum necessaria interna fides, sed etiam externa fidei professio. (*Rom.* 10.) Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. III: quia etiam ante Circumcisionem erat Ecclesia, seu corpus aliquod, & Congregatio cultorum Dei ab infidelibus distincta, conspicua, & sensibilis. Distinguebantur enim jam tunc filii Dei a filiis hominum. Oportebat ergo, ut quicumque veri Dei cultor fidem suam externo aliquo ritu significaret, aut protestaretur, ut illius Ecclesiæ, quæ semper Christiana fuit, ut dictum est, (*lib.* 10. *prop.* 21.) membrum fieret, alias fuisset aliquando Ecclesia invisibilis, quod supra (*lib.* 11. *prop.* 2.) improbatum est. Ecclesiæ autem visibili nemo cooptari potest, aut membrum ejus fieri, nisi per cæremoniam, aut ritum aliquem sensibilem, & conspicuum, alioqui hominibus aliis de hujus fide, & Religione constare non posset: ergo &c. IV. Sive in lege naturæ, sive Mosaica nemo justificabatur nisi per fidem in Deum, & Christum Mediatorem. (*Act.* 4.) Neque enim est aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; sed Christus per passionem, & mortem suam factus est in se credentibus causa salutis æternæ: ergo oportuit ritus, quibus in lege naturæ, aut scriptæ homines justificabantur, tales fuisse, ut quodammodo repræsentarent actiones, & mysteria Christi venturi, quod fides sola interna non præstat, præcipue quum rudis populus explicitam de his omnibus fidem non haberet. Hanc rationem tetigit etiam D. Thomas in 4. cont. Gent. (*cap.* 56. 57.) Hinc ad evasionem appositam respondetur, PP. de sola, aut nuda fide loquutos fuisse, non per exclusionem alicujus ritus externi, sed quia eorum Sacramentorum, aut rituum

tuum effectus non erat attribuendus nisi fidei, non virtuti ipsorum Sacramentorum; nam Sacramenta antiqua, etiam in lege Moysis, non habebant in se aliquam virtutem, quæ operaretur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significabant fidem, per quam justificabantur, quæ sunt verba D. Thom. qu. 62. art. 6. Ex quo omnia seorsim probata in unam summam colligendo, sic conficitur argumentatio. Fuit in lege naturæ ritus aliquis, quo non solum adulti, sed etiam parvuli a peccato originali mundarentur; hic autem ritus necessario fuit externus, & sensibilis; sed signum sensibile ex institutione Dei sive determinata, sive indeterminata sanctitatem, & justitiam significans, & causans, Sacramentum est: ergo in lege naturæ fuit verum Sacramentum, quod erat probandum. An vero præter illud remedium contra originale peccatum, fuerint alia in lege naturæ Sacramenta, non est opus disputare. D. Thomas in 4. sentent. (*q. cit. ad* 2.) etiam Pœnitentiam numerat pro deletione peccati actualis, tamen in Summa, ne verbum quidem, & merito, nam Pœnitentia ante Christum virtus sola fuit, non Sacramentum, ut infra dicetur.

7. Quod si hæc tempora ignorantiæ despiciens Deus, tamen hominibus providit de Sacramento quodam, quo a peccato originali liberarentur, & cœlestis regni suo tempore aperiendi possent esse participes, quanto magis credendum est, dedisse etiam Sacramentalia remedia electo, & a se erudito populo, quem tot prodigiis, & portentis ab tyrannide eripuit, & in Palæstinam transtulit. Unde primo quidem dicendum est: remedium, sive signum commune contra originale peccatum idem fuisse in lege Mosaica, atque in lege naturæ. Dixi *signum commune*. Nam eadem erat ejus necessitas in lege naturæ, & in lege scripta; sed in hac nulla cœremonia præscripta est, qua homines ab originali peccato mundarentur: ergo eadem antiqua perseveravit. Dices, quod multi Sanctorum asserunt, in lege Moysi ad hunc effectum institutam fuisse Circumcisionem. Sed contra. Nam peccati, quod omne humanum genus infecerat, oportuit esse universale, & commune toti humano generi remedium; sed circumcisio non erat communis toti humano generi, nam neque erat præscripta gentibus extra Hebraicum populum, nec in Hebraico populo locum habebat in fœminis, neque in parvulis ante octavum diem nativitatis: ergo circumcisio non erat commune remedium, quo homines post legem Moysis ab originali peccato emundarentur. Circumcisionem igitur accepit Abraham significationem gratiæ, non justitiæ, idque & Sacra Scriptura, & res ipsæ nos cogunt confiteri, quod est apud Justinum in dialog. cum Triph. .... Eam enim Deus ei dedit, non quasi consummatricem justitiæ, sed in signum, ut cognosci-

scibile perseveret genus Abrahæ, quod ex ipsa Scriptura discimus, ait Irenæus in 4. cont. hær. (*cap.* 30.) circumcidetis, inquit, carnem præputii vestri, & erit signum testamenti inter me, & vos .... Voluit ergo Circumcisionem lege sanciri, inquit Chrysostomus, (*hom.* 27. *in Genes. &* 39.) non quod ad salutem animæ hæc proficere aliquid posset, sed ut hoc gratitudinis indicium, quasi signum, & sigillum circumferrent Judæorum pueri, & non eis liceret contaminari Gentium commixtionibus ..... (*hom.* 40. *in Gen.*) Nulla igitur alia fuit ex Circumcisione utilitas, quam hæc sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, & ab aliis gentibus sequestrarentur Judæi. Idem docent ex Græcis Cyrill. 1. in Joann. c. 21. Euseb. 1. de præp. Evang. cap. 10. Epiphanius hær. 18. Origenes hom. 3. in Gen. Theodoretusque 67. in Genes. Damascenus 4. de fid. cap. 26., & alii apud Suarezium. (3. *p. q.* 61. *art.* 3. *disp.* 5. *sect.* 1.) Ex Latinis vero idem asserunt Cyprianus in 1. ad Quir. Ambrosius (*lib.* 1.) ep. 72. Hieronymus in Ep. ad Galatas apertissime. Nam quia ex semine Abrahæ nasciturus erat Christus, ... & ad Abraham usque ad Christum multa erant tempora transitura, providens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia ejus incerta fieret, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit. Tertullianus item ait, (*cont. Judæos. cap.* 3.) datam esse circumcisionem populo Israel in signum, quo dignosceretur, non in salutem ..... Ne enim propter futuram peregrinationem semen Abrahæ commisceretur inter Gentes, data est ei circumcisio in signum, ait Isidorus in Gen. cap. 23., quod & duorum disertissimorum Judæorum Philonis, (1. *de Circumc. tom.* 2.) & Josephi (*lib.* 1. *antiquit. cap.* 18.) testimonio comprobatur. Patres vero, dum dicunt, Circumcisionem valuisse, quod nunc baptisma, figuram fuisse baptismatis, per eam a peccato originali mundatos Israelitas, & hæredes regni factos, vere quidem hæc omnia dicunt. Non enim negamus, per Circumcisionem Israelitas non fuisse ab originali peccato liberatos, sed solum dicimus, non fuisse hunc effectum primarium, ad quod fuit instituta, non fuisse remedium commune adversus originalem maculam, quamvis ea adhibita mundarentur ii, quibus adhiberi poterat, & qui antea per illum alium communem ritum mundati non erant. Erat autem figura baptismatis, quia per illam in Dei populum adlegebantur, sicut nunc per baptismum, & omnium aliorum Mosaicorum Sacramentorum, & promissionum, ac benedictionum erant participes, quod in nobis fit per baptismum, item erat signum abrenunciationis omnium corporalium cupiditatum, quibus nos renuntiamus in baptismo. Ergo præter remedium expiativum originalis peccati pro omnibus, fuit etiam Circumcisio verum legis scriptæ Sacramen-

mentum; immo utrumque hoc Sacramentum, quamvis in lege scripta confirmatum, fuisse tamen longe ante Moysem in lege naturæ institutum. Unde Joannes 7. dictum est: Circumcisio non est ex Moyse, sed ex Patribus.

8. Igitur præter hæc duo in lege confirmata, alia multa fuisse in lege Moysis propria Sacramenta, negari non potest. Quanto enim propinquior erat Mediatoris adventus, tanto figuræ expressiores fuerunt in lege scripta, quam naturali. In his autem quædam erant Initiatoria, aut consecratoria, ut illa, quibus Summus Sacerdos, & reliqui Altaris Ministri creabantur. Alia Eucharistica, seu gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, ut immolatio Agni Paschalis, vel Impetrativa sperandorum, alia denique Expiativa, ut lustrationes &c. de quibus late disseruit D. Thomas in 1. 2. q. 101. Quamvis autem hæc omnia vetera Sacramenta vera, & propria fuerint, & pro eo tempore congruentissima, tamen est inter illa, & nostra Sacramenta ingens discrimen. Nobis enim (*Aug.* 19. *contr. Faust. cap.* 13.) data sunt Sacramenta numero pauciora, observatu faciliora, virtute potiora.... (*tr.* 41. *in Joann.*) In illis enim Sacramentis non erat expiatio peccatorum, sed umbræ futurorum.... (*in ps.* 37.) Sacramenta novi testamenti dant salutem; Sacramenta veteris legis promiserunt Salvatorem. Eus. Emiss. (*hom. in* 1. *Quadr.*) Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut illa Synagogæ, medicinam tantum docent, atque ostendunt, sed ipsa potius medicina sunt, & remissio peccatorum. D. Thomas: (3. *p. qu.* 62. *art.* 6.) Per fidem quippe passionis Christi justificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei protestationes, quatenus significabant passionem Christi, & effectus ejus.... Non enim habebant in se aliquam virtutem, quæ operaretur ad conferendam gratiam, sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.... (3. *p. q.* 61. *art.* 4. *ad.* 2.) Et ideo ab Apostolo dicuntur *Egena, & infirma elementa*, quia gratiam neque continebant, neque causabant. Ex quibus omnibus Concilium Florentinum: (*in instruct. Armenor.*) Illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam significabant; hæc autem & continent gratiam, & eam digne suscipientibus conferunt. Quid ergo confers (*Bas. de Sp. Sancto c.* 14.) (Luthere) lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta differentia est, quanta inter somnia, & veritatem, quanta inter umbras, & imagines, atque ea, quorum imagines, atque umbræ sunt? Quid vero? nonne id ipsum Lutherus apertissime confessus est aliquando sui compos? Vetus testamentum, inquit in lib. de Capt. Bab. cap. de Euch. promissio erat non remissionis peccatorum, vel rerum æternarum, sed temporalium, nempe, terræ Chanaam,

naam, per quam nemo renovabatur spiritu. Unde & irrationalem pecudem in figura Christi oportebat occidi, in cujus sanguine idem testamentum confirmabatur, ut qualis sanguis, tale testamentum, qualis hostia, talis promissio. Hæc Lutherus. Et tamen cap. sequenti errare, ait, Catholicos, qui Sacramenta novæ legis ab antiquorum Sacramentis differre dicunt penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significent, faciendo quod figurant; non autem illa.

9. Mutata igitur sunt Sacramenta, (*Aug. in ps.* 37.) facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.... (*Joann.* 1.) Lex per Moysem data est; Gratia, & veritas per JESUM Christum facta est.... (*Heb. cap.* 7.) Reprobatio fit veteris mandati propter infirmitatem, & inutilitatem..... (1. *Cor.* 7.) Nam Circumcisio (quæ primum erat, & præcipuum antiquorum Sacramentum) nihil est, & præputium nihil.... (*Galat.* 6.) Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Quæ ergo utilitas circumcisionis? (*Rom.* 3.) Nisi quod sunt tradita illis eloquia Dei? (*Am.* 5.) Quod si obtuleritis mihi, holocausta non suscipiam, & vota pinguium non respiciam, dicit Dominus.... (*Isai.* 1.) Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Quis quæsivit hæc de manibus vestris? (*Hier.* 11.) Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Impossibile est quidem, sanguine hircorum, & vitulorum auferri peccata.... (*Rom.* 3.) Quid ergo? Præcellunt Judæi Gentes? Nequaquam. Caussati enim sumus, id est, ostendimus, Judæos, id est, circumcisos, & Græcos incircumcisos omnes sub peccato esse.... (*Heb.* 7.) Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.... (*ibid.* 10.) Umbram enim habens futurorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam accedentes ad se perfectos facere potuit.... (*Galat.* 4.) Data sunt eis ergo infirma, & egena elementa.... præcepta non bona, & judicia, in quibus non viverent.

10. Quæ quidem non ideo dicta sunt, uti Kemnitius calumniatur, quasi dicamus, aut censeat Ecclesia cum Apostolo, & Patribus, Antiquos non fuisse per ea sua Sacramenta a peccatis mundatos, aut nullum spirituale emolumentum consequutos. Apage. Fuerunt enim sub illis Sacramentis viri Sanctissimi, quum in lege naturæ, quum in Mosaica Patriarchæ; Prophetæ, & quo inter natos mulierum nullus major, Joannes Baptista. Sed id dicimus, eam sanctitatem, & perfectionem non adeptos vi ipsorum Sacramentorum veterum, sed ex propria fide, ac dispositione interna eorum, aut illorum, ab quibus ad Sacramenta offerebantur, id est, non ex opere operato, sive virtute ejus Sacramenti, quod in eis fiebat, sed juxta fidem, ac devotionem suscipientium Sacramenta, aut parvulos ad ea offerentium, sive ex opere operantium. In Circumcisione enim, ait D. Thomas

(*qu.* 70. *art.* 4.) conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio, ita scilicet quod homo accipiens Circumcisionem profitebatur, se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Non defuerunt autem, qui dixerint, reliqua quidem veterum Sacramenta non contulisse gratiam ex opere operato; bene vero Circumcisionem, quia ad remedium peccati originalis eam institutam fuisse, crediderunt. Ita tenuit Scotus, (*in* 4. *dist.* 1. *q.* 6.) nec multum abhorret Suarezius dicens: (*in* 3. *p. disp.* X. *tom.* 3. *sect.* 1.) Probabilius est, ipsum signum externum circumcisionis fuisse sufficiens, ut illo applicato, daretur gratia parvulis, etiam si sine fide parentum, aut Ministri, vel hominis conferentis Sacramentum applicaretur. Tamen hic author non videtur cum Scoto sentire. Nam sect. seq. §. quo circa, quamvis dicat, hanc quæstionem ad modum loquendi quodammodo pertinere, quod equidem non credo; nihilominus inquit, hic modus loquendi magis probandus est, ut non simpliciter asseramus, circumcisionem, aut Sacramentum legis naturæ contulisse gratiam ex opere operato; quia hic modus loquendi est magis consentaneus Apostolo, & in physico rigore magis proprius. Quum ergo ait, *etiam sine fide*, & ipsum signum externum intelligit de signo externo rite applicato. Non erat autem rite applicatum, nisi Minister, aut cæremoniam applicans intenderet facere cæremoniam sacram, & religiosam secundum institutionem Ecclesiæ illius, cujus membrum erat ipse, & cujus personam gerebat. Distinguendam enim esse, ait, fidem Ministri ab intentione faciendi Sacramentum a Deo institutum, nam licet fides non esset necessaria, intentio tamen necessaria fuisse videtur ad veritatem Sacramenti .... Unde colligitur, necessariam fuisse illam intentionem, ut daretur gratia sub illa cæremonia externa, quia non dabatur sub illa, nisi ut habebat rationem Sacramenti, seu cæremoniæ pertinentis ad Dei cultum. Excludit ergo tanquam non necessariam fidem vivam, aut charitate formatam. Unde etiam improbus Minister poterat Sacramentum illud valide conferre. Excludit II., fidem subjectivam, & personalem Ministri ipsius, non fidem objectivam, ut ipse loquitur, cum externa ejus professione. Verbo, nihil dicit, nisi quod supra diximus de fide Ministri. Nihil dicit, nisi quod clarius, & simplicius dixerat D. Thomas qu. 4. de Malo, artic. 8. ibi: (*ad* 12.) Fides antiquorum cum quadam ejus protestatione valebat parvulis ad salutem, non pro ut erat actus meritorius credentium: unde non requirebatur, quod esset actus fidei formatæ, sed ex parte rei creditæ, quatenus fides erat ipsius Mediatoris, quam Suarezius dixit objectivam: operabatur enim ex virtute objecti crediti, non ex virtute credentis, aut actus, quo creditur .... Sic enim, & Sacramenta, quæ postea sunt institu-

ta

ta valent, quatenus sunt quædam fidei protestationes. Unde non sequitur, quod infidelitas parentum noceret parvulis, nisi per accidens, sicut removens remedium peccati. Et hunc etiam puto fuisse sensum Scoti, quum dixit, (*in* 4. *dist.* 1. *q.* 6.) Circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato, quod consequenter etiam dixit, supposito principio de efficientia solum morali Sacramentorum. Sed I. Illud principium non est adeo certum, uti dictum est. (*in præc.*) II. Illo principio posito, idem non solum de Circumcisione, sed de omnibus aliis ante Christum Sacramentis dicere debuit. Quod si conferri gratiam ex opere operato solum velit, quia collatio gratiæ non pendet ex merito, probitate, fide, aut dispositione Ministri, in hoc sensu non absurde loquitur, immo consonum habet D. Thomam in 4. sent. dis. 1. qu. 2. ajentis: Fidem illam antiquorum cum externa protestatione habuisse quandam similitudinem cum nostris Sacramentis, in quantum justificabat quasi ex opere operato, non autem ex opere operantis. Sed hic notanda quatuor. Primum: Hanc vim justificandi non tribui a D. Thoma cæremoniæ externæ, aut Sacramento, sed fidei, quam exercite per illam cæremoniam protestabantur. Secundum. Tribuisse illam vim fidei ex parte objecti crediti, non ex merito, aut virtute credentis, in quo consistit similitudo quædam cum nostris Sacramentis. Tertium. Non dixisse simpliciter *ex opere operato*, sed *quasi ex opere operato*. Quartum. Ipsum D. Thom. in posterioribus & limatioribus operibus jam maturiorem, & impense doctiorem, ea loquutione nunquam usum fuisse. Unde circa effectum internum Circumcisionis, quod docuerat in Comment. Sententiarum in Summa correxit qu. 62. art. 6., & quæst. 70. artic. 4. 3. part.

11. Jam vero, sicut antiqui Patres salvati fuerunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati, & passi. Sunt autem Sacramenta quædam signa protestantia fidem, per quam homo justificatur. Signa autem dari possunt vel prognostica futuri, vel remorativa præteriti. Eadem enim res aliter annuntiatur facienda, aliter facta: ergo sicut fuerunt Sacramenta repræsentantia Christum venturum, & fidem in eum protestantia, ita oportuit esse quædam, quæ Christum jam natum, & passum repræsentarent, & fidem passionis ejus protestarentur. Sunt enim tria tabernacula, quod est ap. Eus. Emiss. seu quis est author hom. in Dom. I. Quadrag. Primum fuit Synagoga, sive inchoata in Patribus, seu perfecta in lege Moysis. Secundum Ecclesia Christi. Tertium in Patria. Primum in umbra fuit, & figura. Secundum in figura, & veritate. Tertium in pura veritate. In primo via ostenditur: in secundo invenitur: in tertio ad terminum devenitur.... Status ergo novæ legis medius est, quod habetur in 5. cap. de Hier. Eccl. (*pr.* 1.) inter statum veteris legis,

gis, cujus figuræ implentur in nova lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nude, & perfecte manifestabitur veritas, & ideo ibi nulla erant Sacramenta. Nunc vero (*qu.* 61. *art.* 4. *ad* 1.) quum per fidem ambulamus, & non per speciem, quum peregrinamur a Domino, quum divina videmus per speculum in ænigmate, oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire, quod pertinet ad rationem Sacramentorum .... (*ibid. sed cont.*) Igitur vetera, quæ promittebant Salvatorem sublata sunt, quia jam impleta, (*Aug.* 19. *contr. Faust.*) & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Virtute quidem majora. Non enim dici potest, (*qu.* 62. *art.* 6.) quod Sacramenta veteris legis causarent gratiam per se ipsa, hoc est, propria virtute, quia sic non fuisset necessaria passio Christi. Nam si ex lege est justitia: ergo Christus gratis mortuus est, ut dicitur ad Galat. cap. 2. Sed nec potest dici, quod ex passione Christi habuerint virtutem justificandi. Nam ut ex prædictis patet, virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem, & Sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ est per fidem, fit per actum animæ; continuatio autem, quæ est per Sacramenta, fit per usum rerum exteriorum. Quod autem est in actu animæ, potest movere, & operari antequam in rebus existat, sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus, & desideratus ab ipso. Sed illud, quod nondum est, non potest movere secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior effectu ordine durationis, sicut causa finalis. Virtus ergo passionis Christi operatur in Sacramentis nostris tanquam jam in rebus existens; in Sacramentis autem ante Christi adventum, solum ut apprehensa. Unde manifestum est, quod a passione Christi, quæ est causa nostræ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad Sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis. Nam tunc (*ibid. ad* 1.) habebatur fides de passione Christi futura, quæ solum poterat justificare, quatenus erat in apprehensione animæ; at non habemus fidem de passione Christi jam præcedente, quæ potest justificare etiam secundum realem usum Sacramentalium rerum .... (*ib. ad secundum.*) Unde sanctificatio per Sacramenta veterum erat figuralis, per hoc enim sanctificari dicebantur, quia applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam passionem Christi. Omnia enim in figura contingebant illis .... Et tamen per fidem Passionis Christi justificantur antiqui Patres, sicut & nos. Sed ibi operabatur Christi Passio solum ut apprehensa per fidem; in nobis autem operatur ut jam physice existens, & virtutem suam communicans ipsis Sacramentis.

12. Ad-

12. Adde etiam (qu. 61. art. 3.) nostra Sacramenta esse significatione clariora. Nam per incrementa temporum & peccatum cœpit magis in homine dominari, & fides quanto magis a principio revelationis aberat, magis obscurari. Unde sicut ratione hominis per peccatum obtenebrata jam non satis erant humano generi ad recte vivendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari multa per legem scriptam, ita etiam confusa jam, & obtenebrata traditione majorum, & fide oportuit, ut per novas figuras, & signa, aut Sacramenta magis explicaretur cognitio fidei. Unde per incrementa temporum, inquit Gregorius, (*homil.* 16. *in Ezech.*) crevit etiam divinæ cognitionis augmentum. Et ideo per Moysem nova Sacramenta Israelis posteris data sunt, aut vetera magis explicata. Cognitio autem divinæ fidei multo magis crevit adveniente Christo: ergo tunc multo magis veritati propinqua, & significatione clariora debuerunt institui Sacramenta, non autem eadem magis explicari nisi per effectus ipsos, in quibus impleta erant, nec alia item similia eis fieri, ne propter continuationem temporis, si permaneret similis Sacramentorum species, videretur esse ejusdem Sacramenti continuatio.

SCHOLION I.

13. Quot sint numero, & quænam legis Christianæ Sacramenta, eorumque inter se ordo, & congruentia, de quo D. Thomas qu. 65. constabit infra, quum de singulis agetur.

SCHOLION II.

14. De ritibus, & cæremoniis, quibus Sacramenta conficiuntur, ac dispensantur, late disputarunt Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in gener. Suarezius disp. 15. in 3. partem. Gott. de ver. Ecc. Christi cap. 15. Tournel. de Sacramentis in gen. qu. ultima. In præcedenti quidem libro multa dicta sunt circa singularum Missæ cæremoniarum honestatem, pietatem, antiquitatem, &c. Quum autem ritus in Sacrificio adhiberi soliti cum aliis fere omnibus Sacramentis communes sint, solum hic videtur agendum de iis, qui aliquorum Sacramentorum sunt proprii, id vero commodius agetur per Sacramenta singula discurrendo. Esse autem in Ecclesia potestatem legislativam, qua subditorum animos, & conscientias ligare possit, ac liget, supra in genere firmatum est lib. 11. p. 9. Hanc vero potestatem ad ritus, & cæremonias conficiendorum, atque dispensandorum divinorum se extendere, hic videtur probandum, ad quem locum rem supra remisimus.

PROPOSITIO III.

Est in Ecclesia potestas instituendi ritus, & cæremonias, quibus Sacramenta conficiantur, ac dispensentur.

1. NAm Ecclesiæ dedit Deus potestatem conficiendi, atque administrandi Sacramenta: ergo & dedit potestatem ad ea omnia, sine quibus Sacramenta honeste, pie, devote, atque utiliter confici, aut dispensari non possunt; sed sine aliquo exteriori apparatu sensibilia Sacramenta ita confici, & dispensari non possunt: ergo &c. Minor probatur: Nam I. Sacramenta pertinent ad divinum cultum non solum secundum id, quod per ea fit, sed etiam secundum modum, quo fit; sed homo tenetur Deum colere non solum internis actibus, sed etiam externis ritibus, quibus internam fidem, & cultum profiteatur: ergo oportuit sanctitatem, & dignitatem Sacramentorum aliquo precum, & cæremoniarum apparatu, quo fidem, & internos animi effectus protestaremur, circumvestiri. Hi autem externi ritus, si privatorum relinquerentur arbitrio, variarentur quotidie secundum mores Gentium, tempora, & privatam cujusque dispositionem, quod est in rebus ad Religionem spectantibus maxime perniciosum: oportuit ergo, ut publica Ecclesiæ authoritate ritus determinarentur in administratione Sacramentorum uniformiter observandi, ut sicut (*Eph.* 4.) unus est Deus, una fides, unum baptisma, ita eadem esset unus modus protestandi fidem, & unus modus administrandi Baptismatis.... II. Quum sancta sancte tractanda sint, oportuit eo modo Sacramenta administrari, ut & eorum majestas, ac dignitas commendaretur, & mentes fidelium ad rerum altissimarum, quæ in Sacramentis latent, contemplationem excitarentur; sed natura hominum ea est, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem elevari, immo quæ non externa aliqua pompa celebrantur, facile apud vulgares homines vilescunt, & contemnuntur: recte ergo pia Mater Ecclesia, ut Tridentinum loquitur, (*Sess.* 22. *cap.* 5.) ritus quosdam, ac cæremonias adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, Thymiamata, vestes &c. III. Per cæremonias religiosas non solum vulgus hominum Sacramentorum mysteria majori admiratione, & veneratione prosequitur, verum etiam perfectius, & commodius intelligit, tanquam per quasdam rerum in Sacramentis gestarum parabolas, & sensibilia argumenta. Sic Augustinus. (1. *de Peccat. merit. & remis. cap.* 34. 6. *cont. Julian. cap.* 2.) ab exorcismis, qui baptismum præcedunt, argumentatur fuisse nos in potestate Diaboli per originale peccatum.

Et

Et hæc tria argumenta pulchre attigit Cathechismus Conc. Tridentini dicens: (par. 2. n. 16.) Merito quidem a primis usque Ecclesiæ temporibus (ex Apostolica disciplina, & traditione, ut Tridentinum loquitur) illud semper servatum est, ut Sacramenta solennibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim, maxime decuit sacris mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut Sancta sancte tractare videremur. Præterea, quæ in Sacrificio efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant, ac veluti ob oculos ponunt. Deinde mentes eorum, qui eas intuentur, ac diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt . . . . Ad ipsum enim amoris ignem excitandum; ait Augustinus, . . . (*ep.* 55.) ista omnia pertinere videntur, quæ nobis figurate insinuantur: plus enim movent, & incendunt amorem; quam si nuda proponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere; sed tamen ita se habet. Credo, quod animæ motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur; si vero feratur ad similitudines corporales, & inde referatur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem. Quod & proprio exemplo confirmat in 9. Confess., (*cap.* 67.) inquiens: Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suave sonantibus Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis &c. . . . (*lib. de cura pro mortuis gerend. cap.* 5.) Inde & orantes de membris corporis sui faciunt, quod supplicantibus congruit, dum genua flectunt, manus expandunt, aut prosternuntur solo &c. Qoamvis enim eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, neque ille indigeat indiciis, ut humanus ei pandatur animus; tamen his magis semetipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, ac ferventius. Et nescio quomodo quum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdem rursus excitetur visibilibus factis ille interior invisibilis, qui hos fecit, augetur; ac per hos cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit; quia facta sunt, crescit, de quo (*lib.* 6. *prop.* 12.) cum D. Thoma dictum est.

2. Confirmat id ipsum triplici argumento Bellarminus. (2. *de Sacrament. cap.* 31.) I. Non est minor concedenda potestas, immo major Ecclesiæ Christi, quam antiquæ Synagogæ; sed Synagoga habuit potestatem instituendi ritus aliquos, præter illos, qui a Moyse præscripti fuerant, ut in novis festivitatibus, quæ institutæ leguntur Ester. 9. & Judith cap. ult. & 1. Machab. 4. ergo & potest Ecclesia ex authoritate sibi a Christo commissa novos ritus, ac cæremonias instituere. Confirmatur. & exemplo Jacobi, qui quum privatus homo esset, (*Gen.*

(*Gen.* 28.) erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper, quem ritum in Altarium consecratione adoptavit Ecclesia: ergo similiter potuit alios Judæorum ritus adoptare, & sanctificare ad usus suorum Sacramentorum. Confirmat II. Nam (*Act.* 15.) Apostoli Jerosolymis congregati novam cæremoniam statuerunt a Christo non traditam, nimirum, ut abstinerent Christiani a suffocato, & sanguine. Dixi *a Christo non traditam*, quoniam si a Christo id accepissent, non opus fuisset congregari Apostolos, & Seniores videre de verbo hoc, nec inter eos magna disquisitio facta fuisset, ut ibidem legitur. Dices, illam non fuisse cæremoniam, sed reale præceptum. Sed contra. Nam multa legis naturæ, & scriptæ cæremoniæ erant realia præcepta, ut observatio Sabbathi, immolatio agni Paschalis. Cæremoniale fuit præceptum de non comminuendo osse Agni Paschalis, de non edenda carne cum sanguine, de Circumcisione, & sexcenta ejusmodi. Nam etiam de cæremoniis imponi possunt realia præcepta. Præterea: Vestes sacræ, vasa, mixtio aquæ cum vino, signum Crucis, & alia multa in sacrificio Altaris, immo ipsa Altaria, templa &c. nonne cæremoniæ sunt, quæ ex Apostolorum institutione universa tenet Ecclesia? At Ecclesiæ hodiernæ potestas ordinaria eadem est, quæ fuit in Apostolis, & in vertice illorum Petro: ergo si potuerunt aliquas cæremonias Apostoli instituere, potest id quoque Ecclesia præsens. Jubet autem Apostolus, (1. *ad Cor.* 14.) ut omnia, quæ ad cætus Religiosos pertinent, honeste, & secundum ordinem fiant, & supra in eadem Epist. (*cap.* 11.) de Eucharistia loquens, cætera, inquit, quum venero, disponam, quæ verba exponens Augustinus in Epist. 54.) ad Januarium infert, Christum dedisse Apostolis potestatem disponendi de iis, quæ ad Sacramentorum digne, & congrue administrandorum ordinem spectant. Non enim, inquit, præcepit Christus quo ordine (Eucharistia) sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si Christus jussisset, ut post cibos alios assumeretur, nemo, credo, hunc morem variasset. Quum vero dixit Apostolus de hoc Sacramento loquens: Fratres, quum convenitis ad manducandum, invicem expectate, & statim subdidit: Cætera, quum venero disponam, intelligi datur (quoniam multum erat, ut in Epistola illa totum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur. In eadem item Epistola (*cap.* 7.) alia non a se, sed a Domino; alia contra, non a Domino, sed a se determinata circa Matrimonium significat dicens: (*v.* 10.) Præcipio non ego, sed Dominus..... (*v.* 12.) Ego dico, non Dominus.

3. Tertia Bellarmini argumentatio talis est. Si Ecclesia non potest ri-

ritus, & cæremonias instituere, vel id repugnat ex parte Ecclesiæ, quia non habet potestatem legislativam, vel ex parte cæremoniarum, quæ non congruunt cum lege gratiæ, in qua Deus in Spiritu, & veritate adorandus est, vel ex parte novitatis, quia non liceat aliquid addere rebus ab Christo institutis; sed hæc omnia non satis rem conficiunt: ergo. Minor probatur. Nam primum de potestate Legislativa Ecclesiæ supra (*lib.* 11. *prop.* 9.) statutum est. Secundum est manifeste falsum. Nam in lege Gratiæ Christus instituit Sacramenta, quæ cæremoniæ sunt: non ergo omnis cæremonia est contra rationem novi Testamenti, sed illæ solum, quæ Christum venturum figurabant; non quæ conferunt salutem, sed quæ promittebant Salvatorem. Tertium item est falsum. Per cæremonias enim Ecclesiasticas nihil demitur, aut additur Institutis Christi, quæ sine illis valida sunt, & omnem suum effectum sortiuntur. Solum enim adhibentur, ut quæ ab Christo instituta sunt, honeste, & secundum ordinem fiant, quod Paulus jubet, ut dignius, ac reverentius sancta tractentur, atque utilius recipiantur. Quod nunquam Christus prohibuit, immo potius de iis Apostolos erudivit post resurrectionem (*act.* 1.) per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, id est, de regimine Ecclesiæ in terris instituendæ. Hinc in Tridentino Concilio sancitum est: (*Sess.* 21. *cap.* 2.) Hanc fuisse perpetuo potestatem in Ecclesia, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Porro eam perpetuo fuisse in Ecclesia potestatem, patet ex ritibus, quos in Scripturis non expressos, ab antiquissimis temporibus observat Ecclesia Christi, de quibus Tertullianus; Justinus, Lactantius, Arnobius, Cyrillus. Est insignis Tertulliani locus in libro de Coron. Milit. cap. 3., ubi Baptismi cæremonias recenset: Aquam, inquit, adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, & pompis, & Angelis ejus. Dein ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis, & mellis concordiam prægustamus, atque ex ea die quotidiano lavacro per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram, anxie patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exi-

exitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur authrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix. Hæc Tertullianus, ubi cæremonias traditiones Apostolorum esse, satis aperte significat. Siquidem, ut est apud Aug. toties laudatum in 4. de baptismo. (*cap.* 24.) Quod semper in Ecclesia observatum est; nec in aliquo Concilio, aut ab aliquo Pontificum institutum legitur, id ab Apostolica traditione descendere, recte creditur. Apostolicæ autem traditiones in duplici sunt genere. Alia enim Apostoli a Christo accepta nobis tradiderunt, & hæ potius divinæ, quam Apostolicæ dici possunt. Alia ex authoritate sibi commissa Apostoli instituerunt; ut illud, quod est apud Paulum: (1. *ad Cor. c.* 7.) Ego dico, non Dominus, & hujus generis sunt cæremoniæ, de quibus Tertullianus. Non autem majorem fuisse Apostolorum, quam legislativam Ecclesiæ potestatem, (*lib.* 11. *prop.* 11.) statutum est: habuit igitur Ecclesia instituendorum rituum, & cæremoniarum potestatem a Christo datam, atque adeo ejus statuta quodammodo divina dici possunt.

4. Hanc porro potestatem ipsi quandoque sobrii confessi sunt Adversarii nostri. Lutherus in libro de formula Missæ, & in libro de piis cæremoniis, confessio Augustana artic. 15., & 26., Philippus Melancthon in Loc. titul. de Cæremon. Illyricus in Apolog. pro Confessione Antuerpiensi, (*cap.* 30.) & Lutherani communiter, ait Bellarminus in eorum scriptis versatissimus, fatentur, posse Ecclesiam instituere cæremonias ad eruditionem, & splendorem, & ordinem Sacramentorum, modo absit obligatio, & opinio cultus, de quo mox dicetur. Neque solum id docuerunt verbis, sed etiam confirmarunt factis. Nam Lutherus ipse, & Calvinus in formulis Missæ suæ aliquas Romanæ Ecclesiæ cæremonias retinuerunt, aliquas de novo instituerunt. Neque nostrarum cæremoniarum antiquitatem, & universalem usum negare ausi sunt. Inquit enim Calvinus: (4. *instit. cap.* 15. Nec me latet, quam vetusta sit adventitia hujus farraginis origo. Et infra ait, has imposturas Satanæ fere inter ipsa Evangelii exordia fuisse receptas. Nimirum, imposturas Satanæ vocat cæremonias. Nam quasi esset contemptibilis res aqua baptizari ex præcepto Christi, inventa est benedictio, aut potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret: additus postea cereus cum chrysmate: exsuflatio autem januam baptismo aperire visa est.... Hinc ad crassiora ludibria ventum, & sputum, & similes nugæ in baptismi probrum effræni licentia invectæ sunt. Hæc pro sua modestia, & pietate Calvinus, de quibus nos prop. sequenti ...

5. Quod

5. Quod vero nunc magis instat, si Ecclesia habet potestatem instituendi ritus, & cæremonias, quibus Sacramenta conficiantur, atque administrentur; si hanc potestatem non habet solum, sed etiam exercuit determinans ritus, & cæremonias, quibus Sacrificium celebraretur, quibus Sacramenta administrarentur, quibus omnia Divina officia honeste, & secundum ordinem fierent pie, reverenter, utiliter. Denique si Ecclesiæ aliquid præcipienti obedire tenemur in conscientia, quod alibi demonstratum libro octavo: (*prop.* 12.) ergo Ecclesiæ statuenti divinorum officiorum, & maxime Sacramentorum ritus, & cæremonias sine dubio parendum est. Unde sicut omittens præceptum jejunium, etiam citra scandalum, aut contemptum, peccat, ita peccat, qui sine sacris vestibus, aut non servato Canonis ordine, sacrificat, aut qui sine præscripto ritu baptizat, excepto in his omnibus casu necessitatis, etiam si citra scandalum, etiam si non per contemptum id faciat. Nam si liberum esset ritus ab Ecclesia receptos observare, aut omittere, cur dissensiones exortæ, & Concilia sæpe congregata pro rituum Ecclesiasticorum observatione? Cur Apostoli congregati pro observatione, aut non observatione Legalium? Cur de ritu celebrandæ Paschæ Victor, & Latini restiterunt Asiaticis usque ad excommunicationis minas? Cur Cypriano super Baptismi ritu restitit Stephanus? Cur hæretici habiti sunt Donatistæ, Encratitæ, Aquarii, & alii Cæremoniarum, & rituum osores apud Epiphanium, Augustinum, Bernardum, Waldensem, atque alios Patres, & Scriptores Ecclesiasticos? Nam pro his, quæ liberæ observationis sunt, nemo unquam hæresis insimulatus est. Confirmatur id ipsum validissimo argumento. Nam si cæremoniarum libera esset observatio, atque uniuscujusque arbitrio relicta, nullo modo posset fieri, ut aliquis ordo, & uniformitas in rebus sacratissimis, & maxime ad Religionem spectantibus servaretur. Quapropter ipsi etiam Lutherus, & Calvinus in novis suis Ecclesiis cæremonias quasdam voluerunt lege sanciri. Nam dissolvi suis nervis, & deformari, ac dissipari Ecclesiam, ait Calvinus in 4. Instit., (*cap.* 10. §. 27.) si unicuique liceat cæremonias mutare. Et §. 31. asserit, non esse crimen, si per imprudentiam, aut oblivionem aliquid omittatur: ergo supponit esse crimen, si per contemptum, aut supinam negligentiam aliquid omittatur, & ita aperte loquitur supra in cit. §. At idem nos dicimus: ergo habemus, quod erat maxime optandum, confitentem reum. Hinc Augustinus circa ritum offerendi in ultima feria 5. Quadrag. loquens: (*Ep. ad Janu.* 54. *cap.* 5.) Quid sit faciendum, inquit, si divinæ Scripturæ præscribit authoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus . . . Similiter etiam, si quid horum per totum orbem frequentat Ecclesia Nam & hoc, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ

niæ est. Quid ita? Quoniam illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæque toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, ut quod Pascha, & Pentecostes annua solennitate celebrentur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa quacumque se diffundit Ecclesia. Augustino Ecclesiæ authoritati addictissimo succedat infensissimus Calvinus, qui & hanc inesse Ecclesiæ authoritatem, & idem ex necessitate parendum esse, volens nolens confessus est. (4. *inst. cap.* 10. §. 30.) Loquens enim de geniculatione, quæ fit, dum solennes habentur preces, interrogat: An sit humana traditio, quam repugnare, vel negligere cuivis liceat? Respondet autem: Dico sic esse humanam, ut simul sit divina. Dei est, quatenus pars est decori illius, cujus cura, & observatio nobis per Apostolum commendatur jubentem: omnia honeste, & secundum ordinem fiant: Hominum est autem, quatenus specialiter designat, quod in genere fuerat indicatum magis, quam expositum. Quum enim Christus ritum, quo Sacramenta celebranda sint, non præscripserit; quum Apostolus jubeat, ut omnia in Ecclesia honeste, id est, decore, devote, pie, reverenter, & secundum ordinem fiant; quum denique hæc omnia in genere indicata potius fuerint, quam specialiter designata, & exposita ..... Confugere hic oportet, pergit Calvinus, ad generales, quas dedit regulas, ut ad eas exigantur, ac determinentur per homines, quæcumque ad ordinem, ac decorem præcipi necessitas Ecclesiæ postulabit. Nimirum:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Unde fit, quod in re simili ajebat Leibnitius, ut illi ipsi, qui paradoxa docent, non aliquando consuetudine, aut pia educatione, aut sensu communi dictante, ac recurrente, veritatem fateri, & sibimet contraria loqui cogantur. Habemus enim ex Calvino, esse aliquam humanam authoritatem, per quam determinari debeant, quæ in Scripturis solum habentur in genere indicata; habemus hos ritus, ut geniculationes &c. dici posse de institutione divina, quatenus pars sunt, & determinatio decori illius, cujus curam, & observationem Apostolus commendat; habemus has determinationes ita obligare, ut non sit cuique licitum mutare cæremonias, quin deformetur, dissolvatur, ac dissipetur Ecclesia; habemus crimen non esse, si per imprudentiam, aut oblivionem aliquid omittatur. Ex quo patet, hujusmodi cæremonias ad substantiam Sacramentorum non pertinere; habemus crimen esse, si per contemptum, aut supina negligentia præter-

solum ratione scandali; sic enim humanæ in-
sint etiam divinæ. Numquid docet aliud, aut do-
termittantur, & non ... cæremonias Catholica Ecclesia?
stitutionis sunt, ut cæ... rem, quem feriant, & multa nos dicere men-
cuit unquam circa ... quod impugnent. Dicunt, Tridentinum quos-
6. Sed fingunt hostem ... cumque inventos approbasse. Sed hoc falsum
tiuntur, ut habeant, quibus ... at nisi universim in Ecclesia receptos, de quo-
cumque ritus ab quibus ... utare insolentissimæ insaniæ est. Dicunt, vel
est; non enim approb... tationem apud nos esse grave. Sed id non est
rum observatione dispu... ptu, aut supina ignorantia, vel scandalo, quod
minimam ritus immu... us. Dicunt, nos anteponere humanas cæremo-
verum, secluso contem... nos putare ab his ritibus pendere valorem, &
etiam fassus est Calvinus, nos cæremoniarum aliquibus vim Sacra-
nias præceptis divinis, ... rum, nos ... omnia putidissima mendacia sunt. Di-
efficaciam Sacramentorum. Sed hæc omnia ... fuisse Judæorum, quibus lex figuralis da-
mentorum tribuere. ... proprias ... est, Judæorum proprias fuisse cæremonias
cunt, cæremonias propr... dictum ... Salvatorem, non cæremonias dantes sa-
ta fuit. Sed jam dictum ... præfigurantes instituit, & ad quarum decorem cæremoniæ
promittentes, & præfigu... quas instituendi facultatem Christus Ecclesiæ
lutem, quales Christus ... Calvinus. In specie item dicit Calvinus, in
Ecclesiasticæ spectant, quas ... tradit ... fuisse benedictionem, aut potius incan-
commisit, ut ipse tradit ... inventam ... consecrationem pollueret. Sed aqua, quæ
probrum Baptismi inventam aquæ non potest benedici? Nunquid consecra-
tationem, quæ veram aquæ numquid ... preces, seu benedictionem, per quam vim
potest consecrari, numquid ... deposcimus? Quod si quid alium sibi
tur aqua nisi per mysticas conferri ... erit, nos non item. Dicit, additos
salutarem ei a Deo conferri incantator ... simplicitati, & imperitiæ sæcularium
fingit Calvinus, ipse incantator Hieronymus ... rudium muliercularum tribuit. Sed horum
fuisse cereos, quos Hieronymus ... esse, supra ostendimus. Hieronymus autem
hominum, aut devotioni rudium ... usum non reprobat, immo laudat,
usum pium, & antiquum cereorum ... Vigilantii vindicat. Cereos, inquit, non cla-
(*lib. advers. Vigilant.*) cereorum ... in sepulchris Martyrum) ut ipse calu-
atque adversus calumnias Vigilantii ... noctis tenebras hoc solatio temperemus, &
ra luce accendimus, (nimirum ... Quod si aliqui per imperitiam, & simplici-
mniaris. Accendimus, ut noctis ... vel certe religiosarum fœminarum, hoc
vigilemus ad lumen . . . . hominum, ... faciunt, quid inde perdis? . . . Neque Christus
tatem sæcularium hominum faciunt ... neque Martyres lumine cereorum. Et tamen il-
pro honore Martyrum, neque ... honorem hoc fecit, ac devotio mentis ejus lau-
indigebat unguento, ... in Christi ... accendunt Cereos, secundum fidem suam mer-
la mulier in Christi honorem ... olim fiebat Idolis, & ideo detestandum est;
data est. Ita & qui accendunt ... Illud ... & ideo recipiendum est. Nam & absque Marty-
cedem habent. . . . Illud olim ... totas Orientis Ecclesias, quando Evangelium legi-
hoc fit Martyribus, & ideo ... tur,
rum reliquiis, per totas

tur, accenduntur luminaria jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed in signum lætitiæ demonstrandum .... ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua dictum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis. Hæc Hieronymus. Carpit item nominatim Calvinus exsufflationem, & sputum, quæ in baptismo adhibentur, quæque ille crassiora ludibria, nugas, & Satanæ imposturas vocat. Sed harum rerum inter mysticas cæremonias meminerunt Ambrosius, (*De iis qui initiantur cap.* 1.) atque Augustinus. (6. *cont. Jul. cap.* 2.) At vero de antiquitate non dubitat Calvinus; respuere tamen mihi fas est, inquit, & piis omnibus, quicquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines. Sed bene habet. Nam eas cæremonias ludibria, nugas, & Satanæ imposturas appellat, quibus Christus ipse primum usus est. Quippe Spiritum Sanctum daturus Apostolis exsufflavit, & cæcum a nativitate illuminaturus lutum fecit ex sputo, atque oculos ejus perlinit. Sed hujusmodi vesanorum hominum deliramenta refutare non piget solum, quod ille inquit, sed etiam tædet.

7. Totam hanc de Sacramentis in genere doctrinam brevibus canonibus tredecim complectitur Tridentina Synodus, & opportune eos hic subdimus cum Tournelio.

I. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit.

II. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.

III. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

IX. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam Spirituale, & indelebile unde ea iterari non possunt, anathema sit.

X. Si quis dixerit, Christianos omnes in Verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

XI. Si quis dixerit, in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.

XII. Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos; aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

PROPOSITIO IV.

Baptismus est Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ.

1. Et quidem esse Sacramentum nemo negavit, nisi qui omnia Sacramenta negaverit. Invenitur enim ejus institutio, & mandatum: (*Jo.* 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei .... Invenitur ejus ritus externus apud Paulum: (*Ephes.* 3.) mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Quodnam autem sit hoc verbum, Christus expressit: (*Marc.* 28.) Baptizantes eos in nomine Patris &c. Invenitur effectus ejus apud Paulum: (1. *Corinth.* 6.) Abluti estis, sanctificati estis, cujus interioris ablutionis signum est sensibilis, & externa Corporis ablutio. Invenitur gratia, & sanctificatio huic ritui alligata ex verbis Christi: (*Mar. ult.*) Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Habetur ergo signum sensibile ex institutione Dei justitiam, & sanctitatem significans,

cans, & efficiens, hoc est, verum, & proprium Sacramentum per primam hujus.

2. De tempore Institutionis disputant Theologi. (*qu.* 66. *art.* 2.) Illud certum est, ante Christi passionem jam fuisse institutum. Nam scriptum est: (*Joan.* 3.) Venit JESUS in Judæam terram cum discipulis suis, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat. Et iterum: (*cap.* 4.) Audierunt Pharisæi, quod JESUS plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes, quanquam JESUS non baptizaret, sed discipuli ejus .... Discipulis autem baptizantibus, dicitur Christus baptizare, quia illi ut Ministri, hic ut author Sacramenti, quod est apud Augustinum. (*Tr.* 5. *in Joan.*) Christus ergo erat author baptismi a discipulis dati, qui eos baptizandi munere fungi jubebat, ut Nicetas loquitur: (*in* 20. *orat. Nazianz.*) Non ergo erat ille, quem conferebant, baptismus Joannis, sed baptismus Christi. Quod si babaptismus Joannis fuisset, non orta esset contentio inter discipulos Joannis, & Christi, nec Joannes baptismum suum a baptismo Christi discernendum curasset, dicens; (*Math.* 3.) Ego baptizo in aqua, ille autem baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igni .... (*Joan.* 1.) Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Item si baptismus ab Apostolis datus fuisset baptismus Joannis, omnes sic baptizati debuissent postea per baptismum Christi ablui, sicut in Actis factum legitur cum illis, qui solum baptisma Joannis acceperant. (*cap.* 19. *&* *notavit Augustinus.*) Absurdum autem videtur dicere, baptizatos ab Apostolis authoritate Christi iterum baptizari debuisse.... Dicendum est ergo, quod Sacramenta novæ legis ex sui institutione habent, ut conferant gratiam: ergo tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quum illi data est a Christo virtus conferendæ gratiæ; hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus .... (*Amb.* 2. *in Luc. cap. ult.*) Est enim baptizatus Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non novit, baptismatis jus haberent... (*Hier. in* 3. *Marc.*) Ut contactu suo aquas sanctificaret... (*Bed. in* 1. *Luc.*) Ut vim regenerativæ sanctificationis perciperent... (*Hil. cap.* 2. *in Math.*) Ut exempli sui authoritate humanæ salutis Sacramenta consummaret, hominem & assumptione sanctificans, & lavacro.. (*Aug. ser.* 36. *de temp.*) Ut per baptismum aquæ esset purificatio comprobata, quæ sunt apud Ambrosium, Hieronymum, Bedam, Hilarium, Augustinum, & Patres fere omnes: ergo tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum.

3. Baptismus enim ille, quem Christus suscepit, non fuit nisi baptismus Joannis; sed in eo ipso, quod baptizatus est Agnus Dei, (*Max. hom.* 1. *in Epiph.*) regenerantis baptismi salutare nobis munus est

est dedicatum. Consecravit enim fluenta Jordanis vim tribuens aquis, ut per eas ad novam vitam renasceremur. Accedit JESUS, inquit Nazianzenus, (orat. in sanc. lum.) ut veterem Adam in aquis sepeliret, & antea omnia, ut ei sanctificarentur aquæ Jordanis, ut sicut erat spiritus, & caro, ita his, qui baptizandi erant, in spiritu, & aqua sanctificationis successio traderetur. Nec solum aquam tanquam medium regenerationis monstravit, sed etiam Trinitatis baptismum sanctificatis mysterium aperuit. (*Dam.* 4. *de fid. cap.* 10.) Nam & vox Patris intonuit, & Spiritus Sanctus descendit sicut columba in ipsum, qui se nobis suscipiendi baptismi exemplum, & formam præbuit. Baptismi quoque significavit effectum. Nam per descensionem columbæ, Spiritus Sancti in lavacro credentium monstravit adventum, inquit Hieronymus, (in 3. *Math.*) atque ut Baptismi Sacramentum quid valeat, ostenderetur, quod est apud Augustinum, seu quis est author libri de Mirabil. Sacr. Scriptur. (*cap.* 5.) Dixit autem rectissime D. Thomas, quantum ad ipsum Sacramentum. Nam si Sacramentum institui dicatur, quando præceptum de eo suscipiendo traditur, atque imponitur, aliter dicendum est. Nam necessitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post resurrectionem, tum quia in Passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus successit baptismus, & alia Sacramenta novæ Legis, tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni, & Resurrectioni Christi, quatenus moritur peccato, & novam incipit justitiæ vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi passioni, & Resurrectioni ipsius, in quo sensu dixit Leo Papa (*ep.* 4. *cap.* 3.) Christum non dedisse Apostolis ritum baptizandi usque ad Resurrectionem.

4. Oppones tamen Joannem Chrysostomum hom. 28. in Joan. Theophylactum ad 3. & 4. Joannis Tertull. cap. 11. de Bap. & Rupertum lib. 3. in Joannem ajentes, Apostolos ante passionem Christi non baptizasse baptismo Christi, sed solum baptismo Joannis. Respondeo, Chrysostomum eodem modo exponendum, quo S. Leonis verba exposuimus. Tertullianum vero, Theophilactum, & Rupertum a paradoxa opinione excusare non possumus propter rationes factas. Præterea: Finis Baptismi Joannis erat, ut Christus manifestaretur Israeli, & per pœnitentiam homines ad gratiam per Christum dandam, præpararentur: ergo in ipso actu baptismi sui annuntiare debuit Christum venturum, & gratiam per eum conferendam, & ideo dicitur a Patribus baptizasse in nomine Christi venturi, aut in nomine Salvatoris, & Paulus ait, (*Act.* 19.) Joannem prædicasse baptismum Pœnitentiæ ad populum dicendo: ut in eum, qui post ipsum venturus est, crederent; sed hunc ritum, sive dicas formam conferendi bapti-

ptismi servare non poterant Apostoli, Christo jam præsente, & prædicante: ergo Apostoli nunquam baptizare potuerunt baptismo Joannis. Confirmatur: Nam Joannes nunquam legitur per alios, sed per semetipsum baptizasse, nam si per alios ministros facere potuisset, non cessasset ejus baptismus, ipso in carcerem conjecto; cessavisse autem aperte innuitur ex eo, quod scriptum est: (*Joan.* 3.) Veniebant, & baptizabantur, nondum enim erat Joannes missus in carcerem. Supponitur ergo, quod ait Chrysostomus, usque ad eum diem baptizasse, ac deinde ejus cessasse baptismum. Confirmatur quoque assertio posita ex Augustino, (*epis.* 108.) cum quo respondet D. Thomas 3. p. q. 38. art. 6. ad 2. Sicut Augustinus dicit ad Seleucianum: Intelligimus Apostolos fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis, (sicut nonnulli arbitrantur) vel quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet bapsizatos servos, per quos cæteros baptizaret.... (*ad* 3.) Dicit etiam Chrysostomus (*homil.* 4.) super Mathæum, quod per hoc, quod Joanni dicenti: Ego a te debeo baptizari, respondit: Sine modo, ostenditur quod postea Christus baptizavit Joannem. Chrysostomo consonat Nazianzenus dicens: (*orat.* 20.) sciebat enim paulo post futurum, ut ipse Baptistam baptizaret, quod etiam innuit Maximus dicens, (*homil.* 1. *de Epipha.*) Christum suum purificasse Baptistam .... Certum tamen est, quod sicut Hieronymus dicit super illud, (*Math.*) *Sine modo* sicut Christus fuit baptizatus in aqua ab Joanne, ita Joannes a Christo erat in spiritu baptizandus, vel medio baptismo novæ legis, vel sine *illo*, quia Christus institutor baptismi, etiam sine illo sanctificare Joannem, & alium quemcumque potuit, uti (*in prop.* 1.) de baptismo Joannis, & ejus discrimine a Baptismo Christi legendus D. Thomas qu. 38. citata. Rationes autem Ruperti invalidæ sunt. Ait enim, baptismum collatum ab Apostolis ante passionem non habuisse efficaciam gratiæ, quia eam habet Baptismus a passione Christi, quæ nondum erat. Sed passio Christi non ex crucifixione solum desumenda est, sed ab ipso Incarnationis momento. Non enim virtus Christi a passione, sed contra passio vim habuit sanctificandi ex virtute Christi, quam statim Incarnatus plenissime habuit, & Sacramentis communicare potuit, quod notavit D. Thomas eadem qu. 66. art. 2. ad 1. Opponit etiam illud Joannis: (*cap.* 7.) Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus: ergo ante resurrectionem, & glorificationem Domini non dabatur Spiritus Sanctus per baptismum. Distinguo: nondum Spiritus datus solenni, & visibili missione, concedo; spirituali, & invisibili missione in sanctificationem, nego. Nam Joannes Baptista ante glorificationem JESU repletus dicitur (*Luc.* 1.) Sp. Sancto ex utero matris suæ, &

de

de Simeone dicitur: (*Luc.* 2.) Spiritus Sanctus erat in eo, & in justis omnibus ab initio mundi. Nam charitas in omnium corda diffunditur per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. (*Rom.* 5.)

5. His autem de tempore Institutionis obiter disputatis, dicitur Baptismus Sacramentum regenerationis. Non enim, ait Chrysostomus, (*Cateches.* 1. *ad illuminand.*) simpliciter peccata dimittit, nec simpliciter nos puros a delictis ostendit, sed denuo nos condit, & conficit, non de terra componens iterum, (quod Nicodemo visum fuit) sed ex aquarum elemento, & Spiritu Dei nos procreans, ut divinæ efficiamur consortes naturæ, & in novitate vitæ ambulemus. Ex hac autem ratione novæ generationis, quæ fit per baptismum quatuor ejus effectus, veluti totidem Corollaria deducit D. Thomas in 4. contr. Gentes cap. 59.

COROLLARIUM I.

6. Per baptismum non solum peccatum originale, sed omnia etiam personalia remittuntur. Generatio enim est quædam mutatio de non vivente in vitam: vita autem spirituali privatus est homo in sua origine per peccatum originale, ac deinde quæcumque peccata denuo sunt addita, abducunt hominem a vita: oportuit ergo baptismum, per quem homo regeneratur talem vim habere, ut per eum tollatur quicquid opponitur spirituali vitæ, nimirum, omne peccatum tam originale, quam actuale. (3. *p. q.* 69. *art.* 1.) Scriptum est enim: (*ad Rom.* 6.) Existimate vos mortuos esse peccato; viventes autem Deo in Christo JESU .... Quicumque enim baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus. Ex quo patet, homines per baptismum mori vetustati peccati, & incipere vivere novitati gratiæ; omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: unde omne peccatum per baptismum tollitur. Hinc Augustinus: (1. *de peccato merit. & remis. cap.* 15.) Generante carne, tantummodo originale peccatum trahitur; regenerante spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum omnium fit remissio peccatorum, in quam sententiam Patres omnes conspirant. Unde Florentinum Concil. in Decreto Eugenii: Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis peccati tam originalis, quam actualis. Tollit enim, ut Tridentinum loquitur, (*sess.* 5. *can.* 5.) omne id, quod veram, & propriam habet rationem peccati.

COROLLARIUM II.

7. Baptismus hominem non solum a culpa abluit, sed ab omni reatu pœnæ absolvit. Generatio etiam formæ unius est præcedentis formæ corruptio: ergo id, quod generatur, priorem formam amittit; sed amissa forma, amittuntur omnes proprietates, & qualitates ipsam comitantes, & consequentes: necesse est ergo, quod per baptismum, qui est spiritualis generatio, non solum tollantur peccata, quæ sunt spirituali vitæ contraria, sed etiam omnes peccatorum effectus, ac reatus.... (3. *p. q.* 69. *art.* 2.) Cujus ratio ulterior est, quia per baptismum homo incorporatur passioni, & morti Christi, juxta illud: (*Rom.* 6.) Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul cum Christo vivemus. Induimus enim novum hominem, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad redimendum, eamque suam facit, tanquam si ipse mortuus, & passus fuisset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro peccatis totius mundi. Et ideo baptizatus liberatur a reatu totius pœnæ sibi pro peccatis debitæ, tanquam si ipse pro suis peccatis omnibus sufficienter satisfecisset. Unde Apostolus quum dixisset: (*Rom.* 6.) Consepulti enim sumus per baptismum in morte, concludit: (*Rom.* 8.) Nihil est ergo damnationis iis, qui sunt in Christo JESU. Confirmat hanc veritatem D. Thomas testimonio Ambrosii, cui & alios ibi (*disp.* 26. *sess.* 1.) addit Suarezius, & plures Tournelius. (*q.* 4. *de Baptism. art.* 1.) Satis pro omnibus Florentini Concilii definitio in decreto Eugenii: Baptismi effectus est remissio omnis culpæ tam originalis, quam actualis, omnis quoque pœnæ. Et Tridentinum (*Sess.* 5. *cap.* 5.) statuit, nihil esse in renatis, quod eos prorsus ab introitu cœli remoretur, quod ex Augustino desumptum est in 2. de peccat. mer. cap. 28. Non enim est, inquit, quod hominem obnoxium teneat, solutis omnibus, quæ tenebant. Intelligenda sunt hæc autem de reatu pœnæ tam æternæ, quam temporalis. II. de reatu pœnæ, quoad Deum, non de reatu pœnæ quoad homines. Unde licet homicida in carcere baptizetur, remanet tamen obligatus quoad homines, quos justum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen, inquit D. Thomas, (*ibid. ad* 3.) talibus Princeps posset pœnam indulgere.

8. Ex his duobus Corollariis duo alia subinfert D. Thomas. Primum: (*qu.* 68. *art.* 6.) Accedentes ad baptismum non teneri ad peccatorum externam Confessionem, quæ fit Sacerdoti. Nam primo talis confessio, quum requirat personam Ministri, pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ. Baptizandus autem neque potest suscipere Sacramen-

menta reliqua, neque potest absolvi, quum sit extra Ecclesiam, quæ non judicat de iis, qui foris sunt. (1. *Corinth.* 5.) Item quia non indiget potestate Clavium, quum omnia peccata ei facilius, & securius remittantur per baptismum. Denique quia ipsa particularis confessio homini facta pœnosa est propter verecundiam confitentis. Baptizandis autem non est onus imponendum, ne a baptismo retrahantur. Quod si loquamur de interna Confessione, quæ fit soli Deo, talis confessio requiritur ante baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest inchoare novam vitam, ut est apud Augustinum, (*lib. de pænitent. cap.* 2.) nisi pæniteat eum veteris vitæ.... Et ad hoc sufficit generalis illa externa confessio, quam faciunt, quum secundum ritum Ecclesiæ abrenunciant Satanæ, & omnibus pompis ejus. Et hoc modo dicit Glossa in 3. Math., quod in Baptismo Joannis exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata, & promittendi meliora. Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata in particulari confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ut a peccatis absolverentur, nec ut eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc, ut contra peccata consueta, eis spiritualis informatio vitæ traderetur. Et in hoc sensu exponendus est Tertullianus inquiens: (*de Bap. cap.* 20.) Ingressurus baptismum cum orationibus, jejuniis, &c. & omnium retro delictorum confessione. Quibus similia Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Socrates, & alii Veterum.

9. Ex secundo autem Corollario subinfert D. Thomas. (*qu.* 68. *art.* 5.) Peccatoribus baptizatis non esse satisfactoria opera imponenda. Baptizati enim (*Rom.* 6.) consepulti sunt Christo per baptismum in mortem. Ita scilicet quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi, eamque quodammodo suam facit; mors autem Christi satisfactoria fuit abundanter pro peccatis non solum nostris, sed etiam pro totius mundi, ut dicitur 1. Joannes: (*cap.* 2.) ergo ei, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio injungenda: hoc enim esset injuriam facere passioni, & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. Hinc illud Ambrosii: (*super illud Rom.* 11. *Sine pænit. sunt dona, & vocatio Dei.*) Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, aut planctum, nec opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonat. Quod si ex devotione ab Catechumenis orationes, jejunia, & hujusmodi fiant, ea non proderunt ad remissionem peccatorum, & gratiam simpliciter obtinendam, sed ad augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, quæ in melius disposito majora erunt.

CO-

COROLLARIUM III.

10. Baptismus non solum gratiam confert, sed etiam virtutes, & dona &c. Baptizatus enim regeneratus est; quod regeneratur autem novam formam acquirit, acquisita autem forma, etiam acquiruntur proprietates, & actiones formam consequentes, sicut ignis mox generatus calefacit, & sursum fertur: ergo quum gratia sit principium, & radix omnium donorum, & virtutum supernaturalium, quibus functiones vitæ spiritualis exercentur, ipsa habita, habentur saltem in habitu virtutes, & dona, quod definitum est in Conc. Viennens. (*Clement.* 1.) ex Aug. lib. 1. de peccat. mer. cap. 19., & alibi. Ad hoc enim valet baptismus, (3. *p. qu.* 69. *art.* 4.) ut baptizati Christo incorporentur, fiantque membra ejus; sed a Christo Capite derivantur virtutes, & dona in omnia ejus mystica membra, nam (*Joan.* 1.) de plenitudine ejus omnes accepimus. Unde manifestum est, quod per baptismum homo consequitur gratiam, & virtutes. Hinc baptizati statim idonei sunt ad spirituales actiones, sicut ad susceptionem reliquorum Sacramentorum, & alia hujusmodi, & statim debetur eis locus spirituali vitæ congruus, qui est regnum cœlorum, cujus semen, & pignus in ipsis est, nimirum gratia, per quam filii Dei sunt; quod si filii, & hæredes. Ex quo explicantur diversa nomina, atque effectus, quæ de Baptismo prædicant Patres, quum vocant Illuminationem, mentis perfectionem, donorum Dei præstantissimum, Unctionem &c. apud Nazianzenum, Basilium, Cyrillum &c. quæ tetigit D. Thomas q. 69. art. 5. & ad parvulos extendit eadem quæst. art. 7. Quod autem dixit de jure ad regnum cæleste, explicuit fusius ejusdem quæst. art. 7.

COROLLARIUM IV.

11. Baptismus iterari, aut repeti non debet. Unius enim rei est una tantum generatio; sed baptismus est spiritualis hominis generatio: ergo unus homo semel tantum baptizandus est. Sic enim intelligenda est, inquit Augustinus, (*tr.* 13. *in Joan.*) nativitas spiritus, quomodo intellexit nativitatem carnis. Quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus. Item baptismus præcipue datur contra infectionem originalis peccati, quæ fuit per Adam; hæc autem repeti non potest: ergo nec baptismus. Est hoc etiam commune, ut ex quo res aliqua consecrata est, quandiu manet, ulterius consecrari non possit; baptismus autem est quædam consecratio, per quam homo in Dei cultum deputatur: non est igitur iterandum baptisma.

Præ-

Præterea: Baptizamur in morte Christi, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ: Christus autem semel tantum mortuus est, & ideo baptismus iterari non debet. Una enim mors, ut in Glossa dicitur, unum baptisma consecravit, propter quod ad Hebr. 6. contra quosdam rebaptizari volentes dicitur: Prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Loquitur autem hic (*qu.* 66. *art.* 9.) D. Thomas, ut fere semper, ore, & verbis Patrum. Rursum Crucifigentes, ait Ambros. in 2. de Pœnit. (*cap.* 2.) Nam in eo, qui baptizatur, Christus crucifigitur, quia non potest caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo JESU. Quicumque enim baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus. Igitur vetus homo noster (per baptismum) simul crucifixus est Christo, ut destruatur corpus peccati. Igitur si iterum baptizamur, iterum Christum, & cum Christo nos crucifigimus. Quod ergo ait ad Hebr. (*cap.* 6.) rursum crucifigentes filium Dei, eo spectat, ut de baptismate dictum credamus. Ita concludit Ambrosius. Simile quid habetur in 6. Const. Apost. (*cap.* 15.) Uno baptismo contenti simus, qui in Domini mortem traditur. Nam qui baptismum repetunt, crucifigunt rursus Dominum. Eodem modo argumentatur Basilius in lib. de Spiritu Sancto: (*cap.* 15.) Non, inquit, Judæorum more quotidie baptizamur, & pro quibuslibet inquinamentis abluimur, sed unum novimus salutiferum baptisma, quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis resurrectio, quarum baptisma est figura. His similia Tertull. in lib. de baptismo cap. 15., Optatus 5. cont. Parmenian. Damas. 4. de fid. cap. 10. Aug. tr. 5. 11. 15. in Joan. & contr. Donatist. sæpius. Locum autem Pauli ad Hebr., ut Ambrosius, ita de baptismo interpretati sunt Augustinus de ver. & fals. Pœnit. cap. 3. Epiph. hær. 59., Chrysost. hom. 9. in ep. ad Hebr. Theodoretus, & Theoph. in 6. ad Hebr. Phylast. hær. 89. Ex quibus Leo Papa: (*ep.* 37. *ad Joan. Rav.*) Inexpiabile, inquit, facinus est, quoties cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate Sacramentum .... (*ep.* 79. *ad Nicet.*) Hanc igitur regulam servandam universis Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: (*Ephes.* 4.) Unus Deus, una fides, unum baptisma. Confirmat hoc ipsum Ambrosius (*loc. cit.*) ex verbis Pauli ad Hebræos infra ajentis: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam. Loquitur enim apertissime Apostolus de iis, qui post baptismi gratiam peccaverunt, & hos, inquit, im-

impossibile esse rursum renovari ad pœnitentiam. Non loquitur autem de Pœnitentia, quæ est virtus. Nam per eam semper ad Deum peccatori patet accessus, nec de pœnitentia, quæ est Sacramentum, ut patet ex contraria doctrina Ecclesiæ, atque Paulo eodem in 1. ad Corinth. (*cap.* 5.) ergo solum loquitur de renovatione ad Pœnitentiam per baptismum: Baptismus ergo iterari non potest. Denique: Per baptismum homo solenniter deputatur ad ea, quæ sunt divini cultus secundum ritum Religionis Christianæ, & facultatem accipiendi quodvis Sacramentum adquirit perpetuam, & constantem, nulla authoritate amissibilem; hæc autem spiritualis, & inamissibilis capacitas: caracter dicitur, ut in 1. prop. explicatum est ergo per baptismum imprimitur spiritualis caracter indelebilis; sed facultas semel concessa, & inamissibilis repeti non potest; non enim esse potest ad eamdem rem duplex deputatio, aut duplex potestas: baptismus igitur repeti non potest.

12. Est igitur unum baptisma, quod ab Apostolo dictum est. Unum quidem numero in unoquoque baptizatorum, quia repeti non potest. Unum item specie in tota Christi Ecclesia. Nam baptismata Mosaica, quæ figuralia erant, evanuerunt adveniente Christo, per quem veritas, & gratia facta est. Baptisma autem Joannis, cum ipso desiit. Erat enim, non Sacramentum, sed veluti quoddam Sacramentale præparatorium ad Christi baptismum, quo jam promulgato, cessare debuit. Distinguuntur item baptismata flaminis, & sanguinis, sive Martyrium. Sed hæc dicuntur Baptismata metaphorice, & quatenus baptismi effectum præstant, non tamen sunt Sacramenta, ut tradunt cum D. Thoma (*art.* 11.) communiter Theologi. Quo tamen modo Baptismi vicem suppleant, infra dicetur.

13. Dicitur autem per lavacrum aquæ, ut materia baptismatis designetur. Est siquidem materia duplex. Alia remota, nimirum, naturalis, & elementaris aqua, prout vulgo eo nomine significatur. Alia proxima, nimirum, ablutio ipsa seu lavacrum per aquam. Primum horum, nimirum, materiam remotam Baptismi ab Christo institutam esse aquam, patet ex verbis ipsius Christi ajentis. (*Joan. cap.* 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Unde & Actor. 10. dicitur: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi? Congruentes autem rationes quatuor affert D. Thomas. (*qu.* 66. *art.* 3.) I. quia baptismus est spiritualis quædam generatio; omnia autem generationum semina, aut liquida sunt, aut saltem humiditatem aliquam habent, & aquæ naturam in se continent. II. quia aqua humiditate sua abluit, frigiditate temperat, diaphanitate est susceptiva luminis, per quæ baptismi effectus significat. III. quia ut Chrysostomus inquit, (*homil.* 24. *in Joann.* 3. *super illud Nisi quis renatus fuerit* ..) capita nobis in

in aqua submergentibus, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, ut deinde lotus, & novus resurgat, per quod signatur nos commori, consepeliri, & resurgere cum Christo, ac novum hominem induere. IV. quia aqua ratione suæ communitatis, & abundantiæ maxime congruit necessitati baptismi. Ubique enim, & facile invenitur. Hæc D. Thomas. Nam neque rationes necessariæ, & convincentes quærendæ sunt, ubi de divinis agitur, quarum tota ratio est voluntas Institutoris. Dixi vero *naturalem*, *&* *elementarem*. De hac enim, quæ solum simpliciter aqua dicitur, verba Christi intellexerunt semper Patres. Justinus: (*Apolog.* 2.) Eo adducuntur, ubi aqua est. Nulla est autem distinctio, inquit Tertullianus, (*de Bap. cap.* 4.) sive mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur, neque quicquam refert inter eos, (quod ad materiam spectat) quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.... (3. *p. q.* 66. *art.* 4.) Aqua vero suam puritatem, & simplicitatem amittere potest vel per mixtionem alterius corporis, vel per alterationem. Utrumque autem horum fieri potest vel per artem, vel per naturam. Ars autem deficit ab operatione naturæ, quia non transmutat corpora substantialiter: unde omnes formæ artificiales, accidentales sunt, nisi quando per artem applicatur proprium agens ad propriam materiam, sicut ignis corpori combustibili.... Quæcumque igitur transmutatio fiat per artem sive commiscendo, sive alterando, non dissolvit speciem aquæ. Unde in tali aqua potest fieri baptisma, nisi forte tam parva quantitate aqua admisceatur, ut in aliud transeat compositum, sicut lutum magis est terra, quam aqua, & vinum lymphatum magis est vinum, quam aqua. Sed transmutatio, quæ fit a natura, quandoque quidem solvit speciem aquæ, & hoc fit quando aqua efficitur per naturam de substantia alicujus corporis, sicut aqua conversa in liquorem uvæ est vinum, unde non habet speciem aquæ. Quandoque autem fit per naturam talis transmutatio, quæ non solvit speciem aquæ, & hoc tam per alterationem, ut in aqua calefacta per solem, quam per mixtionem, ut in aqua turbida per commixtionem terrestrium partium. Dicendum est ergo, quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus, non vero si talis transmutatio sit, ut dissolvatur species aquæ. Hinc in vino, sputo, luto, & alchymicis extractionibus herbarum baptismus dari non potest, ut passim tradunt Theologi, & Canonistæ in cap. Majores de Baptismo. Unde Judæus ter super infusa arena humida baptizatus, in aqua denuo baptizari jussus est ab Dionysio Patriarcha, ut refert Nicephorus in 3. hist. Eccl. (*cap.* 37.) Quod vero dicitur de Siricio, & Stephano II. qui baptizatum in vino propter aquæ defectum, in eo baptismo perseverare

voluerunt, apocryphum est, immo certum est responsa illa super baptismi quæstionibus in Villa Carisiaco, Britanico Monasterio data, non esse Stephani Papæ Romani, nec Siricii, cui in alio Codice tribuuntur, sed Stephani Papæ Tornacensis (sic enim olim dicebantur etiam Episcopi), qui tunc S. Genovefæ Abbas erat, quando ea dubia Mauritio Episcopo Parisiensi proposuit Episcopus Claramontanus. Hinc in Codice Sanctæ Mariæ Laudunensis habetur: Finis definitionum Stephani Papæ Tornacensis, de quo exstat item mentio apud Van-Espenium in alia quæstione super formula baptismi, de qua infra.

14. Diximus item, materiam proximam baptismi esse ablutionem ipsam, seu lavacrum per aquam. (*qu.* 66. *art.* 1.) Quum enim Sacramenta novæ legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur sanctificatio; sanctificatio autem non est in aqua, sed per aquam, velut instrumentum, derivatur in hominem, qui est veræ sanctificationis subjectum: igitur Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem per physicum contactum, & confirmari potest ex ipso nomine. Baptismus enim non significat aquam, sed ablutionem .... (*qu.* 67. *art.* 7.) Ablutio autem per aquam fieri potest non solum per modum immersionis, sed etiam per modum effusionis, & adspersionis. Et ideo quamvis tutius fuerit baptizare per modum immersionis, dum ita ferebat usus communior Ecclesiæ, potest tamen fieri baptismus per modum adspersionis, aut etiam effusionis.... Unde apparet, quod est apud Cyprianum, (*ep.* 76.) adspersionem quoque aquæ, instar salutaris lavacri obtinere, & quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit & dantis, & accipientis fides integra, stare omnia, & consummari, & perfici posse majestate Domini, & fidei veritate. Augustinus etiam (*tr.* 8. *in Joan.*) docet, infantem aqua mundari, etiamsi tantillum tingatur: ergo corporis immersionem necessariam non putavit. Confirmatur. Nam Act. 2. tria millia hominum, & Act. 4. quinque millia crediderunt; at hæc per immersionem baptizata fuisse, non est verosimile. Deinde (*Act.* 16.) Paulo, & Syla in carcere detentis, custos carceris, & domus ejus tota baptizati sunt; quod non est verosimile per immersionem fieri potuisse. Præterea Romanum a Beato Laurentio per urceum aquæ legimus (*in ejus vita*.) Baptizatum; sed in aquæ urceolo Romanus immersus fuisse non potest. Simile quid legitur in actis S. Gratiliani, & in Actis S. Bachi junioris, & S. Ludgeri Episcopi: ergo his temporibus immersio necessaria non credebatur ad valorem baptismatis, præcipue quum magna esset multitudo baptizandorum, ut cit. 2., & 4. Actor. vel propter paucitatem aquæ, ut in citatis Actis Martyrum, vel propter debilitatem Ministri, qui non potest susten-

ta-

tare baptizatum, vel propter debilitatem baptizandi, cui ex immersione potest mortis periculum imminere. Hinc ipsimet Græci, qui morem baptizandi sine immersione in Latinis reprehendunt, tamen eundem in parvulis observant. Nam & nos, inquit Gregorius, vel melius Georgius Protosyncellus ad Marcum Ephesinum, (*Tom.* 13. *Conc. p.* 763.) haud quaquam immergimus infantes usque ad summum verticem;... sed cava manu aquam e fonte haurientes illos perfundimus, quod idem fatetur in sua Synopsi Neophytus Rhodinus. Immersio igitur non est de necessitate Baptismi, ut recte concludit in citato loco D. Thomas.

15. Quod si immersio necessaria non est, multo minus est necessaria trina immersio... (*qu.* 67. *art.* 8.) Ad baptismum enim per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Sacramenti; modus autem ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum.... Unde diversis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ unus modus observatus est; quandoque alius. Prima Apostolorum baptismata neque per trinam immersionem, neque omnino per immersionem facta fuisse, ex nuper dictis verosimilius est. Deinde in baptismo solemni trina immersio est inducta contra primorum sæculorum errorem, qui unica immersione unicam in Christo humanam naturam agnoscebant. Unde in Canonibus, qui Apostolici dicuntur, ita habetur: (*Can.* 50.) Si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebrat, sed semel mergit in baptismate, deponatur. Ubi notandum, pœnam imponi Ministro, qui contra communem Ecclesiæ ritum baptizabat, sed non juberi, ut baptismus repetatur, quod jubendum fuisset, si trina immersio de necessitate esset, & non de sola externa solemnitate baptismi. Desiit hic mos in Hispania primum, quum Gregorium enim Leander consuluisset, hic respondit, (*lib.* 1. *epist.* 43.) reprehensibile nullatenus esse posse, infantem in baptismo ter, aut semel mergere, quoniam & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Hanc porro Gregorii Epistolam, quamvis Alcuinus (*Epist.* 70. *ad Cler. Lugdunens.*) supposititiam crediderit, quod eam, ut inquit, in Epistolari Gregorii libro non invenerit, tamen veram, & genuinam agnovit IV. Concil. Toletan. annos 26. post Gregorii mortem celebratum, ibi: (*cap.* 6.) A tanto viro reddita est ratio, quoniam utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habetur: propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, Hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. In cæteris porro tum Orientis, tum Occidentis Ecclesiis in solenni Baptismo ritus trinæ immersionis persti-

stitit saltem usque ad medium sæculum decimum tertium, in quo S. Thomas scripsit. Concludit enim: (*loc. cit.*) Sed cessante tali causa, (qualem habuit Tolet. Concilium) communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo peccaret graviter, aliter baptizans, quia ritum Ecclesiæ non observaret; nihilominus verus esset baptismus.

16. Post sæculum igitur decimum tertium ritus ille paulatim desiit. Quo uno exemplo confundantur necesse est illi, qui antiquitatis studio, ac veneratione decepti, omnia ad primitivæ Ecclesiæ mores, & ritus conformare, & corrigere conantur. Nimirum, non erant in primis sæculis multæ in quovis pago Ecclesiæ, tollantur: Non erant in eadem Ecclesia multa Altaria: evertantur: non erant in templis Sanctorum Imagines, deleantur: non erant Beatæ Mariæ, aut Confessorum festa, omittantur: non erat cœlibatus Sacerdotum, non solennia Religionis vota, non diversa Monachorum instituta, eliminentur hæc omnia. Quorsum hæc? Discant vel ab suo Van-Espenio Ecclesiam interdum ritus aliquos, quamtumvis antiquitate venerandos, mutare, ubi id ob nascentes errores, vel alias justas, & graves ob causas expedire judicaverit, quas examinare non est privati cujusvis Episcopi, aut Provincialis Concilii, sed vel Conciliorum generalium, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, vel ejus, cui universæ Ecclesiæ, & totius gregis Christi cura commissa est.... (*Aug. ep.* 54. *ad Jan.*) Nec est ulla in his disciplina melior, gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agentem viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est tenendum, & propter eorum, inter quos vivimus, societatem servandum est. Quæ Augustini regula, nedum in Religiosis ritibus, ubi quævis exigua mutatio periculosa est; verum etiam in Politicis, immo & in communibus vitæ actionibus probatissima habetur. Qui enim in victu, aut vestitu, vel hujusmodi ab communi usu suæ gentis, & eorum, quibuscum vivit, exorbitat, aut aliquid significat, aut flagitiosus, aut insanus est, quod est apud eundem.

17. Dicitur autem *lavacrum aquæ in verbo vitæ*, ut id, quod est veluti forma baptismi designetur. Dicitur vero verbum vitæ illud, per quod baptismus aquæ habet, ut sanctificetur, & nos ad vitam regeneret. Jam vero Christus non solum baptismi præceptum dedit, sed etiam formam præscripsit dicens: (*Math.* 19.) Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quod autem hæc verba Apostoli in baptizando usurpaverint, patet ex Actis Apostolor. (*cap.* 19.) Nam interrogati a Paulo: An Spiritum Sanctum accepissent? responderunt: neque si Spiritus est, audivimus. Tum Paulus: In quo ergo baptizati estis? Quasi diceret: si Spiritum Sanctum esse nescitis:

tis: ergo non baptismum Christi suscepistis? In quo ergo baptizati estis? Hoc autem non esset consequens, nisi in baptismo Christi mentio fieret Spiritus Sancti: ergo Apostoli, & primi disciputi baptizantes expressam mentionem faciebant Spiritus Sancti, & consequenter Patris quoque, & Filii. Confirmatur id ipsum ex praxi totius Ecclesiæ quum Latinæ, tum Græcæ, ex Patribus omnibus, quum Latinis, tum Græcis. Ratio autem est, (*qu.* 66. *artic.* 5.) quia baptismus per suam formam consecratur, juxta illud ad Eph. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et Augustinus dicit, (6. *de Bapt. cap.* 25.) quod baptismus per verba Evangelica consecratur. Et ideo oportet, quod in forma baptismi exprimatur baptismi causa, ex qua virtutem, & efficaciam habet. Causa autem baptismi est duplex. Alia quidem principalis, a qua virtutem habet, nimirum, Sancta Trinitas, ut quorum una est Divinitas, una sit largitio, nomenque Trinitatis unus est Deus, quod est apud Hieronym. (*lib.* 4. *Comm. super Math.* 28.) Alia instrumentalis, scilicet, Minister, qui tradit exterius Sacramentum. Oportet ergo in forma baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, quum dicitur: Ego te baptizo; causa autem principalis, quum dicitur: In nomine Patris &c. Unde hæc est conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quam D. Thomæ doctrinam compendio tradidit Florentina Synodus dicens: (*in decr. pro Armen.*) Quum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas; instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum Ministrum exercetur, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur baptismus.

18. Duo tamen opponuntur vulgo ab Scholasticis contra assertionem datam. I. Nam expressa, & distincta invocatio Trinitatis non videtur necessaria, nam in Actibus Apostolorum (*cap.* 2. 8. 10. 19.) sæpe dicuntur baptizati in nomine JESU: ergo non in nomine expresso Trinitatis. Confirmatur ex Responsis Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, ibi: (*cap.* 104.) Qui in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actis Apostolorum legitur) baptizati sunt, (unum quippe, idemque est, ut Sanctus ait Ambrosius) rebaptizari non debent. Locus autem Ambrosii, quem Nicolaus innuit, est in 1. de Spiritu Sancto cap. 3., ibi: Baptizati sunt itaque in nomine JESU Christi, nec iteratum baptisma, sed novatum, id est, de novo collatum. Unum enim baptisma. Porro controversiam hanc de baptismo in nomine Christi ab omnibus passim, qui de Baptismo scripserunt, Theologi, tractatam invenies, sed implicatam magis, quam plene discussam. Quidam I. dicunt, in Actis Apostolorum (*cap.* 2.) appellari baptismum in nomine Christi, quem Apostoli

con-

conferebant, quia erat baptismus Christi, & quia virtutem, & efficaciam nullam habet, nisi ex authoritate Christi, & institutione, sicut dictum est: (*Marc.* 16.) In nomine meo dæmonia ejicient.... (*Coloss. cap.* 3.) Omnia in nomine JESU Christi facite .... (2. *Corinth.* 2.) Si quid donavi propter vos in nomine Christi. Sicut dicitur fieri Regis nomine, quod fit jussu, & authoritate Regis. Itaque Apostoli baptizantes in nomine Patris &c. juxta mandatum, & institutionem Christi, recte, & vere baptizare dicuntur in nomine Christi. Et hæc quidem expositio vera est, & satis propria, essetque omnino sufficiens, si de mera Scripturarum littera, verbisque ageretur. Scripturas autem juxta Patrum mentem, & communem sensum interpretari debemus. Patres autem ea Actorum loca interpretati sunt de invocatione solius nominis JESU Christi sine expressa invocatione trium personarum. Id patet primo ex verbis Nicolai ajentis: In nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi. Secundo patet ex Ambrosio post citata verba ajente: Nunc consideremus, utrum sicut in Christi nomine plenum esse mysterium legimus Sacramentalis baptismatis, ita etiam Sancto tantum Spiritu invocato nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur. Quia qui unum horum unum dixerit, Trinitatem signavit. Nam si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti. Putavit ergo Ambrosius, solo nomine Christi dicto, totam Trinitatem designari, atque adeo tantum esse ad mysterii plenitudinem, si dicatur baptizo te in nomine JESU Christi, ac si diceretur in nomine Patris &c. Ex quibus impugnatur responsio Joannis Harduini in quadam singulari Dissert. de hoc argumento, quam etiam sequitur Tournelius dicens: (*q.* 1. *art.* 4. *de Bapt.*) Ambrosium non agere de forma baptismi, sed tantum de fide baptizandi. Non enim invocatio Trinitatis ad baptizatum, sed ab baptizantem spectat, & quamvis spectaret ratione fidei, quam in baptismo profitetur, tamen non sufficeret ad plenitudinem Sacramentalis baptismi sine expressa invocatione Ministri, ut planum est. Ambrosius Basilium sequutus est, ut sæpe alias, præcipue in libris de Spiritu Sancto. Basilius autem: (*de Spiritu Sancto cap.* 12.) Neminem, inquit, in fraudem inducat, quod nomen Patris, & Spiritus Sancti in baptismatis commemoratione frequenter omittitur, nimirum, in Actis Apostolorum, neque adeo putet, harum vocum esse indifferentem usum. Siquidem Christi appellatio totius Deitatis est professio, quippe quæ simul declarat & Deum Patrem, qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unctio. Putavit ergo baptismum in Christi nomine sine mentione expressa Patris, & Spiritus Sancti validum esse, quia in nomine Christi uterque simpli-

ci-

citer continetur. Idem in 5. contra Eunomium (*cap.* 3.) probat, Spiritum Sanctum esse Patri, & Filio æqualem, quia nomen Spiritus Sancti in Apostolis eadem operatus est, quæ Patris, ac Filii nomen in iis, qui ex Gentibus credebant, & Domini JESU nomen in credentibus Judæis, alioqui, ait, minus gratiæ accepissent per lavacrum Apostoli, quam Gentes. Author Anonymus Cypriano coævus Tractatum edidit, qui exstat in Bib. PP. cui titulus: Non debere denuo baptizari, qui semel in nomine Domini JESU Christi abluti sunt. Hilarius (*lib. de Synod. prope fin.*) disputat: Quomodo non in crimine reperiantur Apostoli, qui in nomine Patris &c. baptizare jussi, in nomine JESU baptizabant? Augustinus in 2. contr. Maximinum: (*cap.* 17.) Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini JESU. Non ait: in nomine Spiritus Sancti, nec Pater ibi nominatus est. Si autem non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Domini JESU Christi baptizari jussi sunt, & tamen in nomine Patris, & Spiritus Sancti baptizati intelliguntur, ita quum omnia dicuntur facta per Filium, intellige facta per Spiritum Sanctum. Supponit ergo, nominato JESU Christo, alias duas personas intelligi, quamvis non nominentur. Idem habet Beda, Ambrosio citato, in 10. cap. Act. Apostol. Idem Cyprianus, cujus verba infra opportunius adducentur. Bernardus epist. 304. ad Henricum Archidiaconum approbat baptismum sub hac formula: Baptizo te in nomine Dei, & Sanctæ veræ crucis collatum.

19. Nihilominus hi omnes Patres uno ore confitentur, baptismum nullum esse, nisi expressa adhibeatur invocatio Trinitatis. Ita Ambrosius in libr. de Mysteriis: (*cap.* 4.) Credit Catechumenus in crucem Domini JESU, qua & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum. Basilius de Spiritu Sancto: (*cap.* 12.) Fides perficitur per baptismum; baptismus vero fundamento fidei innititur, & res utraque per has voces impletur. Sicut enim credimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sic baptizamur in nomine Patris &c. Author Anonymus citatus: Neque putes huic tractatui contrarium esse, quod dixit Dominus: Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c., quia quum hoc verum, & in Ecclesia modis omnibus observandum sit, & observari solitum &c. Augustinus (6. *de Bapt. cap.* 17. & 25.) solum verbis Evangelicis baptismum consecrari, testatur. Beda in libr. var. quæstion. (*qu.* 14.) Si quis dicat, Baptizo te in Christo JESU, & non dicat in nomine Patris &c. non est verus baptismus. Cyprianus: (*epist.* 73. *ad Jubajan.*) Quomodo ergo quidam dicunt.... modo in nomine JESU Christi ubicumque, & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum con-

sequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jusserit in plena, & adunata Trinitate? Similia Origenes, Didymus, Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, & quis non Patrum? Quid ergo dicemus, Patres Patribus aliis, immo & sibimet ipsis contraria scripsisse in re gravissima, & maxime necessaria? Absit. Utrumque verum. Nam Christus (*qu.* 66. *art.* 6.) instituit Sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis dicens: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c. Quidquid ergo desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat, quod in nomine unius personæ intelligitur alia, (sicut in nomine Patris intelligitur Filius,) aut quod ille, qui solum nominat unam personam, habeat fidem de duabus aliis, quam rationem, licet afferant Patres Basilius, Ambrosius, & Augustinus, non ideo afferunt, ut baptismum sine distincta expressione Trinitatis valere posse, confirment; sed ut demonstrent, etiam baptismum in nomine solius JESU Christi collatum, quodammodo collatum esse in nomine Trinitatis, quod Christi nomen totam Trinitatem includat, ungentem, scilicet, unctum, & unctionem. Non id, inquam, obstat, ait D. Thomas, quia Sacramentum, quum sit signum sensibile, non solum requirit materiam sensibilem, sed etiam formam sensibilem, id est, sensibilibus verbis expressam, & non subintellectam. Unde non sufficit intellectus, aut fides Trinitatis, nisi sensibilibus vocibus Trinitas exprimatur. Et hæc est ratio hujus assertionis a priori.

20. Quomodo ergo, quod est apud Hilarium, (*loc. cit.*) non sunt reprehensibiles Apostoli, qui in nomine Patris &c. baptizare jussi, tantum in nomine JESU baptizabant? Respondet D. Thomas, (*art.cit. ad primum.*) hoc in primitiva Ecclesia factum fuisse ex speciali Christi institutione, id est, revelatione, aut instructione Apostolis tradita secundum quandam oeconomiam, & dispensationem. Impugnant hanc D. Thomæ responsionem Scholastici Recentiores multis. I. quidem: quia nulla apparet necessitas, & causa hujus dispensationis. Quæ enim necessitas esse potest, ut nomen Patris, & Spiritus Sancti supprimantur? II. quia neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, aut Patribus talis dispensatio colligitur. III. quia formam baptizandi dedit Christus post resurrectionem jam discessurus ad Patrem. Quando ergo illam revocavit? aut in ea dispensavit? IV. quia dispensatio, aut relaxatio legis concedi solet aliqua interveniente causa post legem promulgatam. Nova autem in ipso, ut ita dicamus, suæ obligationis exordio non congrue incipit relaxari. Quamvis tamen hæc omnia verissima sint, tamen non impugnant D. Thomæ doctrinam, cujus mentem, & sensum hi authores non videntur assequuti. Non enim nomen dispensationis ibi accipitur in rigido sensu Scholastico,

co, pro relaxatione Legis. Nunquam enim legem illam: *Docete omnes Gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti* Christus, aut primitiva Ecclesia relaxavit, aut in ea dispensavit. Et hoc unum probant prædicta argumenta. At D. Thomas ibi dispensationem accipit pro quadam oeconomia, aut attemperatione, ex qua propter aliorum utilitatem sæpe omittimus, quod licite facere possemus, & sæpe facimus multa, ad quæ facienda non tenemur. Sic Christus ex quadam œconomia, & dispensatione circumcidi voluit, & omnia præcepta legis servare, & tributum solvere, sic Paulus Timotheum circumcidit, & carnes se nunquam in æternum manducaturum dixit, si frater scandalizaretur. Multa hinc hunc sensum Anastasius Sinaita in *οδηγ*. Sic Basilius Spiritum Sanctum ex quadam dispensatione, sive œconomia Deum aperte dicere non audebat, ut ipse, & de ipso Nazianzenus testantur. (*Epist.* 78. *&* 79. *orat.* 20. *in laud. S. Basil. Epist.* 36.) Estque hæc dispensationis acceptio communis apud Patres, præcipue Græcos in materia de Incarnatione, immo ipsam Incarnationem Oeconomiam, & Dispensationem appellant.

21. Dicam ergo, salvo meliorum judicio, quem fuisse in hac reputo sensum S. Thomæ. Primum quidem existimo illum credidisse, Apostolos (quæ sunt ejus verba) ex speciali Christi revelatione, sive instructione, in primitiva Ecclesia in nomine solius Christi baptizasse, & illud baptisma validum. Non enim loquitur hypothetice, sed absolute, quamvis Gottius Cardinalis (*Tract.* 5. *de Bapt. q.* 1. *dub.* 7. §. 4. *tom.* 3.) contrarium dixerit, & intellexerunt authores Catechismi Conc. Tridentini, (*Tit. de Baptismo.*) ajentes: Quod si etiam tempus fuisse, dicendum est, quum Apostoli in nomine tantum Domini JESU Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet.... Quamquam dubium fortasse videri posset, an hujusmodi formula Apostoli aliquem bapsizaverint. Quod autem S. Thomas non hypothetice loquutus sit, patet ex 4. Sent. dist. 3. q. 1. art. 2. Forma, quam Dominus tradidit non fuit mutata ab Apostolis, quantum ad intellectum, quia in nomine Christi tota Trinitas intelligitur, (ut Basilius, Ambrosius, & Augustinus dicunt) sed solum quantum ad voces, & propterea quidam dicunt, quod est mutata forma sensibilis, sed non forma intelligibilis. Nec tamen hoc ipsum facere potuissent sine familiari consilio Spiritus Sancti. Ratio autem mutationis fuit &c. ut infra.

22. Existimo II. Specialem illam revelationem Christi, de qua D. Thomas loquitur in 3. part. non fuisse factam Apostolis post ascensionem in cœlum, sed fuisse instructionem a Christo datam in terris, nec post resurrectionem, sed statim ab initio prædicationis suæ. Nam ex eo tempore Apostoli baptizare cœperunt, ut patet Joan. 3.

& 4. Non autem baptismo Joannis, ut supra ostensum est, sed baptismo Christi: ergo juxta aliquam formam, & ritum a Christo traditum, atque institutum. Christus autem non dedit Apostolis ritum baptizandi in nomine Patris &c. usque ad Resurrectionem, ut Leo inquit, (*ep.* 4. *cap.* 3.) & ex Evang. patet Math. ultimo: neque credendum sine aliqua verborum formula baptizasse, alias baptisma datum ab Apostolis nullo ritu externo distingueretur a baptismo Joannis: ergo oportuit, ut alio ritu, & forma ante passionem Christi baptizarent. Quamvis autem in 4. Sententiarum dicat D. Thomas, id fecisse Apostolos ex familiari consilio Spiritus Sancti, unde illum loquendi modum observavit Catech. Conc. Tridentini, tamen in Summa S. Thomas id Apostolos ex Christi revelatione didicisse, correctius dixit. Jam vero quum aliqua esse deberet diversitas formæ (nam materia erat eadem ablutio per aquam) inter baptismum Joannis, & baptismum datum ab Apostolis; & quum Joannes baptizaret in nomine Christi, seu Messiæ venturi, dicens (*Act.* 19.) *in eum, qui venturus est, ut crederent,* sicut Apostolus ait, consequens est, ut Apostoli baptizarent in nomine Messiæ jam prædicantis, & docentis, sive in nomine JESU Christi.

23. Existimo III. hanc baptismi formulam datam fuisse per quandam oeconomiam, & dispensationem, habito respectu ad conditionem, ac dispositionem Judaici populi. Dico enim, Christum JESUM Ministrum fuisse Circumcisionis, sive populi circumcisi. Non enim missus sum, inquit, (*Math.* 24.) nisi ad oves, quæ perierant ex filiis Israel .... (*Joann.* 10.) ut vitam habeant, & abundantius habeant .... (*Joann.* 17.) Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum. Judæi vero de unius veri Dei agnitione satis eruditi erant per legem, & Prophetas, unde dictum: (*Ps.* 75.) Notus in Judæa Deus, & in Israel sanctum nomen ejus. Solum ergo ab Israelitis exigendum erat primum, ut JESUM Christum, & Messiam promissum in Lege faterentur, atque amplecterentur. Gentes autem, quæ Deum verum nec agnoscebant, nec colebant, instruendæ erant primum de cognitione veri Dei. Nam (*Hebr.* 11.) accedentem ad Deum oportet credere quia est: ergo Judæi in nomine JESU Christi filii Dei, Gentes autem in nomine Sanctæ Trinitatis baptizandi erant. Primum autem ad veritatem adducendi erant Judæi, & per Judæos Nationes Gentium. Nam (*Isai.* 2.) ex Sion exitura erat lex, & verbum Domini de Jerusalem: illis ergo dari oportuit baptismum in nomine JESU Christi, ut illum Messiam promissum, & hominum Mediatorem amplecterentur, reliquis autem, qui de Messia promisso nihil sciebant, & Deum ipsum ignorabant, in nomine veri, & summi Dei Patris, & Fi-

& Filii, & Spiritus Sancti. Quam distinctionem baptismatum aperte tradidit Cyprianus dicens: (*ep.* 73. *ad Jubajan.*) Apostolos baptizasse Judæos quidem in nomine JESU; Gentiles autem in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Similiter Basilius in 5. contr. Eunom. (*cap.* 3.) Gentes, inquit, ... jubet baptizari in Trinitatis nomine. Petrus vero ad Judæos, qui de Christo occidendo conjuraverant, pœniteat, inquit, unumquemque vestrum, & baptizamini in nomine Domini JESU. Ubi Basilius eandem reddidit rationem, quam D. Thomas tetigit, ut nimirum JESU Christi nomen honorabilius redderetur ab his, qui eum execrabantur, atque in mortem tradiderant. Unde nullum, nisi Judaica ex gente, baptizatum ab Apostolis in Scripturis legimus in nomine JESU Christi. Præceptum ergo: Docete omnes Gentes, baptizantes &c. nullam mutationem passum est, sed potius illud, quod ante Christi mortem institutum est, pro Judaica gente desiit, quum Apostoli relicta Judæa, per Gentes dispersi sunt. Hinc baptismi forma post Resurrectionem tradita, tam pro Hebræis, quam pro Gentibus semper valuit, illa autem solum valuit pro Judæis, & illius oeconomiæ ratione cessante, cessavit. Unde modo non esset baptismus, si quis in nomine Christi baptizaretur, & hoc est, quod definierant Zacharias, (*cap. in Synodo dist.* 4.) & Pelagius, (*cap. si revera ead. dist.*) & communiter tradunt PP. & Doctores. Quod si Nicolaus I. adhuc septingentos post Christum annos dixit, (*in cap. A quodam Judæo de Consec. eadem dist.*) baptizatum in nomine Christi non rebaptizandum, id non dixit definiendo, sed obiter de alia quæstione consultus hoc ex propria, & privata opinione inseruit. Non autem omnia, quæ sic dicuntur, Apostolica decreta sunt, quibus stare teneamur, ut est apud Canum. (*lib.* 6.) Ad verba Bernardi respondeo cum Mabillonio, improbandam omnino esse ejus sententiam, utpote Scripturæ, & traditioni aperte contrariam. Sed de primo argumento satis.

24. Secundum autem contra receptam Baptismi formam tale est, quale proponitur ab Stephano Tornacensi. (*Epist.* 5.) Consultus hic fuit a Pontio Episcopo Claromontano, an rebaptizandus esset puer, quem Pater aquæ immerserat dicens: In nomine Patris & Filii &c. Stephanus validum baptismum fuisse, contendit dicens: Teneamus quod dicitur: Baptizantes eos in nomine Patris &c. Nunquam legi: baptizantes eos, & dicentes: Ego te baptizo &c. Nam si baptizare, est abluere, & baptismus ablutio, quid aliud est baptizantes, quam abluentes. Abluendo igitur cum intentione baptizandi, si dicatur quod veritas jubet: in nomine Patris &c. baptizasse creditur, & formam a Christo traditam complevisse. Clausulam quidem, quæ a baptizanti dici solet, ac debet, summa reverentia deosculor, summo stu-

studio amplector; eam tamen Ecclesia Mater sic induxit, ut esset de solennitate ministerii, non de substantia Sacramenti. Hic ille est Stephanus, cujus responsa falso attribuuntur Stephano II. in aliquibus MS. Codicibus, & in aliis Siricio. Confirmatur hoc Stephani ipsius ratiocinio. Nam si aliud dixerimus, absque medio (ad salutem) confitebimur damnatos omnes illos, quos in casu necessitatis a laicis novimus baptizatos. Item. Si expressio Ministri necessaria est, quum dicitur: ego te baptizo, cogemur totam Græcorum Ecclesiam absque baptismo credere, qui Ministri personam non exprimunt, ut argumentatur S. Thomas. (*q. cit. art.* 5.) Ulterius. Sine baptismo decessisse, dicendum erit, omnes illos, qui primis Ecclesiæ quinque sæculis baptizati sunt, nam ante sextum sæculum eam baptizandi formulam non fuisse, patet ex silentio omnium Patrum, qui de baptismo primis quinque sæculis scripserunt. At certe rem ad valorem baptismi necessariam non tacuissent. Nec tacuerunt solum, sed etiam improbarunt. Nam Chrysostomus homil. 1. in Acta Apost. Exponens illud: (*cap.* 1.) Vos autem baptizabimini &c. Non dixit, inquit, Ego vos baptizabo Spiritu Sancto; sed baptizabimini, nos docens, ut modeste de nobis sentiamus. Augustinus item, (*Serm.* 99. *de verb. S. Luc.*) qui sæculo quinto scripsit, notat, Christum non dixisse mulieri peccatrici: Ego dimitto peccata tua, sed dimittuntur tibi peccata tua. Nam bonus Medicus, inquit, non ægros solum præsentes sanabat, sed & futuros prævidebat. Futuri enim erant, qui dicerent: Ego peccata dimitto: ego sano: ego sanctifico quemcumque baptizo. Quum autem opponerent Hæretici, datam esse hominibus a Christo potestatem dimittendi peccata, atque adeo posse Ministrum jure merito dicere: Ego dimitto peccata, reponit Augustinus, (*ibid.*) non alio sensu dici homines remittere peccata, nisi quia (in ordinatione) Spiritum Sanctum acceperunt, qui peccata dimittit. Unde D. Thomas (3. *p. q.* 66. *art.* 5.) inquit, Ministro Græci non attribuunt actum baptismi (quod dicitur (4. *dist.* 3.) consilio Sanctorum Patrum factum) ad vitandum errorem antiquorum, qui virtutem baptismi attribuebant baptizantibus, & in eis spem ponebant, dicentes: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego Cephæ, quod Paulus reprehendit in 1. ad Cor. 1. ergo contra consilium SS. Patrum Ecclesia Latina exprimit personam Ministri. Denique. Non oportet, ut ille, qui aliquem actum exercet, de ipso actu exercito mentionem faciat, v. g. ut ad docendum dicatur: Ego doceo, ad lavandum dicatur: ego te abluo: ergo neque ad baptizandum ut dicatur: ego te baptizo. Hæc in confirmationem doctrinæ Stephani Tornacensis dici possunt, cujus opinionem sequuti sunt ex antiquioribus Scholasticis plures, Petrus Cantor, (*in Summa de Sacram. quæ MS. dicitur asservari in Monasterio S. Vi-*

S. Victoris.) Præpositivus, Hugo Victorinus, (*lib.* 2. *prop..* 6. *cap.* 13.
de Sacram.) Petrus Lombardus, (*lib.* 4. *dist.* 13.) immo Præpositivus
in 4. parte Summæ ait, Magistros sui temporis omnes eam senten-
tiam tenuisse.

25. Nihilominus contrariam tenuit Mauritius Episcopus Parisiensis,
(*Epist.* 4. *inter Steph. Epist.*) & ipse Pontius Claromontanus, (*Epist.*
3. *inter easd.*) quamvis propriæ opinioni non satis confidens, Mauri-
tium, & Stephanum consuluerit. Eandem sequuntur post Alex. III.
Constitutionem Theologi omnes, & Canonici juris Interpretes. Ha-
betur autem Alex. III. decretum in cap. 1. de Baptismo, ibi: Si quis
puerum in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti, Amen, & non dixerit: *Ego te baptizo in nomine Patris, &*
Filii, & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus. Hæc tamen Decre-
talis, meo quidem judicio, rem non conficit. Aliud est enim immer-
gere puerum in nomine Patris &c. quod in omni bona actione a
Christianis fieri debet juxta illud Pauli: (*Coloss.* 3.) omne quodcum-
que facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini JESU Christi
facite, gratias agentes *Deo, & Patri per ipsum*; aliud est immergere
puerum simul proferendo: *In nomine Patris* &c. In primo enim ca-
su certissimum est, *nullum esse baptismum*, quum vocalis, & di-
stincta Trinitatis invocatio necessaria *sit* prorsus. Et in eo casu vi-
detur loquutus Alex. III. Ait enim, si quis puerum in aquam im-
merserit in nomine &c. sed non *dixit*, si quis puerum in aquam im-
merserit dicens: In nomine Patris &c., de quo nunc quæstio est.
Ille enim baptismus nullus dici *potuit*, non quia omissa est com-
munis formula: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiri-
tus Sancti, sed quia omissa est Evangelica formula: In nomine Pa-
tris &c. Unde, ea Constitutione non obstante, contrariam sententiam
tenuerunt Catholici Doctores multi. Alexander enim Pontifex creatus
est anno 1159., vixitque usque ad 1181. Convivebant autem eodem
tempore Petrus Lombardus, qui obiit anno 1164., Stephanus Torna-
censis, qui obiit ann. 1203. Præpositivum autem D. Thomas bis, aut
ter tanquam recentissimum authorem citat, quapropter, D. Thoma
puero, aut paulo ante vitam finiisse videtur, anno nimirum apud
Generium 1217. Petrus Cantor obiit ann. 1197. Hi ergo omnes præter
Lombardum, post emanatam Alexandri constitutionem, plusquam sex-
decim annos vixerunt. Adde omnes Magistros, de quibus Præpositi-
vus: omnes, inquit, Magistri nostri dixerunt, quod hoc unum suffi-
cit: In nomine Patris &c. Falsum est ergo, quod ex ignoratione
temporum dixit Antoinius: (*De Bapt. cap.* 1. *art.* 3. §. 2.) Horum opi-
nionem per Alex. III. fuisse damnatam. Falsum est item, quod Mo-
rinus scribit: (8. *de pœnitent. cap.* 16. *n.* 21.) eam constitutionem ab
Scho-

Scholasticis Doctoribus fuisse ignoratam. Nam quum sæculo XII. ea controversia nata fuisset, quomodo ab Episcopis, & Magistris florentissimæ Academiæ ignorari potuit non solum tempore excitatæ controversiæ, sed etiam quadraginta circiter post annos, quot fluxerant a morte Alexandri III. usque ad mortem Præpositivi, & Magistrorum sui temporis. Præsertim quia ea constitutio jam relata fuerat in corpus Decretalium compilatarum sub Innocentio III., quod ipse Morinus fatetur. Non ergo constitutio Alexandri aut non prodierat, aut ignorari potuit, aut non adeo æstimari, quia in collectione sub Gregorio IX. a Raimundo Pennafortio reperta non erat, nam ea Compilatio Raimundi tempore Præpositivi nondum prodierat.

26. Ea igitur omissa, communis, & verissima hodiernæ Ecclesiæ sententia ex alio capite probanda est. Nimirum, Immersio hominis in aqua, aut ablutio per aquam propter multa fieri potest, quod ait D. Thomas. (*q.* 66. *art.* 5. *ad* 2.) Nam potest homo lavari & sanitatis causa, & munditiei causa, & voluptatis causa: ergo ut ad significandam spiritualem, & Sacramentalem regenerationem adhibeatur, oportet, ut aliqua forma, aut ritu sensibili determinetur, alias incertus semper erit Sacramenti effectus. Ad hoc autem non satis est interna Ministri voluntas. Hæc enim non est sensibilis, nullum autem signum sensibile, & ad placitum determinari potest ad hoc in particulari significandum, nisi per aliquid sensibile, ut ex se patet: ergo ablutio per aquam cum interna voluntate mundandi a peccatis non est sufficiens ad ponendum Sacramentum: requiritur ergo ablutio per aquam cum intentione, & voluntate quodammodo exterius manifestata; sed ad hanc voluntatem manifestandam non satis est dicere: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nam invocatio hæc fieri potest, ac etiam debet fieri juxta Paulum, etiam quum bonam quamvis, & honestam actionem aggreditur, v. g. quum filium in balneum mergit, ut illi proficuum sit, & salubre lavacrum; illum autem baptismum nemo dixerit: ergo simpliciter puerum abluere cum expressa, & vocali invocatione Trinitatis, non est baptizare. Requiritur ergo aliud aliquid, per quod actio illa, & illa invocatio determinetur ad ablutionem Sacramentalem, in remissionem peccatorum, & hoc fit per verbum illum: *Baptizo* Te, aut ego te *Baptizo* in forma Latinorum, aut per verbum: *Baptizetur*, aut quod communius est, *Baptizatur* servus Christi in forma Græcorum. Est autem hujus rei expressa definitio in Concilio Florentino ajente: (*in decreto Eugen.*) Si exprimatur actio, quæ per Ministrum exercetur cum Sanctæ Trinitatis invocatione, tunc perficitur Sacramentum.... Non negamus autem, quin per illa verba (Græcorum) *Baptizatur*, aut *Baptizetur* &c. in nomine &c. perficiatur Sacramentum: si non exprimatur igi-

igitur actus baptismi, vel per modum nostrum vel per modum Græcorum, (quod S. Thomas docuerat) (*ibid.*) Sacramentum non perficitur. Et contraria huic positio damnata est ab Alex. VIII. nimirum: Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris &c. prætermissis illis: *Ego te baptizo*.

27. Hinc ad argumenta Stephani patet responsio. Ad primum enim dicitur. Baptizare non esse quodcumque abluere, sed abluere mysticum, & Sacramentale, in remissionem peccatorum. Hæc autem actio sacra, & Religiosa non fit neque per solam ablutionem aquæ, neque per infusionem aquæ cum invocatione Trinitatis, quæ possunt ob alios honestos fines fieri, ut dictum est. Unde ipse Stephanus requirit, ut fiat ablutio cum intentione baptizandi. Hæc autem intentio manifesta fit Ecclesiæ per verba illa: Baptizo te. Nam hoc verbum Græcum *Baptizo*, quamvis in prima sui institutione non aliud significet quam simplicem, & externam ablutionem, jam tamen ex communi omnium Christianorum usu determinatum, & contractum est, atque in omnibus linguis receptum ad significandam mysticam, & spiritualem ablutionem a peccato, quæ non significatur per verba *abluo*, aut *lavo*, aut *perluo*, aut *balneo*, &c. Nec obstat, si dicas, intentionem Ministri notam esse Deo, & soli Deo, qui solus novit corda filiorum hominum. Nam de veritate baptismi non solum Deus, sed etiam Ecclesia certa esse debet, immo & Respublica, quum alios effectus habeat baptismus ad Ecclesiam, & Rempublicam spectantes. Nec item dicas, non manifestari intentionem Ministri per hæc verba: Ego te baptizo, quum ea proferens possit non habere intentionem baptizandi. Non enim loquimur de intentione Ministri, ut persona privata est, sed de intentione Ministri, ut Minister est, sive ut persona publica, hanc autem intentionem manifestat per verba: Ego te baptizo, per quæ utendo verbo ab Ecclesia consecrato, & ad Sacramentum significandum contracto, profitetur se facere, quod facit Ecclesia, ut supra (*in præc.*) explicatum est. Quod autem Christus non jusserit nos baptizare dicentes: Ego te baptizo, nihil est. Non enim Christus omnia, quæ ad formas Sacramentorum pertinent, scripta esse voluit, sed verbo Apostolos docuit per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, sive de Ecclesia in terris per eos erudienda, ut dictum est. (*in præc.*) Ad secundum dicendum, in Claramontensi Episcopatu eam quandoque consuetudinem fuisse pessimam, ut loquitur Pontius Episcopus, sed quid obstat, si dicamus, eos baptismos invalidos fuisse, sed Deum attenta bona fide, & simplicitate, aut ignorantia Ministrorum existimantium se facere quod Ecclesia facit, illos acceptasse? Præsertim quod in eis baptismis non videtur omnino prætermissa mentio actionis per Ministrum exer-

 citæ,

citæ, sed solum variatum nomen. Nam pro *baptizare* dicebant *undaisare*, quod patet ex ipso Stephano Tornacensi ajente: Hoc enim dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos *undaisant* in nomine Patris, & Filii, & Spir. Sancti: in quibus verbis eandem virtutem esse quam in latinis syllabis idem significantibus, credimus, & fatemur: igitur pro illis Latinis: *baptizo te*, dicebant: *undaiso* te. Nam si hæc verba non dicerent, cur credebant eandem esse vim in suis, quam in latinis syllabis, quum reliqua sint Latina? Ad tertium negatur assumptio. Nam Græci actionem ipsam baptizandi exprimunt, quum dicunt: baptizetur servus Christi, aut baptizatur, quod est verius apud Goarium, (*in Euchologio p.* 355. *&* 365.) & Arcudium (*lib.* 1. *de Bapt. cap.* 8.) Græcorum rituum peritissimos. Personam autem Ministri per vocem *Ego* exprimere, non est de necessitate Sacramenti, ut cum S. Thoma (*in* 4. *dis.* 3. *art.* 2.) censent communiter Theologi. Quod si Græci Patres vocem illam *Ego* fugisse videntur, vel ad vitandum errorem id fecerunt, qui baptismi virtutem baptizantibus tribuebant, ut S. Thomas inquit, (*q.* 66. *art.* 5.) vel ad vitandam illius vocis jactantiam, ut dicere videntur Augustinus, (*Serm.* 99. *cit.*) & Chrysostomus. (*Hom.* 1. *in Act. Apostol.*) Porro error ille Corinthi natus fuit, nec in Occidentis Provincias unquam videtur irrepsisse. Jactantia item non Latinorum, sed Græcorum vitium semper fuit, quo fortasse in Africa laborabant multi Donatistæ existimantes, veram Ecclesiam apud se solos remansisse. Unde potuit ea formula quamvis, uti diximus, non necessaria, inter Latinos induci, & retineri. Ea tamen quandoque a Græcis usitata est, & quidem ante quintum sæculum. Nam Gregorius Nazianzenus orat. 40. Baptizo te, inquit, dicens in nomine Patris, & Filii &c. Non autem tacuerunt PP. omnino de hac formula. Nam præter Nazianzenum citatum, ex quo liquet, etiam aliquando Græcos Latinam formam usurpasse, etiam forma Græcorum actionem Ministri exprimit. Hanc autem formam jam ab quinto sæculo communem, & receptam fuisse, atque adeo multo ante inductam, patet ex Theodoro Lectore scribente: (*lib.* 2. *Collectaneor.*) Barbam quemdam a Deuterio Ariano sub hac formula: Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, baptizatum fuisse. Floruit autem Theodorus hic ante ann. 500., & antea longe Deuterius. Similiter apud Moschum in Limonide, seu Prato Spirit. cap. 176. Baptizetur Theodorus &c., baptizetur N. apud Severum, (*lib. de ritib. Baptismi.*) & quamvis hi scripserunt ineunte septimo sæculo, tamen eam formam communem fuisse eo tempore, demonstrant, atque adeo multis antea, nimirum, tribus saltem sæculis usitatam. Nota vero, antiquius reperiri apud Græcos formam Latinam, nimirum, a tempore Nazianzeni, quam eam, quæ hodie

die apud eos viget, quam circa Episcopatum Chrysostomi incepisse, colligi potest. Quamvis autem de hac re tacuissent Patres, id fecisse potuerunt, quia communi Ecclesiarum praxi res erat notissima, & nulla circa id mota fuerat controversia usque ad sæculum XII. Ad sextum respondet S. Thomas supra citatus, quod quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod in verbis formæ determinetur ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc, quod dicitur in nomine Patris &c. nam omnia in tali nomine facere debemus, ut dicitur ad Coloss. 3. Item quia ablutio, & per ipsam depositio sordium carnis est effectus naturalis aquæ, ne crederetur ultra illum effectum, quem facit in corpore, nullum alium facere in mente, aliquid addendum fuit, ut monstraretur illam ablutionem carnis, signum esse, & Sacramentum spiritualis ablutionis.

COROLLARIUM V.

28. Porro ex hucusque dictis, & modo loquendi Scripturarum satis constat, neminem posse semet baptizare. Dictum est enim: Baptizantes eos. Est enim baptismus spiritualis generatio, & nativitas. Nemo autem semet gignere, aut ex se nasci potest. Unde damnatus est error Flagellantium, qui per sanguinem propria flagellatione excussum semetipsos baptizare existimabant. Et Innoc. III. (*lib.* 3. *Decret. tit.* 42. *cap.* 4.) Judæum, qui in mortis articulo semet baptizaverat, repabtizandum dixit ad Metens. Episcopum scribens. Sunt igitur ex Christi institutione personæ duæ ad baptismum necessariæ, nimirum, Ecclesiæ authoritate baptizans, & suscipiens baptismum. Minister autem Ordinarius est Episcopus, aut (hodie) Presbyter, cui Episcopus certæ Ecclesiæ curam commiserit, qui dicitur Parochus, aut simplex Sacerdos ex Episcopi, aut Parochi delegatione expressa; in casu autem necessitatis quilibet, seu Clericus, seu Laicus, seu Mas, seu Fœmina, seu Christianus, seu Judæus, seu Paganus, ut est in Conc. Florentino, (*ex Decreto Eugenii.*) dummodo nimirum in forma Ecclesiæ baptizent. Etiam autem in casu necessitatis ordo servandus est, ut mulier non baptizet, si viri adsint, nec laicus, si Clerici, nec Clerici minores, si adsit Sacerdos, nec Sacerdos simplex, si adsit Parochus; Parochus autem, etiam præsente Episcopo, baptizare potest, quod docet D. Thomas, (*qu.* 67. *art.* 4.) & sequutus est in suis institutionibus S. Carolus Borromæus. De Hæreticis erravit Cyprianus; de Paganis dubitavit quondam Augustinus. (*lib.* 2. *cont. Epist. Parmeni cap.* 13.) Utrumque tamen jam definitum est, & in universa Ecclesia susceptum. Antiquitus ex canon. (38.) Conc. Illiberitani, modo alii adessent, bigami baptizare non poterant, nec item fideles,

 qui

qui lavacrum suum integrum non habent. Quibus verbis non significantur ii, qui baptismum plenum, & perfectum non receperunt, ut putavit Bellarminus; (*lib.* 1. *de Bapt. cap.* 7.) sed ii, qui post baptismum nullum ob crimen publicum Pœnitentiæ subjecti fuerant. Alii enim per publicum peccatum baptismum corrupisse, & a gratiæ baptismalis statu excidisse, credebantur, ut bene notavit Albaspinæus. (*Observat. in cit. can.*) Sensus ergo Canonis est, ut Bigamus, aut in statu Pœnitentiæ Canonicæ positus, aliis præsentibus, non baptizet. De mulieribus, & Laicis quibusque erravit Calvinus, (4. *instit. cap.* 15. §. 20. 21. 22.) negans eis facultatem baptizandi, etiam non solenniter, in necessitatis articulo. Sed confutatur apertissime testimoniis antiquorum Tertulliani in lib. de Bapt. cap. 17. Ambrosii, sive authoris Commentariorum in Epist. Pauli in cap. 4. ad Ephes. Hieron. in Dialogo contr. Luciferianus, Augustin. in 2. contr. Parmenian. cap. 13. Concilii 4. Carthag. can. 100., Florentini in Decre. Unionis. Gelas. ep. 1. Isidor. 2. de Off. div. cap. 24. Confutatur ex praxi, & communi usu totius Ecclesiæ antiquissimo, quem ipsemet confitetur dicens: quod vero multis abhinc sæculis, adeo ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, non video, qua ratione defendi queat.... Neque enim aut mulieribus, aut viris quibusque mandavit Christus, ut baptizarent, sed quos Apostolos constituerat, iis mandatum dedit. At nunquid Philippus Diaconus Apostolus erat? Apostolusne erat Ananias, qui Act. 8., & 9. baptizasse dicuntur? Apostolus Athanasius adhuc impubes, cujus baptismata rata habuit Alex. Alexandrinus? Confutatur denique ratione. Nam ad misericordiam ejus, (*qu.* 67. *art.* 3.) qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat; inter omnia autem Sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, nam parvulis omnino aliter subveniri non potest, & adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi & quoad culpam, & quoad omnem pœnam: ergo sicut, ut baptismus facile ab omnibus haberi possit, instituta est pro materia ejus aqua, quæ in toto orbe facile invenitur, ita institutus est minister quivis homo etiam non ordinatus, etiam fœmina, (*qu.* 67. *art.* 4.) quia in Christo JESU non est masculus, & fœmina, ut dicitur ad Coloss. 3. Homo enim non baptizat virtute propria, sed virtute Christi, qui interius operatur, (*art.* 5.) & qui potest uti homine ut instrumento, & ministro ad quodcumque voluerit. Et sic operantur vir, aut fœmina, Judæus, aut Christianus ut Ministri Christi, qui virtutem suam non alligavit Ministris, sicut nec etiam Sacramentis.

29. Jam vero de subjecto, (*qu.* 68. *art.* 1.) sive de suscipiente Ba-

Baptismum dicendum est, & primo quidem statuendum est, omnem hominem ad baptismum suscipiendum teneri de necessitate salutis. Homo enim est a Deo ad supernaturalem beatitudinem destinatus, ut in 7. (*pr.* 1.) dictum est; sed (*Joann.* 3.) nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum, sive supernaturalem beatitudinem adipisci: ergo tenetur homo renasci ex aqua, & Spiritu Sancto, id est, baptizari ad finem sibi a Deo præstitutum assequendum. Item. (*Joann.* 3.) Quod natum est ex carne, caro est; sed (1. *Corinth.* 15.) caro, & sanguis non introibunt in regnum cœlorum: ergo ad beatitudinem obtinendam oportet, in nobis aliquid esse præter meram carnem, & sanguinem, id est, præter omne id, quod ex propria natura habemus: ergo oportet nos nasci denuo, id est, aliam induere naturam, quæ sit operationum supernaturalium principium, id est gratiam; sed hæc nova nativitas, aut regeneratio est effectus baptismi: ergo &c. Ulterius. (*Apoc.* 21.) Nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum; sed homo nascitur immundus ex utero matris, nemo enim mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram: (*Job. c.* 14.) ergo oportet, ut in eis regeneratione tollatur, quod generatione contraxerunt. Præterea. Extra Ecclesiam non est salus, ut probatum est, (*lib.* 10. *prop.* 22.) neque est, aut fuit unquam salus, nisi per Christum, ut item dictum est; sed non intratur ad Ecclesiam nisi per baptismum, nemo sine Baptismo fit membrum Christi: ergo &c.

30. Secundo convincitur eadem veritas ex communi consensu, & praxi Ecclesiæ. Nam cur, ait Augustinus, (*ep.* 20. *ad Hier.*) in baptizandis parvulis festinatur, & curritur, nisi quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. Quam rem aperte definierunt Carthagin., Milevitanum, ac Tridentinum Concilium. Definierunt Siricius in ep. 1. ad Himericum, & Innoc. I. ad Concil. Milev. scribens. Docuerunt communi consensu PP. omnes, Irenæus lib. 3. cap. 19. Origen. in cap. 6. ad Romanos, Nazianz. orat. in Sanct. lavacr. Basilius orat. 13. de Exhort. bapt. Cyprianus lib. 3. epist. ad Fidum, Ambros. lib. 2. de Abraham cap. ult. Hieronymus 3. contr. Pelagianos, Augustinus sæpissime, Fulgentius de fid. ad Petr. cap. 36. Prosper de voc. Gent. lib. 3. cap. 8. Bernardus serm. 66. in Cantica, & Theologi posteriores omnes.

31. Potest autem Sacramentum Baptismi (*qu.* 68. *art.* 2.) alicui deesse dupliciter. Primo quidem re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt; quod manifeste ad contemptum baptismi pertinet in his, qui liberi arbitrii usum habent: Et hi, quibus hoc modo deest baptismus, salutem nullo modo con-

se-

sequi posunt, quia nec Sacramentaliter, nec spiritualiter Christo incorporantur. Alio modo potest alicui deesse baptismus re, sed non voto, quum nimirum aliquis baptizari desiderat, sed casu aliquo prævenitur morte, antequam baptismum suscipiat, & talis, sine baptismo actuali, salutem consequi potest propter baptismi desiderium, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius de Valentiniano, qui Catechumenus mortuus est, inquit: (*in lib. de obitu Valentini*.) Quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen ille gratiam, quam poposcerat, non amisit. Et Augustinus dicit (*qu.* 24.) in Levitic., invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, & profuisse sine visibilibus Sacramentis; visibilem vero Sanctificationem (quæ fit per Sacramentum visibile) sine invisibili posse adesse, sed non posse prodesse.... Non enim solum per Sacramentum fidei, nimirum baptismum, sed etiam per fidem (& votum) Sacramenti quis procul dubio efficitur membrum Christi, quod ait Innoc. in cap. 3. de Presb. non baptiz. Ex quibus Tridentinum (*Ses.* 6. *cap.* 4.) docet, primam justificationem post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse. Dicit autem post Evangelium promulgatum, quia (*qu.* 68. *art.* 1. *ad* 1.) ante promulgationem Evangelii quando Christus nondum advenerat, homines justificabantur per fidem futuri adventus, quam etiam protestabantur ritu aliquo externo, post Abraham quidem Judæi Circumcisione, ante Abraham autem, & post ipsum, Gentes quæ Deum noverant, per fidem cum sacrificii oblatione, aut alio hujusmodi ritu. Tam ante igitur, quam post adventum Christi per fidem incorporamur Christo; sed sicut aliis verbis significamus præteritum, & futurum, ita alio signo, aut ritu demonstratur fides rei jam præsentis, quam demonstrabatur futura, ne si esset idem signum, ipse etiam crederetur esse rei status. Et ideo quamvis baptismus non semper fuerit necessarius, fides tamen, cujus baptismus est Sacramentum, semper fuit necessaria.

31. Hoc autem animi propositum, seu desiderium suscipiendi baptismatis, sive explicitum in iis, qui de baptismi Sacramento notitiam habent, sive implicitum consistens in præparatione animi utendi mediis, quæ Deus in societate cultorum suorum instituerit, ac revelaverit, hoc, inquam, pium votum, ac propositum dicitur Baptismus Flaminis, quatenus Baptismi vicem supplet, quod attinet ad remissionem omnium peccatorum, & infusionem donorum, ac virtutum supernaturalium non tamen ex opere operato, sicut Sacramentum, sed solum ex opere operantis: nec item quod attinet ad remissionem

pœ-

pœnæ omnis temporalis, nisi adeo vehemens fuerit, atque ardens charitas baptizandi, ut omnis ei temporalis pœna remittatur. Ita communiter Theologi.

32. Supplet item vices Baptismi Martyrium, quod propterea Baptismus Sanguinis dicitur.... (3. *p. q.* 66. *art.* 12.) Sed sanguinis effusio non habet rationem baptismi, si fiat sine charitate. Scriptum est enim: (1. *Corinth. cap.* 13.) Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.... Ex quo patet, quod baptismus Sanguinis includit baptismum flaminis, & non e converso.... (2. 2. *qu.* 124. *art.* 2.) Ad actum namque Martyrii inclinat Charitas ut primum, & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est, quod Martyrium est actus charitatis ut imperantis, & fortitudinis autem ut elicientis. Et inde utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet actus virtutis. Comparatur autem Martyrium baptismo quoad effectum I., quia omnia priora peccata per Martyrium dimittuntur. II., quia per illud remittitur omnis pœna temporalis præteritis peccatis debita, unde communiter docent PP. Martyrem statim ad cœlos evolare. Hinc illud Innocentii (*cap. cum Martha extra de celeb. Missar.*) ex Augustino (*Serm.* 17. *de verb. Apostoli.*) desumptum: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Et in hoc baptismus Sanguinis excellentius est baptismo flaminis... (*qu.* 68. *art.* 2. *ad* 2.) Nam si quis Catechumenus habens desiderium baptismi.... decederet, non statim perveniret ad vitam æternam; sed pateretur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen salvus erit sic quasi per ignem, ut dicitur 1. ad Corinth. 3.... (*ibid.*) In martyrio autem omnia Sacramenta baptismi complentur, nimirum, quantum ad plenam liberationem a culpa, & pœna.... (*in* 4. *dis.* 4. *qu.* 3. *ar.* 3.) Hoc tamen non habet baptismus sanguinis tantum ex opere ipso operante, neque quantum ad pœnam, quam Martyr subit, quia contingit quandoque pœnam non esse sufficientem ad satisfaciendum, (ut si antea Martyr scelestissimus fuerit, & sæpe mortem meruerit); neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, nam contingit quandoque, multos Confessores cum voluntate majori charitate formata, seu cum majore, & intensiori devotione non obtinere remissionem omnis pœnæ temporalis, sed post mortem in Purgatorio detineri. Hoc ergo habet Martyrium ex imitatione passionis Christi perfectiori. Unde de Martyribus dictum est: (*Apoc.* 7.) Laverunt Stolas suas in sanguine agni.... (*q.* 66. *artic.* 12.) Passio autem Christi diversimode operatur in tribus his baptismis. Nam in baptismo aquæ operatur per quandam mysticam, & figuralem repræsentationem; in baptismo

ptismo flaminis, aut pœnitentiæ per quamdam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis, quatenus vitam pro Christo ponimus vero, ac proprio modo, quo ipse pro nobis vitam, & animam suam posuit. Unde similiter virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquæ per quandam latentem virtutem, quam aquæ ut instrumento communicat; in baptismo flaminis per quandam internam commotionem animi, qua a vitiis ad virtutem traducimur; in baptismo autem sanguinis per potissimum dilectionis, & affectionis fervorem. Nam (*Joan.* 15.) majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hæc S. Thomas. Ex quibus oritur inter Theologos dubitatio, an Martyrium vim habeat justificandi, & remittendæ pœnæ ex opere operato, an solum ex opere operantis? Negant de primo effectu Alensis, Bonaventura, Durandus, Canus; affirmant Bellarminus, Suarezius, Gottius, & communis opinio. Suarezius tamen, quamvis in secundam sententiam propendeat, de voce, ait, quæstionem hanc videri. Nam si per verbum ex opere operato intelligatur Martyrium esse causam, aut instrumentum per se conferens gratiam, sic Martyrium non habet virtutem ex opere operato, & in hoc sensu vera est Alensis, & Bonaventuræ sententia. Nam D. Thomas totam vim, & efficaciam baptismi sanguinis videtur tribuere merito charitatis. Quod si per illud verbum ex opere operato solum intelligatur, Deum, posito illo opere, ex speciali privilegio, & gratia concedere, aut largiri aliquid sine merito, aut ultra meritum patientis, nullum videtur inconveniens asserere, Martyrium vim habere ex opere operato. Ita Suarezius (*in* 3. *p. disp.* 29. *sect.* 2. &. 3.) pro se afferens D. Thom. Tamen verius est, Martyrium non conferre primam gratiam, & remissionem omnis pœnæ ex opere operato, quod ut explicemus, multa sunt prænotanda.

33. Primum. Martyrium dici posse, vel mortem ipsam toleratam pro Christo, & sic dicuntur Martyres pro Christo ab Herode occisi, vel voluntariam acceptationem mortis per voluntatem eligentem potius mori, quam fidem, aut justitiam deserere, & hoc Martyrium est actus fortitudinis, & Charitatis, ut a S. Thoma dictum est. (22. *q.* 124. *cit.*) Secundo prænotandum est. In Martyrio considerandum esse vel opus ipsum, & actum charitatis, quod exercetur, vel internam charitatem, ex qua opus procedit. Nam licet multi Confessores charitatem habuerint intensiorem, & majorem, quam Mimus, aut Miles quidam, tamen opus, aut actum charitatis majorem nemo exercere potest, quam ut animam pro Deo ponat. Et in hoc sensu dictum est: Majorem hac dilectionem &c. sumpta dilectione pro actu, non pro virtute. Unde D. Thomas (*in* 4. *dist.* 4. *q.* 3. *art.* 3.) recte dixit, baptismum sanguinis non habere effectum tantum ex operante,

te, sed ex ipsa natura operis, seu actus exerciti, quia quamvis minima sit charitas, ex qua Martyr mortem subit, tamen actus Martyrii est actuum omnium charitatis excellentissimus, & actuum fortitudinis ex objecto præstantissimus. Nihil enim majus homo Deo sacrificare potest quam vitam propriam, atque animam, & nihil magis arduum, ac terribilius aggredi potest pro Deo quam mortem: Martyrium ergo meretur a Deo gratiam, & remissionem omnis culpæ, quia est actus charitatis, sicut quivis alius actus virtutis, & meretur a Deo remissionem omnis pœnæ, quia per se est actus perfectissimæ, & plenissimæ satisfactionis, quum nihil majus possit homo Deo in satisfactionem peccatorum suorum offerre, aut magis arduum pro Deo subire, quam suæ naturæ destructionem. Quocumque autem modo Martyrium operatur per modum meriti, non per modum causæ, aut per modum instrumenti, aut per modum conditionis, cui Deus hanc gratiam, aut privilegium alligavit, ut hi authores comminiscuntur, quum tale privilegium pro Martyribus nusquam inveniatur, neque id confingere necessarium sit. Nam ab eo, qui pro Deo satisfaciendo quantum potuit, fecit, quantum habuit, aut habere potuit, exhibuit, quid ulteriorem satisfactionem exposcas?

34. Obstare tamen videtur. Nam parvulos a bimatu, & infra pro Christo ab Herode occisos sancta Ecclesia ut Martyres colit, coluitque jam inde ab antiquissimis temporibus, ut Leo, (*Serm.* 1. *de Epiph. cap.* 3.) Origenes, (*Hom.* 3. *in divers. Evan. loc.*) Augustinus, (*lib.* 3. *de Liber. Arbitr. cap.* 23. *&* *Epist.* 28. *ad Hieron.*) Cyprianusque (*lib.* 4. *Epist.* 6. *ad Thibar.*) testantur: regnant ergo cum Christo in cœlis, & ab originali peccato mundati sunt; sed non nisi per baptismum sui Sanguinis; quod tamen in eis non potuit fuisse meritorium; quum non essent cognitionis, ac liberi arbitrii, & consequenter nec meriti capaces: ergo Martyrium non operatur per modum meriti; sed per modum instrumenti, aut conditionis, cui Deus ex speciali privilegio remissionem peccati, atque omnis pœnæ voluit esse alligatam. Huic argumento varie ab Theologis responsum est. Quidam ajunt, parvulos illos usum rationis ex Dei privilegio assequutos, quo mortem pro Christo acceptarent, sed hoc gratis fingitur. Armacanus (*de qq. Armenor. cap.* 37.) ait, parvulos illos fuisse antea circumcisos, atque ita ante occisionem a peccato mundatos. Opponit Suarez, (*disp. cit. sect.* 1.) & alii: nam Herodes occidi jussit infantes a bimatu, & infra: ergo omnes, etiam recentissime, etiam ante paucas horas nati jussu impii Regis occisi sunt; sed hi non poterant circumcidi, quum circumcisio non daretur nisi octavo post nativitatem die: ergo non omnes fuerant circumcisi. Hæc tamen ratio non convincit. Nam Herodes occidi jussit infantes a bimatu, & infra secundum tempus, quod ex-

exquisierat a Magis. Magi autem aliquod tempus impenderant, & certe plusquam dies octo ab eo tempore, quo stellam viderunt usque ad adventum in urbem Regiam: ergo non necesse fuit, ut occidi juberentur, nisi omnes illi, qui nati fuerant ab eo tempore, quo Magi iter adgressi fuerant usque ad bimatum: omnes autem illi, qui nati fuerant, quum Magi stellam viderunt, iis adeuntibus Hierosolymas, jam octavum diem supergressi fuerant, atque adeo jam erant secundum legem circumcisi. Unde responsio Armachani per illam argumentationem non impugnatur. Tertio alii dicunt, infantes illos mundatos fuisse ab originali, etiam ante octavum diem per aliquod externum signum protestativum fidei a parentibus exhibitum, quo ritu certissimum est mundatas fuisse fœminas, & omnes masculos, qui ante octavum diem in mortis periculo versabantur. Quodcumque tamen ex his duobus fuerit, certum est, Martyrium eorum puerorum non supplevisse vicem baptismi fluminis, quod nec institutum fuit ante trigesimum annum Christi, nec adhuc post institutionem obligare cœpit nisi post resurrectionem, imo post sufficientem promulgationem Evangelii, uti dictum est, & cum D. Thoma tenent communiter Theologi. Quod autem non erat necessarium, nec suppleri necessarium fuit.

35. Hinc ergo ad Scholæ formam, concesso antecedente, & primo consequente argumenti, nego minorem subsumptam. Dices. Quid ergo præstitit beatis parvulis mors pro Christo tolerata? Respondeo cum Cypriano: (*Serm. de stella, & Magis.*) Præstitit, quod melioris vitæ statum eis procuravit .... quod ætas nondum habilis ad pugnam idonea extitit ad coronam. Præstitit, inquit Leo, (*Serm. 1. de Epiphania.*) ut quibus nondum sui sanguinis impenderat redemptionem, jam Martyrii tribueret dignitatem. Præstitit, inquit Augustinus, (*3. de liber. arb. cap. 23.*) ut eos in honorem Martyrum receptos veneretur Ecclesia. Præstitit denique, ait D. Thomas, (*22. q. 124. art. 3.*) ut Martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli per Dei specialem gratiam sint consequuti.... Unde sicut in parvulis baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum Martyrii Christi operatur ad palmam Martyrii consequendam. Præstitit eis igitur, non ut a peccato mundarentur, sed ut palmam, honorem, dignitatem, coronam, laureolam Martyrii consequerentur, quam non essent consequuti, si naturali, ac simplici morte occubuissent, quamvis peccati orginalis macula abluti. Oppones tamen locum Augustini ajentis: (*Serm. ad Catecum. post tract. de Symb. ultim. edit. cap. 4.*) Christum præstitisse parvulis, ut proprio sanguine ab originali peccato diluerentur. Respondeo, sermonem illum ad Catechumenos

non

non esse Augustini, ut oculatiores Critici viderunt, & ex styli diversitate convincitur. Quod si aliqui Patres dixerint, Infantes illos suo sanguine purgatos, ablutos, baptizatos, aut Martyrium fuisse illis pro baptismo, dicendum est eos metaphorice, aut allegorice loquutos propter excellentiam baptismi sanguinis, qui aliunde in adultis hunc effectum habere solet, ut dictum est.

36. Responderi item potest, illum esse effectum Martyrii in parvulis, non quidem ex vi operis, nec ex merito operantis, sed ex merito Christi applicati per specialem gratiam extra communem providentiam propter conformitatem singularem, quam habent sic morientes cum morte sua. Quod si dicas de hoc nihil in Scripturis haberi; dicam id ex traditione Ecclesiæ constare, quæ parvulos ab Herode occisos ut Martyres colit, & in sanguine Agni lavisse eos credit stolas suas. Unde paritate rationis dicendum erit etiam, omnes Christianorum filios, qui ab Paganis, aut Hæreticis in odium fidei, & Christiani nominis, sive extra, sive intra Matris uterum occisi fuerint, salvos esse, & in Martyrum numerum, si Deus id per miracula testatus fuerit, adscribi posse. Nam si mystica, & figuralis repræsentatio mortis Christi, qualis est sola in baptismo, applicata per parentum, aut offerentium fidem eis prodesse potest ad salutem; cur non applicata per eandem mors vera, & propria in odium Christi tolerata?

37. Quod autem diximus in adultis Martyrium supplere locum baptismi, intelligendum est secluso contemptu, & negligentia. Nam si quis sæviente persequutione, se certissime pro Christo occidendum sperans, baptizari contemneret, aut negligeret, procul dubio delinqueret, & nisi eum pœniteret, baptismus sanguinis ei ad salutem non prodesset. Spes enim Martyrii non tollit obligationem utendi iis mediis, quæ Christus in Ecclesia ad nostram sanctificationem instituit. Immo ex tota Ecclesiastica historia liquet, persequutione grassante, etiam lapsos, etiam cujuscumque generis peccatores in pœnitentia constitutos reconciliari per Episcopos, & absolvi solitos, Baptismoque, & Chrismate, immo & Eucharistia muniri, ut in certamine, & agone fortiores evaderent. Inde Romanus ad B. Laurentium: Festina, inquit, me baptizare. His enim armis præcincti, hoc oleo uncti nostri Atletæ, hoc cibo, & poculo saginati, atque ebrii, ut Tertullianus inquit, de Tyrannis triumpharunt. Hinc etiam ea disciplina prodiit, ut pro Catechumenis sine baptismo decedentibus nullæ præces, aut sacrificia fierent, neque pro publicis pœnitentibus, qui reconciliati ante mortem non fuerant, non quod crederet Ecclesia Romana, aut Hispanica, in quibus hujusmodi disciplina viguit, baptismi votum nihil Catechumenis, aut internam contritionem nihil Pœnitentibus prodesse. Neque enim ex desperatio-

tione salutis, ut Augustinus inquit, sed ex rigore disciplinæ id faciebant, ut majori conatu, ardore, ac diligentia Pœnitentiæ, aut Catechumenatus laboribus incumbentes, ad reconciliationis, aut Baptismi gratiam obtinendam citius anhelarent, ac niterentur pœnæ illius metu deterriti: Non esse communicandum in sacris cum mortuo, cui vivo non erat communicatum. Non tamen de eorum salute desperatum patet ex Leone ajente: (*Epist. 82. ad Theod. Forojulien.*) Nos non necesse est eorum, qui sic obierunt, actus, & merita discutere, quum Deus, cujus incomprehensibilia sunt judicia, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suo judicio reservaverit. Unde is rigor disciplinæ non in omnibus Ecclesiis æque viguit, ut Mediolanensi patet ex Ambrosio pro Valentiniano Catechumeno preces, & hostias publicas indicente. Idemque statuerunt Carthagin. Conc. IV. (*cap.* 79.) Arelat. II., (*cap.* 12.) Toletanum XI. (*cap.* 12.) Communicandum enim, ait Innocent. III. (*de sent. excom. cap.* 28.) cum vivo fuisset, quem non Religionis contemptus, sed necessitatis articulus (ne baptizaretur, aut reconciliaretur) impedivit. Patres ergo, qui præter baptizatos, & Martyres, omnes omnino ab æterna salute excludere videntur, de iis intelligendi sunt, qui ex ignavia, aut præsumptione, aut negligentia, vel ullius temporalis commodi ratione, ante baptismum morte præveniuntur. Quod si aliquid durius sentire videantur, eorum dicta, inquit Suarezius, (*in* 3. *p. disp.* 27. *sect.* 2.) partim pie exponenda sunt, partim sunt corrigenda, quia nonnulla certe commodam expositionem non admittunt. In his sunt præcipue Fulgentius in cap. 3. libri de fid. ad Petrum, Gennadius cap. 74. de Eccl. dogm. & Nazianzenus orat. 40. de baptism.

38. Porro quum baptismus in re, aut in voto sit simpliciter, atque absolute ad salutem necessarius, hinc sequitur, parvulos, qui voto, aut desiderio baptismum suscipere non possunt, solum per baptismum in re susceptum salvari. Unde saluberrime in Ecclesia observatum semper fuit, ut recens natis infantibus, & periclitantibus etiam ante perfectam nativitatem baptismus conferatur. Probatur hæc assertio primum ex Scripturæ loco, ubi Christus parvulos, Græce Βρέφη infantes, lactentes afferebantur, quos in ulnis acceptos Dominus benedixit dicens turbis circumstantibus. (*Math.* 19.) Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me, talium est enim regnum cœlorum; sed (*Joann.* 3.) nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum: ergo infantes renasci possunt ex aqua, & Spiritu Sancto: possunt igitur baptizari. Secundo. Nunquam potuit talium esse regnum cœlorum, nisi aliqui ex parvulis salvi fiant; sed nullus eorum, qui ante usum rationis decedunt, salvus fieri potest, si non potest baptizari: ergo aliqui parvuli baptizari possunt. Eccur

non

non omnes? quum in omnibus par sit necessitas, & nulla meritorum diversitas? Præterea. (*Rom.* 5.) Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & sicut regnavit peccatum in mortem, ita (& multo magis) regnat gratia per justitiam in vitam æternam per JESUM Christum D. N., alias potentius esset in mortem delictum prævaricatoris, quam in vitam gratia Redemptoris; sed omnes in Adam moriuntur, etiam parvuli: ergo omnes, etiam parvuli, in Christo vivificari possunt. Ulterius. Qui capax est rei signatæ, capax est etiam signi, per quod res significatæ; sed parvuli sunt capaces internæ sanctificationis ante rationis usum, ut patet in Joanne Baptista, & Jeremia: ergo etiam ante usum rationis capaces sunt signi, seu Sacramenti, per quod interna sanctificatio significatur. Denique. Actor. 16. dicitur baptizata Lydia purpuraria, & omnis domus sua. Item in Macedonia custos carceris cum omni domo sua. Et in 1. ad Corinth. (*cap.* 1.) Baptizavi, ait Paulus, Stephanæ domum; sed in tot integris familiis fieri non potest, ut non fuerint aliqui, aut saltem aliquis parvulus: ergo Apostoli etiam parvulos baptizabant. Unde dicitur in cap. ultimo de Eccl. Hierar. Divini duces nostri, scilicet Apostoli, probaverunt infantes recipi ad baptismum. Confirmatur. Austerius erat, & minus efficax, & æque necessarium, & tantumdem obligans ad observationem Legis præceptum Circumcisionis, quam præceptum baptismi; sed illius erant capaces parvuli: ergo & baptismi capaces sunt, eisque congruenter, & salubriter adhibetur. Et hoc legis divinæ veteris exemplo omnia argumenta retorquentur, quibus aliqui putant baptismum, nisi adsit mortis periculum, differendum esse usque ad ætatem adultam. In horum sententia fuisse videtur Tertullianus inquiens: (*de Bapt. cap.* 18.) Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?... Veniant, quum adolescent... Certe si pondus intelligunt baptismi, magis consequutionem timebunt, quam dilationem. Hunc sequutus Walfridus Strabo, (*lib. de reb. Ecclesiast. cap.* 26.) & Ludovicus Vives ad lib. 1. de Civ. Dei asseruerunt, neminem olim ad baptismum admissum nisi adulta ætate, quum quisque scire poterat, quid peteret, & acciperet, quibusque obligationibus se obstringeret. Qua etiam ratione motus Erasmus, (*Fracment. Epist. inter edit. a Paulo Merula.*) quamvis in baptismo Ecclesiæ morem servandum esse, fateatur, subdit tamen, baptizatos postquam adoleverint interrogandos esse, an ratas habeant promissiones per eorum Sponsores factas; quod si eas, inquit, confirmare recusaverint, proprio arbitrio relinquendos esse, nec ad Christianam vitam cogendos.

39. Falso autem hæc omnia, & temerarie. Paulus enim ait: (*Galat.* 5.) Testificor omni homini circumcidenti semetipsum, quoniam debitor est omnis legis faciendæ. Circumcisi ergo ad totius Legis ob-

observationem obstringebantur, & tamen parvuli circumcidebantur, & tamen non opus erat, ut promissiones in circumcisione factas, postquam adolescerent, ratas haberent, & tamen ad omnes legis observantias, ritus, & cæremonias tam sacro, quam etiam civili jure compelli poterant, ac pœnis cogi. Nam quid enim? Non sæpe quum in politicis, tum in privatæ vitæ actionibus tenentur pueri postquam adoleverint, ad pacta conventa, leges, statuta, contractusque omnes, aut juramenta servanda, quæ Majores eorum, Parentes, Tutoresque eorum nomine celebraverint? An ea rata habere necessarium est? An liberum rescindere? Maxime quum ita rationi consentanea sint, ut ipse, si per ætatem licuisset, eademmet facere teneretur? Quum ita sunt salubria, atque utilia, ut sine vitæ, & salutis jactura omittere non potuisset? Dicendum est ergo, (*q.* 68. *art.* 3.) in parvulis baptismum non esse differendum. Primo quidem, quia non expectatur in eis major instructio, aut plenior conversio. Secundo, propter periculum mortis, quod semper in pueris est timendum, & in quo aliter eis subveniri non potest, nisi per baptismi Sacramentum. Adultis autem subveniri potest per baptismi desiderium, ut dictum est. Et ideo iis non statim, quum convertuntur, est baptismus conferendus, sed differendus usque ad certum aliquod tempus. Primo quidem ad cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, Sacramentum ficte accedentibus conferendo. Probandi enim sunt spiritus, si ex Deo sint. (1. *Joan.* 4.) Probantur autem, quando per tempus aliquod eorum fides, & mores examinantur. Secundo est hoc necessarium ad ipsorum baptizandorum utilitatem, quia aliquo temporis spatio indigent, ut de fide plenius instruantur, & exerceantur in his, quæ ad vitam Christianam pertinent. Tertio, ob quandam reverentiam Sacramenti, ad quam spectat, ut non admittantur ad baptismum, nisi in quibusdam diebus solennioribus juxta antiquam disciplinam, de qua infra. Hæc autem dilatio prætermitti potest vel quando baptizandi apparent perfecte instructi, & ad baptismum idonei, ut Eunuchus ille, quem baptizavit Philippus, & Cornelius, quem baptizavit Petrus, & similes vel propter infirmitatem, & mortis periculum. Unde Leo Papa dicit: (*Epist.* 4. *cap.* 6. *de consecra. dist.* 4. *cap. Si quis necessitate.*) Hi, qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persequutionis, aut naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliquis morte præveniatur, articulo necessitatis Sacramentum excludente, dum tempus ab Ecclesia institutum expectat, salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Peccavit autem, si ultra tempus ab Ecclesia institutum quis differat accipere baptismum sine gravi causa, & ex consensu Prælatorum Ecclesiæ; sed tamen & hoc peccatum cum aliis deleri potest per subsequentem contritionem, quæ supplet vicem baptismi.

40. Quum

40. Quum igitur, ut ajebamus, in parvulis propter naturæ debilitatem semper mortis periculum timendum sit, communis traditio, & praxis Ecclesiæ hoc semper tenuit, ut parvulis baptismus sine ulla dilatione, aut exigua conferatur. Cujus traditionis testes sunt Patres, & Concilia omnia. Cyprianus a Fido interrogatus an baptisma, sicut olim Circumcisio, non nisi post octavum nativitatis diem adhiberi deberet, respondit in Conc. Carthagin. Episcoporum 66., (*Epist.* 89.) & posse, & quandoque debere baptismum ante octavum diem conferri. Cujus decisionis meminit Augustinus in ep. 28. ad Hieronym. dicens: B. Cyprianus non aliquod decretum condens novum .... ad corrigendos eos, qui putabant ante octavum nativitatis diem non esse parvulos baptizandos .... mox natum rite baptizari posse cum aliquibus Coepiscopis suis censuit. Similia Concilium Milevitanum, (*can.* 2.) Gerundense, (*can.* 5.) Braccarense II., (*cap.* 7.) Viennense, (*Clement. unic. de Sum. Trin.*) Tridentinum. (*sess.* 7. *can.* 13.) Ex Patribus præter Cyprianum, & Augustinum laudatos, testis est Irenæus in 2. adversus hær. cap. 22. Origenes in cap. 6. Ep. ad Romanos: Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus divinorum mysteriorum secreta commissa sunt, esse in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & spiritum ablui deberent. Similia Nazianzenus or. 40. Basilius orat. paræn. ad Bapt. Chrys. hom. ad Neophi. Ambr. lib. 2. de Abrah. cap. 11. Hieronymus ep. ad Lætam. Prosp. in 1. de vocat. Gent. Clem. Pap. in 1. Const. Ap. Syricius ep. 1. ad Himericum, Innocentius I. ep. ad Conc. Milev. Leo I. ep. ad Episc. Aquilej. Gregorius I. ep. ad Joann. Calaritan.

41. Opponi tamen potest. (*qu.* 68. *art.* 12.) Nam necessitas baptismi ad salutem provenit ex infectione peccati originalis, quæ etiam in parvulis invenitur; sed hæc invenitur in parvulis semel animatis ante nativitatem: ergo etiam clausis in matris utero deberet baptismus adhiberi. Distinguo consequens argumenti: deberet adhiberi, si posset, concedo; si non potest nego. Nam de necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquomodo aqua abluatur, ut anima mundetur, ut supra dictum est. Corpus autem infantis, antequam egrediatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua. Nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur ad fœtum pertingat. Sed hoc esse non potest. I. quia anima pueri, ad cujus sanctificationem adhibetur baptisma, distincta est a matris anima. II. quia corpus pueri jam est perfecte formatum, & consequenter a corpore matris distinctum. Non ergo baptismus, quo mater baptizatur, redundat in fœtum. Neque item dicas fœtum esse aliquid matris, unde sicut baptizata matre baptizatur cor ejus, & viscera, ita

ita etiam quod in visceribus continetur. Hoc enim nihil est. Nam interiora membra matris sunt partes pertinentes ad ejus individui constitutionem naturalem; puer autem non pertinet ad constitutionem, & integritatem naturalem materni corporis, unde solum dicitur aliquid ejus per quamdam colligationem corporum distinctorum. Nam si ad matris corpus, ait Augustinus, (6. *cont. Jul. cap.* 8.) id, quod in ea concipitur, pertineret, ita ut ejus pars putaretur, non baptizandus esset infans, cujus mater baptizata est. Accedit ejusdem Augustini ad Dardanum scribentis ratio. (*Epist.* 187. *alias* 57.) Nemo enim renascitur, nisi primo nascatur. Per baptismum autem nascimur denuo: ergo sicut gratia supponit naturam, & id quod animale, id quod spirituale, ita nativitas spiritalis nativitatem carnalem. Item ad baptismum requiritur actio Ministri; sed corpus in utero matris non subjicitur humanæ actioni, ut per hominum ministerium Sacramenta recipiat ad salutem: nullo modo igitur in utero matris infans baptizari potest... Sed expectanda est totalis egressio pueri ex utero matris ad baptismum, nisi mors immineat. Quod si periculum adsit, & primum caput egrediatur, in quo sensus omnes vigent, debet baptizari, & non est rebaptizandus, quum perfecte nasci contigerit. Et ita videtur faciendum, si alia pars corporis primum egrediatur, ut manus, aut pes. Quia tamen in nulla harum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit sub conditione baptizandus.

42. Porro quod de parvulis, (*qu.* 68. *art. ult.*) id de furiosis, amentibus, aut fatuis dicendum, qui ab ipsa nativitate tales sunt, ut nullum unquam habuerint lucidum rationis intervallum, in quo instrui, aut quid petant, quidve suscipiant, cognoscere possint. Hi enim omnes tanquam parvuli baptizari possunt. Alii autem in hujusmodi amentiam postea inciderunt. Et tales judicandi sunt secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent, & ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis adhiberi etiam in furia, aut in amentia constitutis, etiam si actu contradicant. Si autem nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt a nativitate amentes, aut furiosi, qui tamen aliqua habent lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt; unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt, etiam in amentia constituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum immineat, alioquin melius est ut tempus expectetur, in quo sui compotes sint, ut devotius percipiant Sacramentum. Si autem in tempore lucidi intervalli non appareat in eis ulla voluntas suscipiendi baptismi, bapti-

za-

zari non possunt in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis sint, eatenus tamen ratione utuntur, ut possint de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem, & de his idem est judicium, ac de sanis, qui baptizantur volentes, non autem inviti.

COROLLARIUM I.

43. Nunquam ergo adultus sui compos baptizari valide potest, nisi de propriæ voluntatis consensu.

COROLLARIUM II.

44. Infantes licite baptizari non possunt, nisi de unius saltem parentis, aut eorum cujus curæ, ac potestati subsunt voluntate, & consensu. De hujus Corollarii veritate dissentiunt Theologi nonnulli, ut Scotus, (*in* 4. *dist.* 4.) & Durandus, (*ibid. q.* 6.) & Recentiorum Launojus, (*Dissert. de veter. more baptizan. Judeos, & infedel.*) quem aliqui sequuntur. Sed hi rationem assertionis ab D. Thoma assignatam (*q. cit. art.* 10.) non videntur assequuti. Nam vel pueri infidelium rationis usum habent, vel non habent. Si primum, quantum ad ea, quæ sunt juris naturalis, aut divini incipiunt suæ potestatis esse. Et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere. Moneri igitur possunt, & induci ad suscipiendum baptismum. Si vero non habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale, subsunt curæ parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvi facti sunt in fide parentum. Confirmatur. Nam quia unusquisque suarum actionum dominus est, in ordine ad salutem, nemo potest invitus baptizari, fieretque contra justitiam naturalem injuria, si aliquis adultus usum rationis habens baptizaretur invitus; sed parvuli nondum rationis usum habentes non vivunt, & gubernantur, nisi ratione, & providentia parentum, aut eorum, qui loco parentum ipsis sunt: ergo iis invitis baptizari non possunt. Idem probatur ex reverentia Sacramento debita. Esset enim periculosum taliter infidelium filios baptizare, quia facile ad infidelitatem redire possent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo Ecclesiæ consuetudo hoc nunquam habuit, ut filii infidelium invitis parentibus baptizentur. His tamen Suarezius, (*in hanc* 9. disp. 25.) atque alii Theologi nonnullas exceptiones apponunt. Ut primo, si filius infidelium jamjam moriturus, clam, & sine parentum injuria, aut perversionis periculum baptizaretur, parentibus insciis. Item si tam

tam parens infidelis, quam filius Christianorum mancipia essent. Tunc enim sicut posset herus filium a patre separare, aut peregre vendere, ita posset parvulum invitis parentibus baptizare, & his similes casus excogitari possent, in quibus nec injuria fieret parentibus, nec Sacramento. Hinc.

COROLLARIUM III.

45. Filius Infidelium amens, aut furiosus, in quo nullum est subversionis periculum, etiam sub potestate parentum existens, clam, & sine scandalo baptizari potest. Hinc enim & bonum ipsi procuratur, & nulla fit injuria parentibus.

SCHOLION.

46. Quid faciendum de monstris, aut irregularibus fœtibus, aut in casu mortuæ prægnantis Matris &c. trita sunt apud Scholasticos, & Morales Theologos quoscumque, in quibus propterea non est oleum perdendum, atque operam.

COROLLARIUM I.

47. Baptismus ergo in parvulis nullam actualem dispositionem requirit ex parte suscipientis, nec ut valide, nec ut utiliter accipiatur.

COROLLARIUM II.

48. Adulti non utiliter, ac debite recipiunt baptismum, nisi cum fide, (*qu.* 68. *art.* 8.) cum detestatione vitæ præteritæ, (*qu. ead. art.*4.) & proposito legem Dei observandi ex amore supernaturali, ut est communis sententia Theologorum. Scriptum est enim: (*Math.* 28.) Docete primum omnes Gentes.... (*Marc.* 16.) Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.... (*Act.* 8.) Si credideris ex toto corde, licet (baptizari). Item: (*Act.* 2.) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Baptisma enim solum purificare potest pœnitentiam agentes, ut est apud Irenæum.... (*in dial. cum Triph.*) Nec baptismus sine pœnitentia unquam ei profuit, qui sponte peccavit.... (*lib. de vera, & falsa Pœnit. cap.* 18.) Ab hac pœnitentia solum qui baptizantur pueri, immunes sunt, apud Augustinum, (*lib. de pœnitent. medicin. cap.* 2.) & Patres omnes. Pœnitentiam autem certam facit amor Dei, & odium peccati, ut Augustinus inquit. (*serm.* 7. *de*

7. *de temp.*) Unde Tridentinum: (*sess. 6. can. 6. & 7.*) Illum, (nimirum Deum) tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant... ac moveantur adversus peccatum per odium aliquod, ac detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet. Quod si horum aliquid desit, baptismus quidem infructuose suscipitur: quia tamen baptismi valide suscepti remanet in anima caracter quasi forma, & radix sanctificationis sepulta, & ab suo effectu impedita, remoto obice per pœnitentiam, reviviscit. Baptismus enim (*qu. 69. artic. 10.*) est quædam spiritualis regeneratio. Quum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatæ statim suum effectum perficit, sicut simul quum corpus grave generatur, deorsum movetur, nisi ab alio prohibeatur, quo remoto, statim incipit deorsum moveri. Quum ergo aliquis baptizatur, accipit caracterem, seu facultatem, & jus ad fruendum, & participandum divina, quasi formam, & consequitur proprium formæ illius, aut caracteris effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per contrariam aliquam dispositionem hic effectus, unde oportet, ut remoto per pœnitentiam obice, baptismus suum proprium effectum statim consequatur..... Obex ergo non removetur per baptismum ipsum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua posita, baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium, aut simul cum baptismo existentium.... Tunc ergo ad baptismi effectum obtinendum concurrunt baptismus, & pœnitentia; sed Baptismus ut causa per se agens; Pœnitentia autem ut causa per accidens, id est, tanquam removens prohibens. Peccata vero commissa post indignam susceptionem baptismi remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum pœnæ, sicut peccata præcedentia baptismum. Hinc illud Augustini, (*lib. 1. de Bapt. cap. 12. cont. Donat.*) quod habetur de Consecr. dist. 4. Tunc valere incipit ad salutem baptismus, quum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Similiter Cyprianus in serm. de Passione Domini. Licet qui accipiunt baptismum, indigni sint, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat accessum, & ubi redierit ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec alias quæri, aut reperi necesse est salutiferum Sacramentum. Hæc Cyprianus centum, & amplius ante Augustinum annis.

49. Fallitur ergo Vasquezius inquiens, (*disp. 159. cap. 3.*) Augustinum neque ex Scripturis, nec ex Traditione, nec ex Ecclesiæ definitione, aut ratione ulla probare potuisse hanc baptismi reviviscentiam

tiam singularem. Fallitur, inquam. Nam peccatum originale, & r
liqua ante baptismum commissa per nullum aliud Sacramentum del
ri possunt; alias posset per alium Sacramentum, aut remedium sup
pleri baptismus, ut nec in voto esset necessarius. Ratio autem est
quia originale, & reliqua peccata ante baptismum commissa non sub
duntur clavibus Ecclesiæ, quæ non potest de iis, qui foris sunt, ju-
dicare. Necesse est ergo, ut peccatum originale deleatur per ba-
ptismum; sed non per novum baptismum, quia repeti non potest,
etiam indignissime susceptum, etiam ab indignissimo collatum, ut
habet Ecclesiæ traditio: ergo per baptismum primo collatum, cujus
virtus in caractere reviviscit. Hinc ab antiqua Patrum constitutione
manavit, ait Gregorius, (*lib.* 9. *ep.* 61.) ut qui in hæresi baptizati
fuerunt, aut unctione Chrismatis, aut manuum impositione, aut so-
la fidei professione ad sinum matris Ecclesiæ revertantur.... San-
ctum enim baptisma, quod apud Hæreticos sunt consequuti, tunc in
eis vires emundationis recipit, quum illi vel per impositionem ma-
nuum Spiritum Sanctum acceperunt, vel isti propter confessionem
veræ fidei, Sanctæ, & Catholicæ Ecclesiæ visceribus sunt uniti.

50. Ad explicandum autem hujus reviviscentiæ effectum mille quæstionibus, atque explicandi modis se implicant, atque irretiuntur Recentiores quidam, nodum in scirpo quærentes, id est, in planissima Patrum, & S. Thomæ doctrina. Dicunt enim: quando obex removetur per pœnitentiam, jam baptismum non existit: ergo operari non potest remissionem peccatorum. Item: unum peccatum non potest remitti sine alio; sed per pœnitentiam remittuntur peccata post baptismum commissa: ergo etiam originale, & præcedentia quæcumque: baptismus ergo nihil operatur, atque adeo non est dicendus revivíscere. Sed hæc omnia jam dudum occupavit S. Thomas (3. *p. q.* 69. *art.* 10.) dicens: Quod in baptismo imprimitur caracter, qui est immediata causa disponens ad gratiam, & ideo quum fictio non auferat caracterem, recedente fictione, quæ effectum caracteris impediebat, caracter, qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum, & ita baptismus præcedens, a moto obice, effectum suum consequitur.... Caracter enim relictus dat reversis, ut iterum eis possint Sacramenta prodesse, quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum, quod est apud Cyprianum in serm. de lotione ped.... Baptismus ergo, recedente fictione, habet (tam in intensione, quam in extensione) omnem illum effectum, quem prius habuisset, si fictio non fuisset, & ideo remittit omnia peccata præcedentia baptismum & quoad culpam, & quoad pœnam. Non igitur dicimus dari duplicem gratiam, unam, per quam dimittatur originale, & alia peccata præcedentia baptismum, aliam,

per

per quam dimittantur commissa post baptismum. Omnia enim per eandem gratiam remittuntur; sed dicimus, hanc eandem gratiam, quæ Pœnitenti datur, habere duplicem effectum, alium, qui inest ipsi virtute baptismi præcedentis, & caracteris relicti, nimirum, remittendi peccata ante baptismum, alium remittendi peccata sequentia. Sed quia primum effectum non haberet, nisi baptismus præcessisset, secundum autem per se habet, ideo dicuntur concurrere ad justificationem baptismus, & pœnitentia. Atque hæc dicta sint de Pœnitentia, quæ virtus est, non de Pœnitentia, quæ est Sacramentum, quia hæc nullum unquam effectum habere potest, nisi baptismus præcesserit. Hinc in Scholæ forma ad argumentum, relicta aliquorum responsione cum Suarezio, (*disp.* 28. *sect.* 4.) & Gottio (*Tract.* 5. *de Bapt. q.* 6. *dub.* 4. §. 2. *Tom.* 3. *Theol. Scholast.*) dicentium, tunc baptismum solum moraliter operari, distinguo majorem: tunc baptismus non existit in actione externa, & transeunte, concedo; in actione, sive effectu interno, & permanente, nimirum caractere, nego. Unde sola ea Sacramenta, quæ caracterem imprimunt, reviviscunt. Ad secundum distinguo consequens: ergo etiam originale &c. per virtutem provenientem a Pœnitentia, nego; per virtutem baptismi præcedentis, concedo. Sicut Sacerdos, exempli gratia, habens facultatem absolvendi a reservatis, simul per eandem actionem omnia peccata dimittit, sed reservata tamquam authoritate Superioris, non reservata autem ex propria jurisdictione, ac potestate.

51. Institutione igitur, materia, forma, effectibus, Ministro, subjectoque baptismi hucusque explicatis, restat, ut de hujus Sacramenti ritu ad solennitatem spectante nonnulla dicenda sint, potissimum ex Bellarmino, (*lib.* 1. *de Bapt. cap.* 24. *& seqq.*) non tam singulorum rituum rationes, & mysticam significationem investigantes, (nobis enim pro omni ratione est authoritas Ecclesiæ instituentis) quam contra adversarios eorum honestatem, pietatem, antiquitatem discutientes, ex quo obiter multa etiam de eorumdem significatione dicentur, eo ferè modo, quo superius de psallendi, (*lib.* 12. *prop.* 9.) & sacrificandi (*lib.* 14. *prop.* 8.) ritibus actum est. Distinguit autem commode Bellarminus inter cæremonias præcedentes, comitantes, & subsequentes baptismum. Dispositio autem eorum, qui ad baptismum præparabantur, dicitur Catechumenatus. Erant autem Catechumenorum gradus tres. Primi dicebantur *Audientes*, qui quum baptismi desiderio tenerentur, primum privatis, deinde etiam & publicis instructionibus per Episcopos, Presbyteros, aut item Diaconos factis interant, quo munere functi studiose, ac diligenter, ad secundum gradum ascendebant, dicebanturque *Orantes*, & *Genuflectentes*, quod publicis precibus interessent, & ad eas cum reliquis fidelibus genufle-

ɑerent. Deinde ab suis instructoribus de vita, & doctrina probati si-
stebantur Episcopo nomina dantes, atque ad tertium promovebantur
gradum, & *Competentes*, aut *Electi* dicebantur, primo quoque oppor-
tuno tempore baptizandi. Hi tamen non semel, si deliquissent, ad
secundum, aut primum gradum iterum detrudebantur, ut habetur in
Can. 5. Synodi Neocæsar. Cum his ergo Catechumenatus tempore præter
privatam, & publicam instructionem majori, aut minori tempore se-
cundum Catechumeni capacitatem, conatum, fervorem, duodecim ad-
hibebantur. I. Datio nominis, per quam inter Competentes adscribe-
bantur, de qua Isidorus in 2. de Eccl. Off. c. 21. Augustinus pluribus
in locis, Siricius ad Epis. Tarraconens. aliique Patres, & Synodi me-
minerunt. Pascha appropinquabat, ait Augustinus, (*lib. de cur. pr.
mort. cap.* 12.) dedit nomen inter alios Competentes. Hi & fidei do-
ctrinam, & vitæ continentiam profitebantur, ait Isidorus. (*lib.* 2. *de
Eccl. Offic. cap.* 21. *q.* 71. *art.* 1.) Baptismus enim, quum sit Sacramen-
tum fidei, est quædam fidei professio, atque ad novam vitam rege-
neratio. Ad hoc autem requiritur, ut quis in rebus quum credendis,
tum gerendis instruatur, fides autem est ex auditu. (*Rom.* 10.) Et
ideo ante baptismum convenienter præcedit instructio. Nam & Chri-
stus baptismo præmisit doctrinam, dicens: (*Math.* 28.) Docete omnes
Gentes baptizantes eos &c. Etenim quis artem, quam ignorat, profi-
tetur? Unde & in Paganis, in iis, qui mysteriis initiabantur, præce-
debant, ait Olympidiorus, publicæ purgationes, quas excipiebant aliæ
reconditiores, tum aggregationes, tum Epoptiæ, sive plena sacrorum
omnium participatio.

52. II. Ad explorandam eorum fidem, ac mores septem adhibe-
bantur Scrutinia, de quibus Leo ad Episc. Sicil. Aug. in lib. de fid. &
oper. c. 6.

53. III. Quum in his Scrutiniis, tum deinde prope ipsum ba-
ptismum Sathanæ, atque ejus operibus renuntiare jubebantur, quod
habetur apud authores de Const. Apost. de Eccl. Hierarch., apud Ter-
tull. in lib. de Spect. de Coron. & alibi, tum apud alios Patres, Orige-
nem, Cyrill., Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum,
Augustinum passim, ut non immerito hæc institutio ab ipso Aposto-
lorum tempore derivata credatur.

54. IV. Fidei professio per Symboli recitationem, aut per respon-
sa ad interogationes Catechistarum, & Prælatorum. De hac profes-
sione fidei turmatim Patres citati, Cyprianus quoque, Hilarius, Epi-
phanius apud Bellarminum, (*cap.* 25.) & alios.

55. V. Crucesignatio, quæ in singulis Scrutiniis, atque in ipso a-
ctu baptismi adhibebatur, de qua in lib. de Eccl. Hierarc. tum apud
Basilium c. 27. de Spiritu Sancto, Aug. in de Catech. rud. atque ali-
bi.

bi. Et has quidem cæremonias non aversatur Calvinus, immo earum quasdam ipse præscribit suis in lib. de formul. Sacrament. ministr.

56. VI. Exorcismus, quem quidem irridet Calvinus, (*lib.* 4. *instit. cap.* 19. §. 24.) sed immerito. Nam primo. Datam esse Apostolis, & Ecclesiæ potestatem super omnia Dæmonia, Calvinus negare non potest, nisi Evangelium negaverit. II. Eam potestatem non solum esse extraordinariam, & ratione singularis sanctitatis, aut privilegii alicui concessam, sed ordinariam & supra (*lib.* 12. *prop.* 6.) dictum est, & infra probabitur, quum de Ordine Exorcistarum. (*lib.* 16. *prop.* 9. III. Hanc potestatem Ecclesiam exercere non solum contra visibiles, sed etiam contra invisibiles Dæmonum incursus, qui frequentiores sunt, & multo magis in iis, qui per peccatum sunt Dæmonum potestati subjecti, non est unquam dubitatum. IV. Hanc potestatem ab initio Christiani nominis Ecclesiam exercuisse, patet ex antiquissimis Patribus, & Scriptoribus Justino, Tertulliano, Cypriano, Minutio Felice, Lactantio, Arnobio, Prudentio, Augustino, tum ex Conciliis Antiocheno, Carthag. Laodiceno, & aliis. V. Signate ante baptismum eos Exorcismos adhiberi solitos, patet ex lib. de Eccl. Hierarch., (*cap. de Bapt.*) patet ex Nazianz. orat. in sanct. lavacr., ex Cyrill. Hiers. Catech. 1. ex Cypr. 1. 4. ep. 7. ex Ambr. in 1. de Sacram. c. 5. Ex Optato in 4. contr. Parmenian. ex Aug. de fid. & oper. c. 6. & in 2. de Nupt. & Conc. c. 18. ubi dicit, hanc esse in tota Eccl. consuetudinem. Et in Ep. ad Sixt. ex hac Ecclesiæ consuetudine probat transfusionem originalis peccati. VI. Naturale est, (*q.* 71. *art.* 2.) ut quicumque sapienter opus aliquod facere proponit, prius impedimenta removeat. Dæmones autem esse hostes humanæ salutis, quæ per baptismum acquiritur, & habere potestatem aliquam super hominem ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel etiam actuali, nulli notius esse potest, quam Calvino, qui ritus antiquissimos ab ipso exordio Ecclesiæ receptos Sathanæ imposturas esse, asserit. Convenienter igitur per Exorcismos expelluntur Dæmones, ne salutem hominis impediant, aut eos in corpore vexando, aut eos interius seducendo.

58. Hinc VII. cæremonia est Exsufflatio, quæ quidem annectitur Exorcismo, & maligni Spiritus expulsionem significat. Non enim, quod est apud Augustinum, (*lib.* 6. *cont. Julian. cap.* 2.) Ecclesia filios fidelium exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis erueret. Unde Ambrosius ad Cathechumenos: (*lib. de iis, qui init. myst. cap.* 1.) Odorem vitæ æternæ vobis inhalatum carpite. Nec rideri ritus hic potest, nisi ab eo, qui Deum exsufflaverit, aut Christum. Nam & Deus inspiravit in faciem hominis spiraculum vitæ, & Christus per insufflationem Spiritum Sanctum Apostolis dedit vitæ spiritualis principium.

58. VIII.

58. VIII. cæremonia est salis gustatio, de qua Augustinus in Confess. (*cap.* 12.) & Concilium Carthagin. III. can. 5. nec abludi Origenes hom. 6. in Ezechiel. Nonnunquam etiam loco salis panis be nedictus dabatur degustandus Catechumenis, quasi Eucharistiæ typus quo ad veram Eucharistiam suscipiendam accenderentur, quod etiam in cit. III. Carthag. habetur.

59. IX. Cæremonia erat salivæ applicatio ad nares, atque aure simul cum verbo Christi *Epheta*, id est, adaperire. Significat autem aperitionem aurium ad perceptionem cœlestis doctrinæ, & ejus ap probationem per nasum, in quo rectum rerum judicium significatur unde & boni rerum æstimatores, & Critici *Nasuti* dicuntur. Hinc illud

Nasutus sis usque licet, sis denique Nasus.

Quid autem hæc ridet Calvinus, & ludrica monstra vocat? Nonne (*Marc.* 7.) Christus surdi aures, & os muti, & cæci oculos linivit sputo? Quod Deus sanctificavit, tu ludricum, & monstrosum dixeris? Eum vero ritum jam ab quarto sæculo adhiberi solitum testis est lu- culentissimus Ambros. in 1. de Sacramentis c. 1.

60. X. est manuum impositio, & Sacerdotalis benedictio sub cer- ta precationis formula. Hunc ritum invenimus in lib. de Eccl. Hie- rarch., & 7. Const. Apost. c. 39. In Conc. Carthag. IV. can. 85. tum a- pud Cyprian. in act. Concil. Carthag. & Augustinum ajentem: (2. *de pec. mer. cap.* 26.) Secundum quemdam modum suum Catechumenos per Signum Christi, & orationem cum manuum impositione puto sanctificari.

61. XI. ritus est unctio cum oleo benedicto in pectore & scapu- lis, de qua mentio habetur in 3. Recognit. Clementis Romani. Por- ro quamvis hi libri, sicut & illi Constitutionum Apostolicarum in re- bus ad dogma spectantibus, certæ authoritatis non sint, ut (*Proleg.* 3.) dictum est, tamen in disciplina testes sunt antiquissimi, & omni- no recipiendi, ubi maxime cum Veteribus aliis Patribus consentientes inveniuntur, ut in præsenti argumento, de quo similia tradunt Chry- sostomus hom. 6. in Epist. ad Coloss. Justinus item quæst. 107. quæ- rit, cur Christiani ante, & post baptismum ungantur? Eumdem ri- tum explicat Ambrosius in 1. de Sacramentis c. 2. Cyrillus Catech. 2. Mystag. & 3. Augustinus sermon. 206. de tempore.

62. XII. denique ritus ante baptismum erat impositio quorumdam pœnalium operum, quibus puriores Candidati ad baptismum accede- rent, ut abstinentia ab quibusdam cibis, a vino, a re uxoria pru- dentium Prælatorum judicio, de quibus Nazianzenus orat. in sanct. la-

lavacr. Cyrillus Catech. 1., Augustinus de fid. & op. & Concilium Carthag. IV. can. 85.

63. Cæremonias in baptismo adhiberi solitas quinque numerat Bellarminus. (*cap.* 26.) I. est ad materiam remotam pertinens, nimirum aquæ ipsius consecratio, aut benedictio. Regenerationis enim aqua sacris prius invocationibus consecratur, ut est apud authorem Eccl. Hierarch., (*cap. de Baptism.*) atque iisdem fere verbis ap. Cyprian. Ep. ult. lib. 1. Consonant Ambros. in 1. de Sacramentis, c. 5. Aug. 6. in Julian. c. 8. & alibi. Tertull. in lib. de bapt. c. 4. Cyrill. Catech. 3. Nissenus orat. de baptism. Epiphanius hær. 30. Chrysostomus in psal. 22. Basil. de Spiritu Sancto, cap. 27., ubi & hunc ritum ab Apostolis traditum confirmat.

64. II. cæremonia ad modum ablutionis spectat, ut scilicet baptismus fieret per immersionem, & per immersionem trinam, quod uti diximus, longo tempore observatum est. Hic tamen ritus desiit primum quidem ex abusu quorumdam Arianorum in Hispania, Item, ut magis consuleretur pudori fœminarum, & modestiæ, atque honori Sacerdotum, qui nudos viros adultos, & adultas fœminas vix poterant non cernere, & tangere, quamvis & ministerio Diaconistarum, & susceptorum opera iis incomodis provideri curatum semper fuerit. Tamen de Cenone quodam legitur, baptizare noluisse fœminas, ne nudas conspiceret, & apud Chrysostomum in Ep. ad Innoc. habetur, ingressis templum militibus, mulieres, quæ per illud tempus ut baptizarentur, se exuerant, seminudas aufugisse. Habetur item non semel parvulum e tenentium manibus elapsum in baptisterium (quæ satis profunda exstruebantur ad adultorum immersionem) decidisse, ac fuisse suffocatum. Jure igitur, ac metissimo Ecclesia ritum antiquum, ac pro illorum temporum simplicitate retentum, salva Christi institutione mutavit.

65. III. cæremonia est impositio nominis. Id tamen antiquitus fieri non solebat in baptismo adultorum. Unde neque Paulus, neque Cornelius Centurio, neque Lydia, neque Ambrosius, neque Augustinus cum Baptismo nomina mutasse leguntur, quibus longo ante baptismum tempore dignosci consueverant. Parvulis autem in baptismo nomen, sicut olim Hebræis in Circumcisione, impositum, colligitur ex Eusebio referente, (7. *hist. cap.* 20.) Dionysium Alexandrinum pueris Apostolorum Petri, & Pauli, atque aliorum Sanctorum nomina imponere solitum, Hinc in Can. 30. inter Nicœnos a Turriano editos jubentur Christiani filiis suis non Paganorum, sed Christianorum nomina imponere.

66. IV. est loci, ac temporis circumstantia. Quamvis enim baptismus omni loco, & omni tempore valide administrari possit, & in

in articulo necessitatis debeat, tamen data Ecclesiæ, & ordine in rebus sacris disponendis permisso, atque ex ædificatis templis &c. sicut Episcopi baptizabant, ita Episcopales Ecclesiæ, quæ postea Cathedrales dici cœperunt, solæ Baptisteria habebant, cujus rei exstat adhuc vestigium in quibusdam locis, ut Florentiæ, & Bononiæ. Deinde crescente fidelium numero, aliæ præter Cathedrales, Ecclesiæ sunt huic ministerio destinatæ, quæ Baptismales dicuntur a Gratiano can. 54. 16. quæst. 1. Postea denique quum Parochis omnibus baptizandi munus injunctum est, eædem, quæ Parochiales, Baptismales Ecclesiæ sunt, extra quas, ut habetur ex Concilio Viennensi in Clem. un. de Baptismo, prohibitum est. Ne quis de cætero in aulis, aut Cameris, aut privatis domibus baptizare audeat, sed solum in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc deputati fontes, excepto solum casu necessitatis, & Regum, ac Principum filiis.

67. Circa tempus vero antiqua disciplina fuit, ut solum in Pascha, & Pentecoste baptismus solenniter administraretur, cujus rei exstat adhuc vestigium, & argumentum in Missa illorum dierum. Additur enim in oratione incipiente: Hanc igitur: Quam tibi offerimus pro iis quoque, quos regenerare dignatus es &c. Et hæc quidem Romanæ, & Africanæ Ecclesiæ consuetudo fuit, ut patet ex Siricio, Leone, Gelasio, ex Gregorio Turonensi, & Fortunato. Paulatim tamen in aliis Ecclesiis mos invaluit, ut iis adderentur Natalis, & Epiphania Domini; donec tamen Christianitate crescente, ut Rupertus inquit in 4. de div. Off. c. 18. quia periculosum erat tantam multitudinem differre, visum est Sanctæ Ecclesiæ passim baptizandi indulgentia concessa, immo oblata, cuncta antevertere pericula.

68. Quinta denique in baptismo cæremonia est, ut habeant baptizandi sponsores, susceptores, aut fidejussores, ab quibus e sacro fonte suscipiantur, & leventur. Quod quidem in parvulis ideo institutum est, ut quasi pædagogum, ac doctorem haberent, qui eum de fidei mysteriis, & Christianæ vitæ obligationibus erudiret. Nam spiritualis regeneratio (*qu. 67. art. 7.*) assimilatur generationi carnali... In generatione autem parvulus natus indiget nutrice, & pædagogo. Unde & in spirituali generatione requiritur aliquis, qui nutricis, & pædagogi locum suppleat in formando, & instruendo eum quasi novitium in fide de his, quæ ad fidem pertinent, & vitam Christianam. Ad quod Prælati Ecclesiæ vacare non possunt circa communem populi curam occupati, nec sæpe parentes, aut infideles, aut incogniti, aut rudes, aut temporalibus occupati. Parvuli autem, & novitii indigent speciali cura præter communem. Et ideo requiritur quod aliquis baptizatum præcipue parvulum de sacro fonte suscipiat quasi in suam instructionem, & tutelam, ut habetur in lib. de Eccl. hierarch.

rarch. (*cap.* 7.) ex Apostolica institutione. Meminerunt etiam hujus ritus Tertullianus in lib. de bapt. (*cap.* 18.) Chrysostomus hom. 12. in primam ad Corinth. Aug. serm. 116. de temp., nec multum abludit Justinus quæst. 56. Excluduntur autem ab hoc munere Pœnitentes in Conc. Paris. (1. *lib.* 1. *cap.* 54.) & in Concilio Moguntino (*cap.* 47.) Infideles, seu non baptizati, & consequenter etiam hæretici. Item prohibentur ab hoc munere in Concilio Altisiodorens. (*cap.* 25.) Abbates, & Monachi, quod cura hæc, & solicitudo ab illorum statu aliena esse videatur. Prohibentur quoque parentes baptizati infantis extra casum necessitatis, postquam spiritualis cognatio inducta est, de qua. (*lib.* 16. *prop.* 13.) In adultis porro, qui jam satis instructi, & in fide, & Christiana vita eruditi, & non aliter ad baptismum admittuntur, Susceptorum, aut Sponsorum, & Fidejussorum, quos nunc Patrinos dicimus, ex eo capite inducta videtur, quod necesse fuerit esse aliquos, qui adultos jam viros, aut fœminas simul cum Presbytero in baptisterium mergerent, aut levarent. Nec enim unus Presbyter id facere per semet poterat. Et quia olim baptismus simul cum Sacramento Confirmationis adhibebatur, hinc eadem Susceptorum necessitas, eademque spiritualis cognatio ad Confirmationem quoque propagata est.

69. Jam vero Cæremoniæ, quæ Baptismum sequuntur hæ sunt. I. est osculum pacis, de quo consultus Cyprianus respondit ad Fidum, (*lib.* 3. *epist.* 8.) non esse cur horreat Christianus osculari eum, quem Deus ad sui similitudinem creavit. II. unctio Chrismatis in vertice. Hunc ritum Damasus a Silvestro institutum asserit, (*in huj. vita.*) ejusque meminerunt Innocent. I. ep. 1. c. 3. Ambros. in 3. de Sacramentis c. 1. Hieronymus adv. Luciferianos. Inductus autem videtur hic ritus, quia non semper adest Episcopus, qui continuo possit baptizatum confirmare. Unde interim ungebatur a Presbytero in vertice, sed Chrismate consecrato ab Episcopo. III. apponitur in manu baptizati cereus accensus, quia lucernas ardentes & fervore charitatis, & boni operis splendore Christiani in manibus habere jubemur. Meminit hujus ritus Gregorius Nazianzenus orat. in sanct. lav., & Augustinus in ps. 65. IV. est vestis candida, signum, ait Hieronymus (*dialog. advers. Lucif.*) novæ infantiæ, & innocentiæ vitæ. Gestabatur autem a die Paschæ usque ad Sabbathum in Albis, unde Augustinus: (*serm.* 157. *de temp.*) Candor, qui in veste deponitur, mente retineatur. Exstat hujus ritus memoria in lib. de Eccl. Hierarch. itemque apud Ambr. de iis, qui initiantur c. 7. tum diserte apud Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Erat autem vestis totum hominem contegens ad modum pallii. Unde ridebant Pagani Christianos, quod prætexta deposita, redirent ad pallium. V. Baptizatis lac, & mel dabatur degustandum, ut est apud

ud Tertull. in 1. contr. Marcionem, apud Hieronym. in dial. cit., Item tamen in c. 55. Isaiæ hanc consuetudinem in Occidente tantum iguisse, asserit, unde ejus deinde observatio cessavit, sicut illa de ıvandis pedibus Neophytorum, de qua Cyprianus, (*serm. de lot. ed.*) & Ambrosius, (3. *de Sac. cap.* 1.) quam non fuisse universim :ceptam, ait Augustinus, (*ep.* 119.) ne de substantia baptismi esse utaretur, unde & prohibita fuisse videtur in Conc. Illiber. c. 48.

70. Hinc facile intelligimus, inquit Van-Espenius, quam immerito æretici ritus baptismi nostri, qui potissimum in Exorcismis, exsufationibus, manuum impositionibus, crucesignationibus, ac deprecaonibus diversis consistunt, tanquam novos, & superstitiosos exploant, quum eos videamus jam a priscis Patribus fuisse adhibitos, & :cclesiæ traditos. Sed opponunt, nos Sacramenti baptismi substantiam ı his ritibus ponere, nam eos, si prætermissi fuerint, supplemus. ed hujus sui argumenti solutionem discere potuerant ab D. Thoma, *q.* 71. *cit. art.* 3.) aliquas esse cæremonias tantum significativas, ut ısculum pacis, ut cereus &c. alias autem & operativas, ut Exor:ismus, benedictiones, unctiones, non tamen, inquit, sunt hujusmoli prætermittenda, nisi in necessitatis articulo. Et tunc cessante pe·iculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in *baptismo*. Nec frustra supplentur baptismo jam obtento, quia *sicut potest* effectus baptismi impediri antequam percipiatur, ita *potest impediri postquam* perceptus est.... Unde & aqua benedicta post baptismum adspergimur, & per eam potestas Dæmonis reprimitur.... Inter ea autem, quæ aguntur post baptismum circa baptizatum, est aliquid, quod solum significat, & aliquid, quod non solum significat, sed etiam efficit, ut inunctio in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis. Quod autem solum significat, ut vestis candida, quæ denotat novitatem vitæ, semper significationem suam habet, ex qua plebs eruditur, sive immediate post baptismum fiat, sive postea suppleatur.

Canones Concilii Tridentini de Baptismo.

I. Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

II. Si quis dixerit, aquam verum, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

III. Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum ma-

mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

V. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo; anathema sit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

PRO-

PROPOSITIO V.

Confirmatio est verum, & proprium Sacramentum a baptismo distinctum.

1. SAcramenta enim novæ legis (3. *p.q.* 72. *art.* 1.) disponuntur ad speciales effectus gratiæ: ergo ubi specialis occurrit effectus gratiæ, ibi ponendum est speciale Sacramentum .... Ex his autem, quæ in vita corporali aguntur, intelligi potest, quid in vita spirituali gratiæ sit speciale, quum sensibilia, & corporea spiritualium, & intelligibilium rerum imaginem gerant. Manifestum est autem, quod in vita corporali specialis est, ac distinctus effectus, quo homo ad perfectam ætatem perducitur, ab eo, quo fœtus generatur ... Unde præter motum generationis, & virtutem generativam, a qua habet vitam corporalem, est etiam motus augmenti, a qua perfectam ætatem, & robur accipit, quo possit contrariis resistere, ac semetipsum tueri. Per baptismum igitur, qui est spiritualis regeneratio, uti dictum est, (*in præc.*) homo accipit spiritualem vitam: oportet igitur aliud esse Sacramentum, per quod homo ad perfectam ætatem, & robur spiritualis vitæ perducatur, & hoc dicitur a Patribus Perfectio, Plenitudo, Consummatio, Signaculum, Sigillum, Chrisma, Manuum Impositio, atque usitatiori nomine Confirmatio, (*Cath. Conc. Trid. p.* 2. *n.* 17. *& Conc. Senonens.*) quia adversus omnes mundi, ac Dæmonis, & carnis impetus robustiores fiunt baptizati, & induuntur virtute ad confitendum, & glorificandum nomen D. JESU Christi, ex quo ipsum nomen inventum esse nemo dubitat, quod & in Conc. 1. Arausic. & 3. Arelatens. & apud Bedam, (*in Ps.* 26.) & Hilar. Arelatens. (*homil. de Pentecoste.*) multis jam ab sæculis in Ecclesia usurpatur ... Igitur in Baptismo Spiritus Sanctus plenitudinem præstat ad innocentiam, in Confirmatione augmentum confert ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur, quod est apud Melchiadem .... (*Epist. ad Episcop. Hispan.*) Aqua mundat Ecclesia suos, (*Tertul. de præscrip. cap.* 36. *& de Resurr. Carn. cap.* 8.) Spiritu Sancto vestit, Eucharistia pascit .... Caro abluitur, ut anima emaculetur ... caro signatur, ut anima muniatur .... Caro Christi corpore, & sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur .... Sed quia diximus, quod manus impositio, aut Confirmatio ei, qui jam regeneratus est in Christo, conferre aliquid possit, forte aliquis secum cogitat dicens: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, ministerium Confirmationis? Quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fon-

fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita est, dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, uti quum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam annis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa, munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiæ. Nunquid prodest, si quisquam parentum magnas filio parvulo conferat facultates, nisi providere studeat & Tutorem? Paraclitus regenaratis in Christo Custos, & Consolator, & Tutor est ... Ergo Sp. Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam: quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter visibiles hostes, & pericula gradiendum est; in baptismo regeneramur ad vitam; post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et sic continuo transituris sufficit regenerationis beneficium; victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; Confirmatio autem instruit, atque armat ad agones mundi hujus, & prælia reservandos. Ita Eucherius, sive Hilarius Arelatens. seu quis est antiquus, & pius author homiliæ de Pentecoste inter opera Eusebii Emisseni. Ex quo breviter S. Thomas. Est plenitudo gratiæ Christianæ sufficiens ad salutem, & hæc datur in baptismo; & est plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum contrariis, & hæc datur in Confirmatione. Habemus igitur cæremoniam, seu signum sensibile: habemus spiritualem effectum gratiæ roborantis, eidem sacræ cæremoniæ adnexum, idque ex Christi institutione. Nam quis alius Spiritum Sanctum dare poterat hominibus, aut promittere? Habemus ergo verum, & proprium Sacramentum ab reliquis distinctum.

2. Quod autem (*art. cit. ad* 1.) de Christi institutione diximus, altiori indagatione discutiendum. Quidam enim ex Catholicis Doctoribus dixerunt, hoc Sacramentum nec a Christo Domino, nec ab Apostolis fuisse institutum; sed postea processu temporis in Concilio Meldensi medio fere nono sæculo celebrato. Hæc sententia fuit Alex. Alens., (*p.* 4. *q.* 24.) quem sequutus est Bonaventura. (*in* 4. *dist.* 7. *art.* 1.) Alii dixerunt, institutum fuisse ab Apostolis ex commissa sibi a Christo potestate, & hæc sententia apertissime traditur in Ep. 1. Fabiani Papæ, quam Suarezius (*disp.* 32. *sect.* 2.) hic maximæ authoritatis esse dicit, & vere quidem, si de ejus authenticitate constaret. Sed omnes fere ante Siricium decretales Epistolas dubiæ fidei, atque adeo nullius esse, jam apud omnes emunctæ naris homines in confesso est. Neque hoc esse potest, ait D. Thomas, (ad 1.) quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem Excellentiæ,

iæ, quæ soli Christo competit, ut supra (*prop. 1.*) dictum est.... Et ideo dicendum, quod definitum est in Concilio Tridentino, (*sess.* .) hoc Sacramentum, sicut reliqua omnia, Christum instituisse. Hoc nstituisse autem, non exhibendo, id est, aliquem in vita sua mortai confirmando, sed promittendo se Spiritum Sanctum visibiliter missurum, a quo edocerentur, & induerentur virtute ex alto. Sed occurrit Estius dicens: (*in 4. dist. 7. parag. 4.*) Si propterea Christus Saramentum hoc instituit promittendo, quia promisit discipulis Spiritum Sanctum: igitur & exhibendo, quia Spiritum Sanctum, quem romiserat, mittendo exhibuit. Sed hoc Estii argumentum, quod laudat Tournelius, (*q. 3. de confirm. art. 1.*) D. Thomæ sensum non evertit, quem Estius, aut Tournelius non sunt assequuti. Distinguo enim onsequens: Exhibuit in vita mortali, nego; post resurrectionem, concedo... Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus ancti, quæ danda non erat ante Christi ascensionem juxta illud Joan. . Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus. Promisit autem Christus Spiritum Sanctum, quum dixit Joan. 16. Si ion abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam um. Exhibuit autem in die Pentecostes, & sæpe deinceps.

3. Jam vero Confirmationem semper habitam fuisse in Ecclesia ut verum, & proprium Sacramentum a baptismo distinctum, probatur I. ex Scripturis. (*Act. 8.*) Quum enim audissent Apostoli, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui quum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Item Act. 19. Baptizati sunt in nomine Domini JESU, & quum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos. Cecidit autem, ait Petrus, (*Act. 11.*) Spiritus Sanctus super eos, sicut in nos in initio, id est, in die Pentecostes; sed Spiritus cecidit super Apostolos non solum quantum ad externa charismata, sed etiam quantum ad interiorem gratiam, ut induerentur virtute ex alto, ut docerentur omnem veritatem .... ut essent fidei testes in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ, ut daretur eis os, & sapientia, cui non possent eorum Adversarii resistere: ergo ad impositionem manuum Apostolorum dabantur spirituales, & speciales effectus gratiæ, præter eos, qui dati jam erant in baptismo; Apostoli autem non poterant impositioni manuum suarum hanc divinam tribuere virtutem: ergo ab Christo hanc manuum impositioni virtutem annexam fuisse, didiscerant; cæremonia autem sensibilis habens ex divina institutione annexam promissionem, & virtutem conferendi spiritualem effectum, ve-

verum est, & proprium novæ legis Sacramentum: Confirmatio igitur verum est, & proprium novæ legis Sacramenntm, quod erat propositum. Nam hic agi de Sacramento omnino a baptismo distincto apertissime constat ex diversitate ritus, ex diversitate effectus, ex successione temporis, ex diversitate Ministri, nam Philippus baptismum dare potuit, quod est apud Chrysostomum, (*homil.* 18. *in Acta.*) Spiritum Sanctum dare non poterat, ut infra dicetur. Dallæi autem Recentioris Calvinistæ effugia partim præoccupata jam sunt, partim infra de iis agetur.

4. Probatur secundo ex Conciliis, quorum antiquissimum Illiberitanum anno 305. celebratum can. 38. definit, posse quemlibet fidelem .... Catechumenum in necessitate infirmitatis positum baptizare, ita tamen, ut si supervixerit, ad Episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit. Tum can. 77. Si quis Diaconus ... sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Nicænum I. canon. 8. Novatianos, ait, ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem. Hoc autem quia sive errore, sive exemplo Novatiani confirmari neglexerant, nam ille, quod est apud Cornelium, (*ex Eus. 6. hist. cap.* 43.) quum a morbo, quem propter in lecto baptizatus fuerat, liberatus esset, reliqua non percepit, quæ secundum Ecclesiasticam regulam percipi debent, nec ab Episcopo consignatus fuit. Laodicenum canon. 48. Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum Chrisma Ecclesiæ recipere. Arausicanum I. ann. 441. Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate unquam debere progredi. Quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate quacumque necessitate chrismatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commoneatur. Hispalense II. ann. 619. definit, simplicibus Presbyteris non licere nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Spiritum Sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec eo baptizatorum frontes signare. Cabillonense II. ann. 813. Nobis visum est Confirmationem, sicut & baptismum minime iterari debere. Parisiens. VI. ann. 829. Sicut baptismus, excepta infirmorum causa, nonnisi ab jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus Sancti .... non nisi a jejunis celebranda est Pontificibus. Tridentinum denique sess. 7. can. 1. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse cæremoniam, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidem suam coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

5. Tertio id ipsum convincitur ex Summorum Pontificum decisionibus, quorum antiquissimus Clemens Romanus in 3. Constitut. c. 16. Post,

Post, inquit, Episcopus baptizatos ungit Chrismate, quod deinde c. 17. confessionis, & professionis Christianæ confirmationem vocat. Allegantur etiam Urbanus, & Fabianus, sed horum Epistolæ dubiæ authoritatis habentur. Cornelii Papæ, & Martyris insignem locum supra dedimus, quem nobis conservavit Eusebius. Est itidem egregium testimonium Melchiadis Papæ in epist. ad Episcopos Hispaniæ, ex qua verba ipsa transcripsit Eucherius, sive Hilarius Arelatensis supra etiam productus. Ibi etiam Confirmationem, ait, hoc præstare baptismo, quod a solis summis Sacerdotibus, id est, Episcopis conferatur. Eadem ratio adducitur in Epist. decretali Eusebii Papæ. Quas omnes confirmat Innoc. I. in epist. ad Episcopum Eugubinum, ibi: De confirmandis infantibus manifestum est non ab aliis, quam ab Episcopis fieri licere.... quod non solum Ecclesiastica consuetudo demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum; quæ asserit, Petrum, & Joannem directos fuisse, qui baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteri ungere quidem possunt, sed non nisi chrismate ab Episcopo consecrato, id que non in fronte, quod solis debetur Episcopis, quum Sanctum tradunt Paracletum. Affertur etiam Damasus Papa epist. 4. ab Suarezio, (*in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 1.) & Bellarmino. (2. *de Confirmat. cap.* 3.) Allegatur item Edictum Constantini, quod habetur Colat. 4. ubi ait, se per B. Silvestrum septiformem Spiritus Sancti gratiam unctione Chrismatis accepisse, & vexillo sanctæ Crucis signatum in fronte. Certius autem testimonium desumitur ex Leone Magn. Ep. 73. ubi ait, in Ecclesia Alexandrina defecisse Chrismatis sanctificationem. In Epist. 88. negat, Chorepiscopos posse Chrisma conficere, aut eo baptizatorum frontes signare. In serm. 4. de Nativ. Accepistis, ait, chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ. Denique Gregorius Magnus lib. 3. epist. 9., & lib. 14. ep. 17., tum in Sacramentario, ubi ritum administrandæ confirmationis exponit. Ex quibus Innocent. III. in c. un. de Sacr. unct. Per frontis chrismationem, ait, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur.

6. Quarto firmatur propositio multis Sanctorum Patrum testimoniis. Tertullianum quidem supra dedimus. Adde Cyprianum lib. 1. epist. ultim: Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit... (*lib.* 2. *ep.* 1.) Tunc enim plene sanctificari, & filii Dei esse possunt, si utroque nascantur Sacramento.... (*ep. ad Jubaj.*) Quod quippe Petrus, & Joannes cum Samaritis fecerunt, id quoque nunc apud nos geritur, ut qui baptizantur in Ecclesia, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem

Spi-

Spiritûm Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. Dices: Cyprianum Anabaptismo tinctum fuisse. Respondeo: In hoc erravit, sed in asserendo, & distinguendo confirmationis Sacramentum a baptismo cum tota Ecclesia sensit. Adde authorem sermonum de Cardinalibus Christi operibus, doctum, antiquum, & pium inter Cypriani opera: Hodie in Ecclesia.... (*Serm. de Unct. Chrismat.*) sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit dignitatem.... adest veritas signo, & Spiritus Sacramento.... Hujus unctionis beneficio septiforme Spiritus-Sancti donum infunditur. Hoc uncti oleo cum spiritualibus nequitiis colluctamur. Adde Prudentium in Ψυχομ

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, & chrisma perenne.

Idem Christianum monet, ut meminerit se chrismate innotatum. Adde Firmilianum ep. 75. inter Cyprianic., ubi ait, esse Majores in Ecclesia, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem. Adde Cyrillum Hieros. cujus in Catech. 3. Mystag. hæc sunt apertissime: Postquam ex lavacro ascendistis, datum est vobis Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus, hoc autem est Spiritus Sanctus. Adde Ambrosium in 3. de Sacram. c. 1. Accipit baptizatus mysterium, id est, unguentum supra caput... (*cap.* 2.) Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus Sanctus infunditur. Idem in 2. de Sacram. c. 7. idem in lib. de Initiand. c. 7. Adde Hieronym. adv. Lucifer. An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & invocetur super eos Spiritus Sanctus? Exigis, ubi id scriptum sit? In Actis Apostolorum. Etiam si Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hac re consensus instar præcepti obtineret.... Non equidem abnuo hanc Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, aut Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impositurus excurrat.... Quod si quæras, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manum Episcopi non accipiat Spiritum sanctum?... disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit &c. Adde August. in 2. contr. lit. Petiliani: (*cap.* 104.) In hoc unguento, inquit, Chrismatis Sacramentum vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed etiam in pessimis esse potest..... Descerne igitur visibile Sacramentum,

quod etiam in malis esse potest .... ab invisibili unctione charitatis, quæ nisi in bonis esse non potest. Adde Eccl. Hierarch. authorem apud quem: (*cap.* 2. *p.* 2.) Baptizatum alba veste indutum ad Pontificem ducunt, ille divino, ac deifico unguento virum signat... (*cap.* 4. *p.* 3.) Iis, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritus Sancti consummans unguenti inunctio largitur. Volumen integrum conficerem, si Basilii, Gregorii Nazianzeni, Theodoreti, Clementis Alexandrini, Justini, Origenis, Damasceni, Amphilochii, Paciani, Optati Milevitani, Eusebii Cæsariens., Bedæ, Bernardi testimonia recensere velim, quos Bellarminus, & Suarezius, & Natalis Alexander dabunt.

7. Probatur eadem veritas quinto ex constante praxi universæ Ecclesiæ usque ad nostra tempora, quæ convincitur ex libris Sacramentariorum, & Ritualibus quum Græcis, tum Latinis, ubi utriusque Ecclesiæ consuetudines, & Sacramentorum administrandorum praxim summa diligentia adnotarunt viri earum rerum studiosissimi Gregorius Magnus, Beda, Alcuinus, Walfridus Strabo, Amalarius, Fortunatus, Rabanus Maurus, Guarius, Arcudius, Ordo Romanus ab incerto authore ante nonum sæculum scriptus, aliique posteriores multi.

COROLLARIUM I.

8. Ex hac communi Conciliorum, Pontificum, Patrumque doctrina liquet, manus impositionem esse necessariam materiam Sacramenti Confirmationis. Probatur. Nam quod Petrus, & Joannes cum Samaritanis fecerunt, id quoque nunc in Ecclesia geritur; sed Apostoli nunquam dederunt Spiritum Sanctum, nisi per manuum impositionem; non autem scire poterant huic cæremoniæ annexam esse Spiritus Sancti collationem, nisi ex promissione, & institutione Christi sibi revelata, & tradita: ergo ex Christi revelatione didicerant manuum suarum impositioni alligatam fuisse Spiritus Sancti gratiam; sed elementum, seu res sensibilis, cui est annexa ex institutione Dei promissio, & collatio gratiæ, est id, quod proprie dicitur materia Sacramenti: manuum ergo impositio Sacramenti materia est a Christo instituta, atque adeo necessaria, quod erat propositum. Confirmatur id ipsum ex multis ante citatis testimoniis, ubi Patres manuum impositionem unicam cæremoniam assignant pro hujus Sacramenti materia, ut Concilia Illyberitanum, Nicœnum, Hispalense, ex Patribus Cyprianus, Firmilianus, Hieronymus, Theodoretus, (*in cap.* 19. *Act. Apost.*) qui baptizatos, ait, per manus impositionem Spiritum Sanctum recipere. Gennadius (*apud Oecumen. tom.* 3. *Conc. p.* 418.) qui hortatur ba-

baptizatos, ut subjiciant sese manuum impositioni ad participationem Spiritus. Similia Eulogius Alexandrinus (2. *cont. Novat.*) apud Photium, (*in Biblioth. n.* 280.) Photius apud Oecumenium, Oecumenius ipse in c. 6. Epist. ad Hebræos, Simeon Thessalonicens. in 1. de Templ. Nicetas in 4. Thes. fid. (*cap.* 36.) diserte ait, manuum impositionem solam Spiritus Sancti accessum suggerere. Denique id ipsum fatentur cum Michaele Palæologo Græci omnes in Ep. ad Gregor. X. relata in Concilio Lugdunens.

COROLLARIUM II.

9. Ex eadem communi Conciliorum, Pontificum, & Patrum doctrina liquet, unctionem Chrismatis esse necessariam materiam Confirmationis. Ea enim, quæ ad naturam Sacramentorum spectant, eruere non possumus, nisi ex communi Patrum interpretatione, & sententia, per quam nobis de traditione constat, quum deficit expressa authoritas Scripturarum; sed de materia necessaria hujus Sacramenti, nihil habemus in Scripturis expressum: ergo de ejus natura, & partibus judicandum non est, nisi secundum traditionem Patrum. Patres autem fere omnes citati, & alii, qui afferri possint multi, apertissime dicunt, fideles baptizatos ab Episcopo ungi, Chrismari, liniri, consignari, atque ita Spiritum Sanctum accipere. Multi etiam manuum impositionem cum Chrismatione conjungunt. Multi ipsam unctionem manus impositionem vocant: ergo unctionem, seu chrismationem ad naturam hujus Sacramenti pertinere, omnimodo tenendum: Minoris prima pars patet ex Conciliis Nicœno, Laodiceno, Arausicano, Hispalensi citatis, quibus addi possunt Constantin. I. can. 7. Florentinum in decret. pro Armenis. Trident. sess. 7. can. 1. Patet ex Clemente Romano, ex Innoc. I., ex Leone, Gregorio, & Innocent. III. Patet ex Tertulliano, Cypriano, authore de Cardinalibus Christi operibus, ex Prudentio, ex Cyrillo Alexandrino, ex Ambrosio, ex Augustino, ex lib. de Eccl. Hierarch., ex Origene, ex Basilio ubi unctionem inter non scriptas traditiones numerat lib. de Spiritu Sancto, (*cap.* 27.) ex Theodoreto sup. Cantic. ex Nazianzeno orat. 40., ex Justino qu. 137. ad orthod. ex Paciano ep. 1. ad Symphorian. ex Optato, Isidoro, Beda, Rabano, Bernardo, qui omnes Chrismatis, & unctionis in hoc Sacramento explicando meminerunt. Manus impositionem cum Chrismatione conjungunt Cornelius Papa, Concil. Hispalense, Innoc. I., Tertullianus, Cyprianus, & alii ex citatis. Ipsam autem unctionem manus impositionem esse, tradunt Innocent. III. (*Decret. cap. cum venisset.*) Beda in ps. 26. dicens: Illa unctio, quæ per manus impositionem ab Episcopo traditur &c. Item in Capitular.

Carol.

Carol. M. Ne quis a Chorepiscopis per manus impositionem consignari præsumat. Haymo hom. in fer. 2. Pasch. Ecclesia ungit baptizatos, dum per manus impositionem Spiritus Sanctus invocatur. Rabanus Maurus: Ad solum Episcopum pertinet, ut baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet, in 1. de Inst. Cler.... (*cap.* 28.) Rupertus in 5. de div. Off. c. 17. omnis Ecclesia unctione Chrismatis per manus impositionem consecratur. Ratramnus Corbejensis in 4. cont. oppos. Græc. (*cap.* 7.) Donum Spiritus Sancti datur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum Chrismate liniuntur ab Episcopo. Similia Amalarius, (*lib.* 1. *de offic. cap.* 27.) Hugo Victorinus, (*lib.* 1. *de Sacrament. fidei cap.* 10.) & alii.

COROLLARIUM III.

10. Materia ergo adæquata Confirmationis resultat ex impositione manuum, & unctione Chrismatis.

11. Est autem Chrisma (quamvis hoc Græcum nomen quamcumque unctionem, aut unguentum significet) confectio quædam ex oleo, & balsamo. Balsamum autem est arbusculum quoddam, ex cujus cortice difisso liquor odoriferus diffluit. Balsamum, ait Plinius; (*lib.* 12. *cap.* 25.) uni terrarum Judææ concessum, & in duobus tantum hortis, Regio utroque repertum, quorum alter 20. dumtaxat jugerum, alter pauciorum. Sed hæc Plinianæ gerræ sunt. Nam & in India Orientali, & Occidentalibus regionibus balsama non unius tantum generis ex arboribus distillare, manifestum est, ex iisque sacrum Chrisma confici posse, consultus respondit Paulus III. apud Suarezium .... (*disp.* 33. *sect.* 1. *in* 3. *p.*) (vid. infra dicenda n. 28.) Porro an balsamum sit necessaria materia Sacramenti in se, an solum ex præcepto Ecclesiæ, dubitarunt multi, quos inter Innocentius III. (*cap. Pastoralis.*) Consultus enim, an chrismatus esset, qui non balsamo, sed solum oleo per errorem unctus fuerat, respondit nihil iterandum, sed caute supplendum, quod fuerat incaute prætermissum. Iterandum autem esset Sacramentum, si fuisset nullum: ergo censuit confirmationem, in qua pro chrismate oleum adhibitum fuerat, nullam non fuisse: fuisset autem, si confectio olei, & balsami esset de necessitate Sacramenti. Communis tamen sententia est cum Bellarmino, (2. *de Sacram. confirm. cap.* 8. 9.) Suarezio, &c. (*loc. cit.*) confectionem olei, & balsami esse necessariam necessitate Sacramenti, sive oleum balsamatum, ut S. Thomas loquitur, & sæpe docet, (4. *cont. Gent. cap.* 6. 3. *& p. q.* 72., *& in* 4. *dist.* 7. *&c.*) habeturque expresse in Concilio Florent. ajente: (*in decr. Eugen.*) Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod ni-

torem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem bonæ famæ significat per Episcopum benedicto.

COROLLARIUM IV.

12. De necessitate etiam Sacramenti est, ut Chrisma sit ab Episcopo consecratum. Chrisma enim non dicitur quæcumque commixtio olei, & balsami; hanc enim quivis hominum facere potest, sed commixtio facta authoritate, & ritu Ecclesiæ; sed ritu Ecclesiæ nemo potest Chrisma facere nisi Episcopus, ut ex adductis authoritatibus liquet; Chrisma autem est materia necessaria, ut dictum est: ergo etiam necessaria eodem modo est consecratio, aut benedictio Episcopi. Hinc si quis Presbyter facultatem habens chrismandi utatur chrismate non ab Episcopo benedicto, nihil facit.

COROLLARIUM V.

13. Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis ut supra confecti, & consecrati facta in figuram Crucis in fronte hominis baptizati. Corollarium hoc item liquet ex Patrum testimoniis supra adductis. Requirunt enim signum in fronte, & Crucis signum. Deinde quod verbis exprimitur, id de necessitate Sacramenti putandum est; sed in ipsa forma, seu verbis, quibus hoc Sacramentum conficitur; exprimitur Crucis signum, & unctio Chrismatis, ut infra dicetur: ergo tam Chrismatis unctio, quam forma Crucis est de necessitate Sacramenti. Majorem docet S. Thomas (*q. cit. art.* 4.) dicens: In forma Sacramenti contineri deberet, quidquid pertinet ad speciem Sacramenti. Tum etiam quia in Confirmatione miles, atque Atleta Christi pugnaturus insignitur, atque inungitur, ut passim habetur ex Patribus. Et ideo in fronte, ubi verecundiæ, & pudori locus est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, (1. *Corinth.* 1.) quæ Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiæ visa est, propter quod Crucis signo signatur. De quo & Tertullianus: (*de præs. cap.* 40.) Signat, inquit, Christus in fronte milites suos.... Non enim, ait Augustinus, (*in ps.* 11.) in occulto loco Crucem Christi, sed in fronte porto, cui similia Cyr. in Catech. 3. ex Mystagogicis.

CO-

COROLLARIUM VI.

14. Forma hujus Sacramenti, (3. *p. q.* 72. *art.* 4.) qua Latina Ecsia utitur, aptissima est, nimirum: Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c. Formam hanc autem essentialem esse, patet ex Concilio Florentino, (*in Decr. pro Armen.*) & Ordine Romano ante nonum sæculum scripto, & apud S. Thomam. Quamvis tamen in Scriptura, aut Patribus his verbis, ac syllabis non inveniatur, apertissime tamen desumpta esse videtur ex verbis Pauli in 2. ad Corinth. (*cap.* 1.) Qui confirmat nos Deus, & qui unxit nos, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, ad eamque formam ex Pauli verbis erutam videtur allusisse Ambros. in lib. de Initiand. (*cap.* 7.) dicens: Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo. Prædictam autem formam esse huic Sacramento convenientem, ostendit D. Thomas. (*art. cit.*) Nam in forma, inquit, Sacramenti contineri debet, quidquid pertinet ad ejus speciem ... Tria autem sunt ad hujus Sacramenti necessaria. Primum est causa conferens plenitudinem spiritualis roboris, quæ est Deus trinus, & unus, & hæc exprimitur, quum dicitur: In nomine Patris &c. Secundum est effectus ipse spiritualis roboris, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis ad salutem, & circa hoc dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut ad pugnam corporalem milites insigniuntur, & circa hoc dicitur: Signo te signo Crucis, in qua Rex noster triumphavit. (*ad Colos.* 2.)

COROLLARIUM VII.

15. Decisum est item ex omnium præcitatorum Patrum testimoniis, (*qu.* 72. *art.* 11.) solum Episcopum de jure communi, & ordinario esse Confirmationis Ministrum. Nam in quolibet opere, inquit D. Thomas, ultima consummatio, & perfectio supremæ arti, aut virtuti reservatur. Confirmat hanc assertionem D. Thomas ex Eusebii, & Urbani decretis, qua licet nunc spuria habeantur, non tamen habebantur eo tempore, & quamvis nunc de eorum authenticitate non constet, tamen antea fortasse constabat, & præterea antiquissima esse, satis erat, & Patrum, & Ecclesiæ traditioni conformia. Unde & similes ante Siricium Decretales, etiam Recentiores Critici, ut Morinus, Natalis, & similes citant, quum ad rem suam faciunt. Præterea habemus invictam duorum Conciliorum authoritatem, Florentini, nimirum, (*ex Decret. Eug.*) ac Tridentini. Sess. 7. can. 3.

CO-

COROLLARIUM VIII.

16. Subjectum hujus Sacramenti est quilibet homo baptizatus. Ratio autem optima est, quam assignat D. Thomas, (*q. cit. art.* 6.) quia sic est generatio ad augmentum, sicut Confirmatio ad baptismum, ut supra dictum est. Manifestum est autem, neminem posse ad perfectam, seu virilem ætatem perduci per augmentum, nisi primo fuerit genitus: ergo similiter nisi prius fuerit aliquis baptizatus, sive spiritualiter genitus, non potest Sacramentum Confirmationis accipere, per quod habetur consummatio, & perfectio vitæ Christianæ . . . (*ib. ad* 3.) Sicut enim robur spirituale, qui est effectus Confirmationis, præsupponit effectum baptismi, qui est justificatio, ita Sacramentum Confirmationis præsupponit Sacramentum baptismi. Hinc patet ulterius, omnibus in Ecclesia existentibus hoc Sacramentum esse conferendum. (*qu.* 72. *art.* 8.) Nam per illud promovetur homo spiritualiter ad perfectam ætatem. Hoc autem videtur esse de intentione naturæ, ut omne, quod corporaliter nascitur, ad perfectionem perducatur, licet hoc quandoque impediatur propter corruptibilitatem corporis, ex qua quis morte prævenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ad cujus similitudinem hoc natura participat, sicut & cætera bona. Dei enim (*Deut.* 32.) perfecta sunt opera. Anima autem, quæ sola spiritualiter nascitur, & spiritualiter roboratur, ac perficitur, immortalis est. Unde sicut potest tempore senectutis renasci, ita etiam contra, tempore juventutis, aut pueritiæ ad virilitatem pervenire. Et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi adultis quidem volentibus, & consentientibus; parvulis autem etiam nescientibus, quod antiquioribus temporibus factum fuisse, patet ex Patrum testimoniis. In mundanis enim agonibus, quod est apud Chrysost. in homilia de Machabæis, ætatis, ac formæ, generisque requiritur dignitas, atque ideo servis, ac mulieribus, senibusque, ac pueris ad eos aditus denegatur. In cœlestibus autem omni personæ, ac sexui indiscreta facultate stadium patet . . . . Hinc multi in puerili ætate propter Spiritus Sancti robur acceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo . . . . (*homil. de milit. Spirituali.*) Multæ item fœminæ virili animo spiritualem militiam gesserunt, quædam etiam fortiores viris extiterunt. Inde olim grassantibus persequutionibus, quum necessarium esset, ad pugnam omnes Christianos esse præparatos, statim post baptismum Confirmatio, atque etiam Eucharistia conferebatur: fide autem deinde per totum orbem propagata post conversionem Constantini, & persequutione cessante, quum plures essent, qui infantes, quam qui adul-

adulti baptizabantur, cœptum est Confirmationem a baptismo separare, atque provectiorem sperare ætatem, in qua dignius, atque utilius Confirmatio susciperetur ... Morituris autem sive olim, sive nunc non est hoc Sacramentum necessarium propter periculum pugnæ præsentis, non tamen ideo frustra confertur. Augetur enim per illud in spiritualibus, & perficitur anima, (*Eph.* 4.) ut occurramus omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

COROLLARIUM IV.

17. Liquet item ex citatis Patrum sententiis, (*qu.* 72. *art.* 5.) Sacramentum Confirmationis imprimere animæ spiritualem caracterem. Ratio autem est, quia sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam, ita Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem ad spiritualis ætatis perfectionem. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, & alia est actio hominis jam adulti, atque ad perfectam ætatem perducti. Diversarum autem actionum diversæ sunt facultates, & principia: igitur per Sacramentum Confirmationis datur homini spiritualis facultas seu potestas ad actiones alias ab iis, ad quas datur ei potestas in baptismo; spiritualis autem potestas ad sacras actiones ordinata est id, quod dicitur caracter, ut supra dictum est: (*in præc.*) ergo in Confirmatione diversus imprimitur caracter a caractere baptismi .... In baptismo enim accipit homo potestatem ad ea, quæ pertinent ad salutem propriam, sibi enim soli vivit, sed in confirmatione accipit potestatem ad ea, quæ pertinent ad puguam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet exemplo Apostolorum, qui ante adventum Spiritus Sancti latebant in cœnaculo perseverantes in oratione; postquam vero induti sunt virtute ex alto, prosilierunt in publicum, nec verebantur coram inimicis fidem publice profiteri, quod Chrysostomus, Ambrosius, & passim Patres adnotaverunt .... Pugna autem spiritualis (*ib. ad* 1.) est duplex. Alia contra hostes invisibiles, & hæc est propria omnium baptizatorum. Pugnare autem contra hostes visibiles, nimirum Tyrannos persequutores fidei est proprium Confirmatorum, & virorum perfectorum, ad quos Joannes in 1. Ep. c. 2. Ad vos, inquit, scribo, juvenes, qui fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Caracter enim Confirmationis non est distinctivum fidelium ab infidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur: (1. *Petr.* 2.) Sicut modo geniti infantes &c. Confirmatur assertio ex dictis illis Patrum, & Conciliorum asserentium, Confirmationem repeti non posse. Id enim solum est proprium eorum Sacramentorum, quæ ca-

caracterem imprimunt. Ita autem Concilia Toletan. VIII. can. 7., Cabilonense can. 27., Tarraconense apud Bellarmin. (2. *de Confirm. cap.* 11.) Florentin. denique, ac Trident. ses. 7. can. 9. Patres vero Tertull. lib. de Præscrip. Cyprianus 73. epist. Idemque habetur in serm. de lotione ped. vel Cypriani, vel coævi, & probati authoris. Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Antioch. Innocent. I. Ep. ad Decent. Leo sermone 4. de Nativ. Gregorius lib. 14. epist. 17., Gregor. III. Si ipsius est Epist. 13. ad Bonifac., quæ habetur in cap. de homine de Consecr. distinct. 5. & posteriores passim.

18. Itaque de Confirmationis Institutione, Materia, Forma, Ministro, Subjecto, Effectu, quæ sit Catholicæ Ecclesiæ doctrina satis expositum, & probatum fuisse videtur. Verum quia in præsenti disputatione non ita difficile est propriam statuere sententiam, quam difficultates diluere, quæ ex ambiguis Patrum loquutionibus, ex rituum diversitate, ex diversis denique ipsorum Theologorum opinionibus nascuntur, quas omnes in tribus de Confirmatione libris nobis opponit Joannes Dallæus, eas hic summatim perstringere operæ pretium duximus post Natalem Alex. qui egregia dissertatione Dallæum confutavit, & Tournelium, Orsium, & alios, qui in hoc argumento bene quidem, sed aliquanto implexe, atque obscure versati sunt.

19. Pro clariori autem dictorum solutione notandum I. Antiquitus, uti dictum est, Confirmationis, & Baptismi Sacramentum eodem tempore, ac ritu fere continuo conferri solitum, quod ex Justino, Tertulliano, & Cypriano manifestum est. Inde factum, ut multa, quæ de Baptismo dicuntur, de Confirmatione dicta esse credantur, & vicissim. II. notandum ex doctrina D. Thomæ. (*hac q. art.* 2. & 4.) Spiritum Sanctum quandoque datum sine ullo hominum ministerio ex supernaturali Dei operatione, non solum invisibiliter, sed etiam visibiliter, sicut quando in die Pentecostes descendit super Apostolos, Quandoque item visibiliter ad Apostolorum aliquam operationem, sicut prædicante Petro, cecidit super Cornelium, & alios, qui erant in eadem domo, antequam baptizarentur. Quandoque vero ad orationem, & impositionem manuum Apostolorum, ut Actor. 8., &c.... In primis quidem duobus modis dabatur effectus hujus Sacramenti, qui est plenitudo Spiritus Sancti quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo factis, qui potest effectum Sacramenti, etiam sine Sacramento conferre, & tunc non erat necessaria nec materia, nec forma Sacramenti. In tertio autem casu operabantur Apostoli tanquam ordinarii Ministri Sacramentorum, hoc enim faciebant, quod nunc quoque apud nos geritur, ut Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, atque alii ex laudatis Patribus dicunt, & tunc, sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in

in Sacramentorum collatione, quæ in scripturis communiter propositis non sunt tradita, unde dicitur in fine libri de Eccl. Hierar. Consummativas invocationes, id est, mysticas preces, & ritus, quibus perficiuntur Sacramenta, non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis factas a Deo virtutes ex occulto ad publicum, & commune producere, sed nostra sacra traditio sine pompa, id est, occulte eas edocet. Hinc non mirandum, si nulla antiqua ritualia inveniantur, in quibus de singulorum Sacramentorum materia constet, aut forma. Nam in quatuor primis Ecclesiæ sæculis inter persequutionum procellas cautissimi erant Patres, ne margaritæ ante porcos projicerentur, quod ex multis eorum testimoniis constat. Inde Innoc. I. (*epist. ad Decent. cap.* 3.) quamvis ad Catholicos scribens, quum de Chrismatis unctione nonnulla docuisset, tamen ritum, & formam, qua conferebatur, scripto tradere noluit. Ait enim: Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.

20. Notandum III. ex Suarezio, (*in* 3.*p. disp.* 34. *sect.* 1.) & aliis. Multiplicem esse posse manus impositionem, ac diversissimos habere effectus. Est enim primum quædam manus impositio sanativa, de qua dicitur: (*Marc. ult.*) Super ægros manus imponent &c. Et ita Ananias Paulum, & Paulus Publii Patrem sanavit Act. 9., & 28. Secundo est manuum impositio Ordinatoria, aut Consecratoria, de qua dictum est: Nemini cito manum imposueris 1. ad Tim. 5., de qua item frequens mentio apud Concilia, & Patres. Tertia est manus impositio Confirmatoria, de qua Act. 8. Et quum imposuissent eis manus, acceperunt Spiritum Sanctum. Quarta est manus impositio super Catechumenos, ut supra (*in præc.*) eamque Catechumenorum sanctificationem appellavit Augustinus. (2. *de peccat. merit. cap.* 26.) Quinta est manus impositio Reconciliatoria, qua ab hæresi ad Ecclesiam reversi ad fidem, & Pœnitentes ad Communionem admittebantur, & de hac intelligitur Nicœni Conc. can. 8. & Agath. 15., qui habetur cap. In Capite dist. 10. & Arelatens. 2. can. 17. Sed ibi impositioni manuum chrismatio conjungitur ad Bonosiacos hæreticos recipiendos, qui fortasse Confirmationis Sacramentum non acceperant. Item Conc. Arausic. 1. can. 2. & 3. qui de impositione manuum Reconciliatoria loquuntur, & ita intelligendi sunt Patres nonnulli, ut Augustinus inquiens, (3. *de bapt. cap.* 16.) manuum impositionem repeti posse. Quid est enim, ait, manus impositio nisi oratio super hominem? Denique est sexta manus impositio mere Deprecativa, de qua mentio est Actor. 13. quum Paulum, & Barnabam ad gentes missuri Apostoli jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus.

21. Notandum IV. Etiam Apostolos (*q.* 72. *art.* 2. *ad* 1.) communiter

ter Chrismate usos fuisse in exhibitione hujus Sacramenti. Dicitur enim in lib. de Eccl. Hierarch. (*cap.* 4.) Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri, id est Apostoli, chrismatis hostiam nominant. Quamvis enim numquam baptizatos unxisse Apostoli, in Scripturis dicantur, tamen hunc ritum ab Apostolis descendere, constans traditio docet. Nam multo ante Conc. Meldense, atque item ante Silvestri decretum mentio unctionis hujus & in baptismo, & post baptismum invenitur apud Tertullianum, (*lib. de resurr. carn. cap.* 8.) & Cyprianum (*Epist.* 7. *ad Januar. & Epist.* 70.) tanquam communi usu, & praxi Ecclesiæ receptum: ergo tertio sæculo jam id communi Ecclesiæ consuetudine observatum erat: ergo saltem secundo Ecclesiæ sæculo inductum erat; tunc autem in vivis adhuc erant, qui Apostolos, aut immediatos eorum discipulos videre, atque audire potuerant, Polycarpus, Polycrates, Ignatius, Dionysius, Papias &c. qui tamen ritum aliquem inducere non auderent præter eos, quos ab Apostolis receptos, aut inductos agnoscerent: ergo usus Chrismatis ab Apostolis erat Ecclesiis traditus. Confirmatur ex trita, atque aurea Augustini regula: (4. *de Baptism. cap.* 24.) Quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis, aut ab aliquo Pontificum institutum est, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur; sed unctio illa, qua confirmat, & ungit nos Deus, & signat nos, & dat pignus spiritus in cordibus nostris, nullius authoritate Concilii inducta est, nullius decreto Pontificis, sed ab antiquissimis temporibus semper in Ecclesia observata fuit: ergo rectissime creditur ex Apostolica traditione derivari.

22. His autem prænotatis, Dallæi argumenta omnia facile diluuntur. Opponit enim, in Actis Apostolorum nullam olei, aut balsami mentionem fieri. II. Nullam apud nos esse manuum impositionem, quod etiam Sirmondus, (*Antirrhetici* 2. *c.* 7.) Morinus, aliique Catholici fatentur asserentes, manuum impositioni successisse unctionem cum chrismate. III. Effectus impositionis manuum Apostolicarum erat visibilis missio Spiritus Sancti per gratiam gratis datam Prophetiæ, Linguarum &c. non per internam sanctificationem, quam nos ponimus effectum confirmationis. IV. Samaritani, quos baptizaverat Philippus, jam erant filii Dei per gratiæ infusionem: ergo Confirmatio nihil interius in illis operata est. Quod si aliquid operata est; non ergo totum de fonte suscepimus, quod absurdum reputat Eusebius Emissenus, sive Eucherius. (*homil. in die Pentecost.*) V. Tertullianus ait, (*lib. de Baptism. cap.* 7.) unctionem esse de pristina disciplina, id est Mosaica, qua consecrabantur Sacerdotes; sed illa non fiebat, nisi oleo simplici: ergo chrisma ex balsamo confectum ignoravit Tertullianus. VI. Balsamum rarissimum erat, & pretiosissimum ex Plinio. Unde

Unde igitur pauperrimi Apostoli illud habere potuerunt? Maxime quum Sacramentorum materia facilis, & prompta esse debeat. VII. Græci plusquam 30. aromata miscent oleo: ergo illa confectio non est propria materia Sacramenti. VIII. Græci manuum impositione non utuntur. IX. Græci non solum frontem, sed etiam os, & nares, ac fere totum hominem illinunt, quod Latini non faciunt. Assumptum patet ex Cyrillo Catech. 3. Et hæc quidem contra præcipuam assertionem, & tria prima Corollaria præcipua sunt Dallæi argumenta. Respondetur tamen ex dictis ad singula.

23. Ad primum dicitur ex adducta doctrina D. Thomæ, (*q. cit. art.* 4. *ad* 1.) non ea omnia, quæ Apostoli ex Christi instructione in Sacramentorum collatione observarunt, esse litteris mandata, sed nobis satis esse traditionem acceptam ab Patribus, & Scriptoribus, qui Apostolos, & immediatos eorum successores audierunt, & viderunt, ab quibus Chrismatis usum accepimus. Ad secundum negatur assumptum. Contrarium enim expresse habetur in Sacramentario S. Gregorii, ubi describens ritum administrandi Confirmationem, hæc habet: Episcopus elevata manu super capita omnium, hæc dicit: Omnipotens Sempiterne Deus &c. Item Ordo Romanus Pontifex veniens ad infantes . . . . elevata, & imposita manu supra caput omnium, det orationem super eos cum invocatione septiformis Spiritus Sancti gratiæ. Præterea ipsam unctionem manu Episcopi in fronte confirmandi factam, manus impositionem & esse, & vere dici posse, quod Sirmondus, (*Antirrhet.* 2. *cap.* 7.) & Morinus (*Tract.* 2. *de Confir.*) irrident, plerique Theologorum Recentiorum cum Bellarmino (2. *de Confirm. cap.* 9.) asserunt, quod ille ex Ruperto, & Hugone Victore, atque Thoma Waldensi confirmat, & nos supra ex Rabano, Ratramno Corbejensi, & Beda probatum reliquimus. Ad quartum negatur assumptum; quia in Confirmatione non tantum externa charismata, sed ipsemet Spiritus Sanctus nobis datur; datio autem, seu missio Spiritus Sancti, numquam est sine gratia gratum faciente, seu charitate, ut (*lib.* 7. *prop.* 7.) dictum est. Ad quintum negatur consequentia, quia ut dictum est, gratiam Baptismi auget gratia Confirmationis, diversumque effectum producit, & diversum imprimit caracterem. Locum autem Eusebii Emisseni supra explicuimus ex ipso authore, quem perperam intelligit Dallæus. Ad sextum distinguo majorem, de pristina disciplina, quia per illam nostra unctio figurabatur, concedo; quia omnino erat eadem materia, nego. Sicut & sacrificium nostrum, & Cœna nostra sunt de pristina disciplina, quia per sacrificium, & Cœnam Judæorum figurata fuerant, quamvis non sit eadem illorum materia. Ad septimum dicitur, non ita rarum fuisse, & pretiosum, ut non jam de suo tempore dixerit Josephus in 8. ant. c. 2.

Bal-

Balsami hodie ferax est nostra regio: ergo ex illis duobus Regiis hortis, de quibus Plinius, multum arbusculum illud fuerat propagatum. Et in vineis Engaddi balsamum nasci, testatur Hieronymus in Cantica, & ex eo Gregorius. Ex India quoque balsamum deferri manifestum est, & in Americes regionibus non unius generis nasci, constat ex consultationibus Episcoporum ad Paulum III., & Pium IV. de quibus supra. Quamvis autem pauperrimi essent Apostoli, non tamen illi, qui vendebant agros, & possessiones &c. pretiumque earum ponebant ad pedes Apostolorum.

24. Ad Octavum dicendum, ritus Ecclesiasticos in confectione, & administratione Sacramentorum præcipue non ab Recentiorum Græcorum Euchologiis, & Ritualibus, sed ex antiquioribus Græcis, & Latinis Patribus, & usu universæ Ecclesiæ dignoscendos esse. Quamvis autem Morinus, qui præcedenti scribebat sæculo, probare conetur, hanc aromatum omnium confusam mixtionem esse Photiano Schismate antiquiorem, atque adeo in Græcia Orthodoxa olim receptam, non tamen reipsa probat. Nam Codex Barberinus, sive Euchologium, ut ipse opinatur, octingentos annos non superat; at octingenti anni ante sæculum 17., ultra sæculum nonum non procedit, quo tempore jam Græci ab Latinis divisi erant. Præterquam quod hujusmodi Criticorum de antiquitate MSS. judicia vanissima plerumque, & pene arbitraria sunt. Secundo id probat ex Dionysio in 4. de Eccl. Hierarch. ajente: Unguenti compositionem esse aggregationem quamdam materiarum suave olentium. Probat ex Clem. Rom. in 7. Constit. ajente: Qui odorem Evangelii Gentibus suavem præbuisti, præsta, ut hoc unguento delibuti, bonus odor simus Christi tui. Ex Cyrillo ajente: (*Cathech. Mystag.*) Divinum unguentum accipientes, bonum odorem Christi fieri. Sed de Dionysio, & Clemente jam supra dictum est sæpius, eorum quidem authoritate probari aliquid posse in illis, in quibus Patrum reliquorum, & Ecclesiæ congruit consuetudo, per sese autem ut singulares testes adduci non debere, quum libri iis adscripti, aut eorum non sint, aut certe interpolati, & corrupti sint, quod fere omnes Critici fatentur, & mirandum est, Morinum ignorasse. Præterea Clemens, quamvis Græce scripserit, non Græcus fuit, nec Græcis ritibus imbutus, neque ipse, nec Cyrillus aliquid aliud innuunt, nisi materiam Confirmationis esse unguentum odoriferum, de quo non est quæstio. Idem colligitur ex Severo in ritu Baptismi, ubi chrisma omni suavitatis odore repletum vocat. Suidas non de oleo Confirmatorio, aut nostro, sed de oleo loquitur, quo consecrabantur apud Judæos summi Sacerdotes, de quo Exod. 30., cui etiam Chrisma nostrum comparat Cyrillus, (*loc. citatis.*) sicut & supra Tertullianus, nec tamen ideo eandem confectionem fuisse

se inde probatur. Hæc ideo adduxi, ut pateat, quibusnam argumentis nitantur hi Recentiores, & nominatissimi nostrorum temporum Critici, quibus Scholastici sine ullo naso fuisse videntur. Nonum argumentum etiam multis confirmat Dallæus, & citatus Morinus inquiens: (*Tract. 2. posth. de Confir. cap.* 4.) In Confirmationis administratione numquam Græcos manuum impositionem adhibuisse.

25. Probat id primum Morinus ex Euchologio Græco edito Venetiis ann. 1638., atque item ex MS. Barberino ante octingentos, ait, annos scripto. Sed ab his antiquam Græcæ Ecclesiæ consuetudinem, & praxim probari non posse, nuper dictum est. Præterea ex MS. Barberino, si quid valet, contrarium evincitur, ut infra patebit. Probat item ex MS. Vaticano, & Cryptæ ferratæ. Sed hæc omnia & recentiora sunt, & nullius authoritatis. Probat secundo (*cap.* 5.) ex Simeone Thessalonicensi, cujus exstat in Vatic. Biblioth. MS. ex Nicolao Cabasila authore, si quis unquam fuit Romanis, & Latinis omnibus infensissimo. Hæc tamen ubi de antiquæ Græciæ praxi, & testimonio agitur, quid prosint, non video. Probat tertio (*cap.* 6.) ex silentio Dionysii, Clementis Alexandrini apud Euseb. Cyrilli Hierosol. & Damasceni. At nos non dubia MSS., non authores Photiano Schismate recentiores, non paucos, & mere silentes, sed editos, & in ore omnium, & manibus versatos authores, non recentiores, sed Photiano Schismate antiquiores, non denique mere silentes, sed diserte affirmantes producimus. Primo Firmilianum (*Epist.* 75. *ad S. Cyprian.*) Cypriano coævum, qui apud Ecclesiæ Prælatos baptizandi, & manum imponendi potestatem esse, ait, ubi manum imponendi a baptizandi, & ordinandi potestate distinguit. Secundo Dionisium Alexandrinum apud Eusebium lib. 7. c. 2. ibi: Quæstio non modica tunc temporis mota est, an debeant, qui ex quavis hæresi convertuntur, baptismate repurgari, quum priscus mos esset, ut sola oratione cum manuum impositione reciperentur. Neque dicas, Dionysium loqui de manuum impositione Reconciliatoria. Loquitur enim de manus impositione, per quam recipiebantur a quacumque hæresi venientes; sed inter conversos ab hæresi multi erant non adhuc confirmati, ut Novatiani, Macedoniani, Bonosiaci, quos confirmari necesse erat: ergo per manus impositionem non solum reconciliationem, sed veram etiam Confirmationem intellexit Dionysius, cui consonant Conc. Nicœnum canon. 8., ubi Bonosiacos jubet per manus impositionem, id est, per Confirmationem recipi. Consonat item Euchologium MS. Barberinum ritum describens, quibus revertentes ab hæresi Macedoniana, & Novatiana recipiebantur. Ait enim: Postea Sacerdos manum imponens super caput conversi inclinati hanc fundit orationem &c. Post hæc ungit, sicut Neophytos, ubi manus imposi-

tio-

tionem ab unctione distinguit, & utramque adhiberi jubet, sicut Neophytis, id est, sicut recens baptizatis, & nondum confirmatis. Bonosiaci enim, & hujusmodi Hæretici, qui Confirmationis Sacramentum contemnebant, ad Ecclesiam reversi confirmari jubebantur. Damus Theodoretum in cap. 19. Act. Apostolor. ubi ait, Baptizatos accipere Spiritum Sanctum per manum Sacerdotalem. Damus Gennadium ab Oecumenio citatum, hortantem baptizatos, ut semet subjiciant impositioni manuum ad participationem Spiritus. Damus Photium apud eundem Oecumenium, ubi confirmationem explicat per manuum impositionem. Damus Oecumenium ipsum in cap. 6. ad Hebræ. Vocans quidem principium baptisma, & manus impositionem, ac signaculum, quæ in ipso sunt, quia immediato, & continuo ritu, uti diximus, post baptismum conferebantur. Et infra exponens illud Apostoli: Impossibile est eos &c. Non dixit, ait, difficile, sed impossibile eos, qui gustaverunt donum cœleste, id est, remissionem peccatorum, quæ fit in baptismate... Et participes fuerunt Spiritus Sancti per manuum impositionem, sicut superius dixit. Damus Simeonem Thessalonicens. ab ipso Morino citatum. Nam in lib. de templ. diserte inquit: Per Manuum impositionem, & inunctionem unguenti gratiam cœlestem dari. Damus Nicetam Choniatum in 4. Thesaur. fidei (*cap.* 36.) ajentem: Manuum impositionem solam divini Spiritus accessum suggerere. Damus denique totam Græcorum nationem cum suo Principe Michaele Palæologo, & omnibus Episcopis in Ep. ad Gregor. X. scripta anno 1279., & recitata in Conc. II. Lugdunensi; ubi diserte habetur: Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per impositionem manuum Episcopi conferunt chrismando renatos. En tibi Morine pro quatuor silentibus decem, immo totam Græcam nationem contrarium protestantem. I nunc, & contemptis Scholæ Doctoribus, recentioribus istis Eruditis, & Criticis fidem præsta. Ad decimum respondetur, unctionem ad Sacramentum necessariam illam esse, quæ fit in fronte baptizati; illam autem, quæ in cæteris membris fieri solet a Græcis mere cæremonialem esse, & non ab Catholica Ecclesia ubique receptam, quod ex ipso Cyrilli testimonio (*Catech.* 3. *Mystagog.*) non obscure colligitur.

26. Opponit secundo Dallæus, Confirmationem Syris, & Æthiopibus, atque aliis Christianis Nationibus ignotam fuisse. Hoc tamen apertissimum est mendacium, quod ex Abyssinorum, Copthorum, Syrorum, Moldavorum, Ruthenorum historiis facile refellitur ab Natali Alexandro, (*disser.* 10. *sæc.* 11. *paragraf.* 22.) & aliis.

27. Opponit item ipsas Catholicorum inter se dissentiones circa institutionem, formam, materiam, ministrumque hujus Sacramenti; ex quo patet, nihil omnino certum statui posse. Respondetur, sum-

mam rei esse, ut Confirmationem verum, & proprium Sacramentum esse teneatur. Circa reliqua nonnulla sunt quidem postea ab Ecclesia definita, v. g. Sacramenta omnia fuisse a Christo instituta, materiam Sacramenti esse chrismationem, & manus impositionem. An autem chrismatio, & manus impositio duæ diversæ actiones, quarum illa huic successerit, an una, atque eadem, an balsamum sit de necessitate Sacramenti &c. ubi Ecclesia tacet, impune Catholici Doctores propriam opinionem sequuntur.

28. Major est autem adhuc difficultas circa confectionem Chrismatis. Nam dubitantibus Americanis Episcopis, utrum balsamum, quod ibi nascitur, sufficiens esset Confirmationis materia, Episcopus Tucumanensis Pium IV. consuluit, qui constit. data die 12. Augusti anni 1562., quæ habetur in Summario Claudii Clementis, & in Concilio Limensi in summario Privilegior., atque alibi, respondit esse quidem materiam sufficientem, idque antea responderat Paulus III., ut ibidem habetur, & postmodum Pius V. constit. data anno 1571. die 2. Aug. quæ habetur in Bull. Romano. ordine 180. Ex quo sic conficitur argumentum. Pius IV., & V. consulti respondent, balsamum illud esse sufficientem Confirmationis materiam, additque Pius IV. valere etiam Confirmationem, quamvis non sit verum balsamum: ergo potest Rom. Pontifex concedere, ut Confirmatio sine vero balsamo fiat; non posset autem id concedere, si confectio ex oleo, & balsamo esset de necessitate Sacramenti: ergo. Ita argumentatur Cyprianus Morellus, ut probet illam Confectionem solum esse de necessitate præcepti, in quo Romanus Pontif. dispensare potest, quod & alii ante ipsum Theologi opinati sunt. Hæc tamen difficultas doctrinam datam non evertit. Dicendum enim, balsamum non esse speciem infirmam, sive atomam, sicut homo, aut Elephas, sed speciem subalternam, sicut lapis, aut arbor, sub qua multæ aliæ species continentur, ut quæ gutta, quæ ζυλοσαλραμω, quæ καρποσαλσαμϑ, quæ σαλανομελασϑ, & alia sexcenta. Universim enim balsamum est succus odoriferus ex arboris cortice difisso distillans. Judicare autem de balsamorum diversitate non ad Rom. Pont. sed ad Physicos, & Chymicos spectat. His ergo Pontifex auditis, Americanum illud esse sufficientem confirmationis materiam, id est, inesse illi veri balsami naturam, atque affectiones, & effectus, ut ex Navarro, & Christiano Lupo testatur Bened. XIV. tom. oper. 10. Quod autem ait Pius IV. quamvis non sit verum balsamum, intelligendum est, quamvis non sit legitimum illud, & pretiosissimum, quod ex Syria, & Judæa, atque Oriente per Ægyptum ad Italiam devehitur. Non ergo dispensarunt Pontifices, ut confirmatio sine vero balsamo fiat, sed responderunt habendum illud pro naturali balsamo, quamvis specie distin-

cto ab Syriaco, & Indico. Hæc ex Suarezio. 3. p. disp. 33. sect. 1.

28. Opponitur item responsio Innoc. III. in c. 1. de Sacramentis non iterand. ubi quum proponeretur quæstio de eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo simplici fuerat inunctus, respondet Pontifex, nihil iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum; sed omisso illo, quod est de necessitate Sacramenti, denuo conferendum est Sacramentum, aut potius ex integro dandum: ergo quia balsamum non est de necessitate Sacramenti. Ita ex Navarro, & aliis argumentatur Morellus idem. Sed jam ab Suarezio, (*ibidem.*) Reiff. (*Titul.* 16. *tom.* 1. *n.* 20. 21. 22.) & aliis huic difficultati obviam itum est. Quum enim dictum est, nihil iterandum, sed supplendum, &c. intelligitur supplendum, id est, faciendum occulte, & privatim omne illud, quod defuit, maxime spectans ad valorem Sacramenti. Certum enim est, adhuc stante opinione contraria, saltem materiam dubiam esse, & dubium Sacramentum; at in re Sacramentaria materia dubia est, materia nulla, quando certæ materiæ copia datur: ergo unctio in omni casu repetenda esset, non autem cum solo balsamo, nam idem maneret dubium, quum nec in prima, nec in secunda unctione esset chrismatio Sacramentalis: ergo &c. Quod si tota materia repetenda esset, etiam forma, nam quid prodest unctio? tota ergo Sacramenti substantia repetenda, sive potius tunc primum conferenda. Nihil autem iterandum ex illis aliis cæremoniis, & ritibus, quæ in solenni confirmatione adhibentur.

30. Contra formam vero hujus Sacramenti in sexto Corollario traditam opponitur. Nam I. Apostoli forma deprecativa utebantur. Orantes enim imponebant eis manus. II. Græci hac sola utuntur formula: Signaculum doni Spiritus Sancti, ut ex eorum Euchologiis patet. III. In diversis sæculis, atque eodem etiam sæculo in diversis Ecclesiis diversæ fuerunt confirmandi formulæ, ut ex Alcuino, Amalario, Alexandro Halensi, & aliis gravissimis authoribus patet. Ad horum tamen primum dicitur, quum duplex sit, uti diximus, materia confirmationis, nimirum impositio manuum, & Chrismatio, duplex item ei correspondet forma, nimirum, deprecativa, qua manus imponitur, & indicativa, qua unctio conficitur, & utraque utitur Ecclesia. Ita Tournelius. (*de Confirm. q.* 1. *art.* 4.) Ad secundum dicitur: formulam illam Græcorum, & (siquæ sunt aliæ etiam usque ad decimum tertium sæculum usitatæ) eundem habere sensum. Satis est enim, ut unctio aliquomodo exprimatur, atque ad Sacramenti effectum determinetur per sensibilia verba Ministri, quum non omnium Sacramentorum materias, & formas Christus in specie atoma præscriptas reliquerit, ut bene adnotavit Gottius Cardinalis. Ex quo patet re-

responsio ad tertium. In Edicto Constantini seu vero, seu spurio; sed satis antiquo, quod etiam allegavit Morinus, (*Tract.* 2. *de Confirm.*) hæc formula habetur: Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris &c. Apud Ambros. in 2. de Sacram. cap. ultimo hæc ponitur forma: Deus, qui te regeneravit omnipotens... Ipse te ungat in vitam æternam. Habemus igitur ex quarto sæculo testimonia de aliqua verborum formula in administratione Chrismatis, quem ritum in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Quod si alii præcipue primorum sæculorum Patres formas Sacramentorum non litteris tradiderunt, id in causa fuit, quod ut Innoc. I. supra citatus inquit ad Decentium, multa sunt, quæ scribi fas non est; quum præsens fueris, interrogati tibi edicere poterimus. Unde Joannes in 2. Epist. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum. Spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui. Et similiter in tertia. Paulus item ad Corinthios. (1. *cap.* 11.) Cætera, inquit, quum venero, disponam. Unde ad Patres Silentii, atque Arcanorum disciplina manavit.

31. Contra septimum Corollarium multis contendit Morinus, (*Tract. cit. cap.* 12. & 13.) ut probet, non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos chrismandi facultatem Episcopis cum Presbyteris communem fuisse. Movetur primo ex canone Conc. Araus. supra citato, ubi Ministri, qui baptizandi facultatem habent, jubentur chrisma secum deferre; sed facultatem baptizandi habent omnes Presbyteri: ergo & facultatem chrismandi. Dices: Presbyteros, quum baptizant, Neophytos ungere in vertice, non in fronte per Confirmationem, juxta decretum Silvestri. Sed opponunt Silvestri decreta spuria esse, ac dubiæ authoritatis. Opponunt item Silvestri decretum in Galliis fuisse ignotum. Nam inter nos, inquiunt Arausicani PP. placuit semel in baptismate chrismari. Contra est tamen, quia Silvestrini decreti meminit Damasus in Pontificali, non Pseudo Damasus, ut Zacharias inquit, sed verus Damasus, ut in Prolegomeno 3. diximus. Tum ad idem decretum alludit Innocent. I. in ep. ad Decentium, & Conc. Vasense anno 442., id est, anno sequenti ab Arausicano celebratum. Dicunt igitur Patres: Inter nos placuit semel chrismari in baptismate; quia post baptismum omnes iterum chrismantur Chrismatione frontali. Sed ridet Morinus dicens: Quis audivit, in baptismate bis aliquem chrismari, si a baptismate separetur Confirmatio? Respondetur, verbum chrismare sæpe apud Patres, & antiquos Scriptores significare unctionem quamcumque, & non solam eam, quæ fit cum oleo balsamo admixto; ut Orsius Cardinalis adnotavit, cujus rei exemplum est apud Martenium. (*in* 1. *de ant. Eccl. or.* 12.) Nam ad unctionem baptizandi in pectore, & scapulis, quæ simplici oleo fit, hæc

hæc forma præscribitur: Ego te linio chrismate salutis in Christo JESU Domino nostro. Hac igitur unctione olei prætermissa, Presbyteri illius Diœcesis solum ungebant baptizandos chrismate in vertice, quod etiam nunc faciunt; sed hæc chrismatio non pertinet ad Sacramentum Confirmationis. Non igitur ex eo Concilio colligitur, sive cum Sirmondo, quem plures sequuntur, sive cum Aurelio, sive cum Gratiano legatur, de quo multum disputatum est apud Gallos, Presbyteros Confirmationem jure proprio administrare solitos.

32. Movetur secundo Morinus ex Conc. Regiensis c. 3. ubi Armentario conceditur Neophytos confirmare, & ante omnes alios Presbyteros celebrare; sed Armentarius erat simplex Presbyter: ergo &c. Negatur minor, & totum ruit. Armentarius enim consecratus erat Episcopus Ebroduriensis; sed quia contra canonum statuta a duobus solum Episcopis ordinatus fuerat, in eo Concilio depositus fuit, & ad Presbyterorum ordinem redactus Confirmandi in propria solum Ecclesia, si ei misericorditer daretur, facultate concessa. Movetur tertio ex can. 2. Conc. Arausicani ibi: Hæreticos in mortis discrimine, si Catholici esse desiderent, & desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari. Explico verba: consignari placet, consignatione Reconciliatoria, concedo; Confirmatoria, nego. Sed dices: Hæretici recipiebantur in Ecclesiam per Confirmationis Sacramentum. Distingue Hæreticos. Alii erant enim non confirmati, nec intra, nec extra Ecclesiam, & hi recipiebantur per Confirmationis Sacramentum, non per Presbyteros, sed per Episcopos collatum. Alii erant Hæretici extra Ecclesiam in hæresi confirmati, & hos Cyprianus, & alii ex antiquis, qui Anabaptismum sequebantur, reconfirmabant, sicut rebaptizabant, non ministerio Sacerdotum, sed per manus nostras, inquit Cyprianus. (*Epist. ad Pompej. & ad Steph.*) Denique erant alii Hæretici intra Ecclesiam confirmati, & hi in mortis articulo recipiebantur a Presbyteris, absente Episcopo, per chrismationem Reconciliatoriam, non Confirmatoriam, quæ repeti non potest, & de his intelligendus est Arausicani Concilii canon. Idemque sensus est Conc. Epannensis canon. 16., quod item allegat quarto loco Morinus. Movetur quinto ex Conc. Tolet. 1. can. 20. ibi. Statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum. Sed hunc Canonem, nisi de unctione verticali intelligas Morine, nimium aberrabis. Illa enim potestas conceditur Presbyteris, quæ negatur Diaconis. At Diaconis non negatur Chrismatio Sacramentalis. Quis enim unquam Diaconis eam facultatem competere somniavit. Idem ergo ibi de presbyteris dicitur, quod statuit Inn. I., quod Gregorius, quod Innoc. III., quod Alcuinus, ut, nimirum, Presbyteris baptizatos ungere chrismate liceat, non tamen fron-

frontem eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis. Dices vero, ad hoc non indiget Presbyter absentia Episcopi, aut ejus jussu, quum de jure ordinario id facere possit, ac debeat, quum baptizat. Respondeo, quamvis Presbyter jure suo utatur chrismando verticaliter, sicut baptizando; tamen sicut præsente Episcopo non decet ut baptizet, nisi jubente, aut permittente Episcopo, ita non decet ut chrismet sine Episcopi jussu, aut licentia. Illa enim unctio verticalis non fuit instituta, nisi ut supplementum quoddam Chrismationis Episcopalis, quæ proxime post baptismum conferebatur propter occasionem transitus mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi sine manuum impositione baptizati migrent, quod est apud Rupert. in 5. de div. off. (*cap.* 16.) & apud Hugonem Victorinum in 2. de Sacram. part. 2. c. 3. Sed opponit Morinus. Quid tantopere reformidant PP. unius cæremoniolæ omissionem, ut jubeant Archidiaconis illius semper meminisse, atque observantiam urgere? Respondetur I. quia cæremoniola illa est ab Ecclesia sanctissime, & prudentissime instituta, & sicut omnes aliæ, etiam minimæ, studiosissime observanda. II. quia est, uti diximus, quoddam supplementum Confirmationis, & aliquem spiritualem effectum operatur, ut de unctione simplicis olei ante baptismum dixit D. Thomas. (*q.* 71. *art.* 2.)

33. Movetur sexto Authoritate Innocent. I. in cit. ep. (*cap.* 6.) ibi: De baptizatis, qui postea a Dæmonio corripiuntur, quæsivit dilectio tua, an a Presbytero, vel Diacono possint, aut debeant consignari? Respondet: Ut id fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei a Presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur, nimirum, in casu necessitatis: ergo in casu necessitatis extremæ, concludit Morinus, potest Episcopus Presbytero, aut Diacono jubere, ut Confirmationis Sacramentum administret. Concludam & ego: Ergo potest Episcopus jubere, ut non solum Presbyter, sed etiam Diaconus, sed etiam quicumque Clericus Sacramentum Confirmationis administret, quod nec in Latina, nec in Græca Ecclesia unquam est auditum. Nego igitur consequentiam falsissimam, & ex pravo decreti intellectu deductam. Illa enim cæremonia non confirmatoria erat, sed sanativa, ut supra explicatum est. Habetur inter alia hujus rei argumentum in fœmina Energumena, cui Cæsarius Arelatensis capiti manum imponens, benedictionem dedit, & sanavit eam. Quod si unctionem, & consignationem requiris, lege ejusdem vitam a Mesiano scriptam centum, & 50. post Innocentium annis: Ante sanctum altare super caput ejus (puellæ Energumenæ) manus imponens, oleum benedixit, eamque perungens &c. Item: Dixit Cæsarius Eucherio: Descende, & signa eam. Descendit itaque, & signavit eam. Alia item, quum fuisset ab

alio

alio Episcopo signata, clamabat: Domine Cæsari, te rogo, tu me signa. Quis hic in ea manus impositione, unctione, consignatione Sacramentum confirmationis somniavit, nisi hic recentiorum temporum Criticus celeberrimus? Hæc debemus Franc. Anton. Zachariæ in suis ad Morini exercitationem Scholiis. Movetur septimo ex dictis Hieronymi ajentis: (*Epist.* 101. *ad Evangelium.*) Sola ordinatione Episcopos a Presbyteris differre. Ait item, (*Dialog.* 2. *adv. Lucif.*) quod ab solis Episcopis detur Spiritus Sanctus, id factum potius ad honorem Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Quasi diceret: Quamvis alii id facere possent, tamen honoris causa Episcopis reservatum est. Sed Hieronymi loca hæc ex aliis ejusdem emollire, atque sano sensu interpretari conati sunt Bellarminus, (*de Confirm. cap.* 12.) Natal. Alexand., (*dissert. cit.*) atque alii. Nobis dixisse sufficiat, Hieronymum, ut erat in dicendo acer, & vehemens, ut obluctaretur Romanis Diaconis, qui se Presbyteris pares, aut superiores esse jactabant, quandoque ita Presbyterorum dignitatem, & ministerium extollere, ut eos Episcopis æquales facere videatur, & Aerianis favere, de quo supra, (*lib.* 12. *prop.* 13.) quum de Episcoporum dignitate dictum est. Innumera alia sunt in tota illa dissertatione Critici laudatissimi aut perperam asserta, aut male ex Patrum, & Conciliorum verbis deducta, aut sibi non cohærentia. Nonnulla adnotavit Zacharias. Crimine ab uno disce omnes, & vide, utrum Recentiorum horum Scholæ contemptorum loquentia, Græcæ, & Latinæ eruditionis pompa, & copia veterum Scholasticorum simplicitati, claritati, judicio, & pietati præferri debeat, aut a quoquam cordato possit. Probare nititur, non esse ab Ecclesiastica antiqua disciplina alienum, ut Diaconi Confirmarent. Aperte enim, inquit, hoc Diaconis concedit Conc. Arausicanum can. 1. dicens: Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate progredi debere. Per ministros autem, qui baptizandi recipiunt officium, intelliguntur Diaconi cum Presbyteris: jubet igitur, non secus ac Presbyteros, sine chrismate nunquam progredi. En Morinianum syllogismum. Sed primum perperam interpretatur Canonem de Chrismatione Confirmatoria, seu frontali, quem intelligere debuit de verticali, seu Baptismum consequente, & ritu ipsius. Secundo minor est falsa. Aliud est enim aliquem actum exercere, aliud exercere ex officio, seu habere, aut recipere officium exercendi actus. Ministri igitur, qui baptizandi officium recipiunt, sunt soli Presbyteri, quibus animarum cura committitur, quibus dictum est: (1. *Petri cap.* 5.) Pascite, qui in vobis est, gregem. Unde nec simplices Presbyteri, nec Diaconi, aut ullus hominum præter Episcopum, aut ab eo destinati inferiores Pastores recipiunt baptizandi officium, quamvis in casu necessitatis, non solum Diaconi, sed

etiam

etiam quævis vetula exerceat baptizandi officium. Nam quomodo baptizandi recipiunt officium, qui id a nullo Superiori commissum habent? Quomodo recipiunt officium baptizandi, qui nunquam ex officio baptizare possunt, (licite) nisi Superiore absente? Quod si habere, aut recipere officium baptizandi idem esse putat nasutissimus Morinus Ecclesiasticæ antiquitatis investigator, ac baptizandi officium urgente necessitate exercere: ergo ex Canone Arausicano conficere debuit, nullum omnino hominem, calones etiam, & mimos, & obstetrices maxime, aut fœminas quascumque sine chrismate progredi debere. Quod si chrismatis delatio ideo necessaria est, ut detur Spiritus Sanctus per confirmationis Sacramentum: ergo nullus est hominum, cui hoc Sacramentum dare non competat. Verum de Morini, & sui similium Critica, & Logica multa occurrent dicenda, quum de Sacramento Pœnitentiæ agetur.

34. Opponitur item. Si de institutione divina esset, ut soli Apostoli, & eorum Successores, nimirum Episcopi, darent Spiritum Sanctum per Confirmationis Sacramentum, in hoc Ecclesia potestatem nullam haberet innovandi; sed Ecclesiæ, & Rom. Pontificis authoritate conceditur simplici Presbytero potestas confirmandi, ut Gregorius I. concessisse dicitur (*in cap. Pervenit* 95 *d. lib.* 3. *Epist.* 26.) Presbyteris Sardiniæ, & alii deinceps Pontifices Missionariis in conversione infidelium laborantibus, Franciscanis, Dominicanis, & Patribus Societatis in Brasiliana, novissime autem in Mexicano regno Bened. XIV. Ad hoc argumentum respondetur. Concilium Tridentinum, & Patres, ex quibus hanc divinæ institutionis traditionem habemus, id ita intellexisse, ut solum hanc potestatem haberent Episcopi jure ordinario, & proprio vi suæ consecrationis; hoc autem non tollit, quin, absente Episcopo, & urgente necessitate, Presbyteris concedi possit vel ab Episcopis, ut ex antiqua consuetudiue apud Græcos, vel ex Pontificis dispensatione apud Latinos. Id maxime confirmat authoritas Florentini Concilii, ubi dicitur; (*in Decret. Eugenii.*) Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum consecrato Confirmationis Sacramentum administrasse. Et hoc innuit etiam Tridentinum, dum ait: (*Sess.* 7. *can.* 3.) Solum Episcopum esse ordinarium Confirmationis Ministrum, id est, jure ordinario, & proprio solum Episcopum posse hoc Sacramentum conferre. Alludit autem Concilium utrumque ad factum Gregorii Magni, qui in hac re cum Presbyteris Sardiniæ dicitur dispensasse. Tamen factum illud Gregorii diversimode interpretati sunt antiqui Scholastici. Nam Durandus, & Paludan. eum, ut privatum hominem errasse, contendunt. Scotus, & Bonaventura non id concessisse Ponti-

ficem,

ficem, sed ratione scandali permisisse putant. Alii tenent, Gregorii tempore in Sardinia eosdem fuisse Episcopos, ac Presbyteros, sicut dicitur de sæculis Ecclesiæ primoribus, vel Gregorium Presbyteros fecisse Episcopos, quarum utraque responsio, quæ in idem recidit, habetur ex Scoto. Denique alii tuentur, unctionem in fronte ab Gregorio concessam non fuisse Sacramentalem, sed illam ipsam verticalem, quam instituit Silvester, & quam Presbyteri Sardiniæ faciebant ex usu antiquo in fronte baptizatorum. Hanc opinionem novissime tenet Orsius Cardinalis, omnes has tamen recensuit, dudumque impugnavit Suarezius. (*disp.* 36. *sect.* 2.) Sed quidquid de his sit, sequentium Pontificum facta in dubium revocari non possunt, atque adeo tenendum, Presbyteros jure delegato, aut Privilegio posse absente, sed consentiente Episcopo, & chrismate ab eodem Episcopo confecto confirmare baptizatos. Reliqua, quæ contra communem Catholicorum doctrinam hic traditam objiciuntur, & per sese infirma sunt, & ex dictis facile dissipantur.

35. Superest ut, de ritibus Confirmationis nonnihil dicamus. Et quidem de præparatione, & confectione Chrismatis quatuor habentur. Primo enim per quasdam mysticas preces oleum, & balsamum consecrantur, quod non reprehendunt Recentiores Hæretici. Secundo Cruce signantur, sine quo nihil in Ecclesia sanctificatur, ut est apud Patres, maxime Chrysostomum, (*homil.* 55. *in Math. & in lib. quod Christus sit Deus.*) & Augustinum (*tract.* 118. *in Joann. & serm.* 181. *de temp. cap.* 3. *Joann.* 20.) alibi citatos. Tertio halat Episcopus aliquoties super ampullam Chrismatis, quod quidem irrident Kemnitius, (*p.* 285.) & Calvinus. (4. *inst. cap.* 19. §. 10.) Sed hujus cæremoniæ exemplum habemus in Christo, qui Spiritus Sancti in Apostolos descensum oris sui anhelitu significat. Nec incantatio Magica dici potest, quum spiritualis effectus non a maligno spiritu, nec a vacuis ritibus, sed a Deo omnipotente speratur, ab eoque per orationem deposcitur. Quarto Chrisma ab Episcopo consecratum salutatur illis verbis ter repetitis: Ave Sanctum Chrisma, ad singulas salutationes genuflexo. Irrident hanc cæremoniam, & quasi Idololatricam calumniantur Calvinus, (*cap. cit.* §. 21.) Kemnitius, (*pag.* 289.) Tilmannus. (*lib. de error. PP. tit.* 22. *numer.* 26.) Immodicum enim videtur, ut rem inanimem salutemus, & trina genuflexione adoremus, sicut Crucifixi ipsius Imaginem in solennissima cæremonia fer. 6. in Parasceve. Tamen ritus est antiquissimus. Nam ejus mentio habetur in Ordine Romano ante octavum sæculum scripto, & apud Amalarium, (*lib.* 1. *cap.* 12.) & Ritualistas veteres. Adoratio autem illa, non ad creaturam inanimem, sed ad ipsam Trinitatem refertur. Unctio enim & personam ungentem, id est, Patrem, & unctam, id est,

filium; & id quo unctus est, nimirum, Spiritum Sanctum, ut ex Basilio, atque Ambrosio supra dictum est. Quid est autem quod rem inanimem, sed nobis saluberrimam, salutare, & exosculari nos rideant? Nimirum profani homines quod in profanis authoribus laudant, & mirantur, in Christianis ritibus reprehendunt. Æneas apud Virgilium (*in 7. Æneidos.*) Italiam a se primum conspectam salutat; itemque in Georgicis. Pulchre bene, recte. Jacobus Sannazarus Josephum Betleemicas turres salutantem inducit. Euge, Sophos. Salutat Ecclesia sanctum Chrisma. Nefas. An non Andreas Crucem sibi paratam salutavit? Non Paula sanctum Domini præsepe? (*Hieronim. in epist. de ejus obitu.*) Apage genus hominum insipiens, & inficetum.

36. Porro in ipso actu Confirmationis prima cæremonia est, ut Susceptor aliquis adsit, qui confirmandum offerat Episcopo. Hoc enim Sacramentum (*qu.* 731. *art.* 10.) confertur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem homo indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ, unde & Patres carnis habuimus eruditores, & reverebamur eos, ut est apud Paulum; (*ad Hebr.* 12.) ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis, sicut in antiquis historiis legitur missos ad carceres Diaconos, qui Martyres inviserent, & eorum desideria gubernarent, confortarentque, atque instruerent. Et in bellis constituuntur duces, & centuriones, per quos tyrones gubernentur, doceantur, exerceantur. Ille igitur, qui hoc Sacramentum accipit, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Et quia etiam per hoc Sacramentum tribuitur perfectio spiritualis ætatis, ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc in spiritualibus imbecillis, & puer. Alludit autem hic D. Thomas ad veterem ritum, quo susceptor Confirmandum dextera tenebat, atque offerebat Episcopo, & Confirmandus, si adultus pedem suum ponebat super pedem susceptoris, quasi ei innitens, de quo mentio est in Sacramento Sancti Gregor. & in Ordin. Rom. Ex hoc autem ritu dimanavit, ut fœminas, modestiæ causa, non nisi fœminæ, & viros non nisi viri confirmandos teneant. Susceptor autem in Confirmatione confirmatus esse debet, resultatque inter illum, & eum, quem tenet, patremque & matrem Confirmandi spiritualis cognatio, sicut in baptismo. Baptismi autem, & Confirmationis idem susceptor esse non potest. Secundo confirmatio de jure ordinario non nisi in Ecclesia fieri debet, iisdemque temporibus ad solenne Baptismum destinatis, nimirum Pascha, & Pentecoste. Extra urbem autem Episcopalem tunc fit, quando Episcopi copia adest. Tertio antiquitus Confirmatio non fiebat nisi Confirmans, &

Con-

Confirmati adulti jejuni essent, sed hic ritus jam obsolevit. Quarto separatim viri primum, deinde fœminæ chrismantur. Quinto preces variæ cum manuum impositione super confirmandos dicuntur juxta ritum Apostolicum. Sexto post unctionem, de qua supra, Confirmato pacem dat Episcopus. Septimo in facie leviter cædit, ut meminerit, se tanquam fortem atletham paratum esse oportere ad ignominiam, atque adversa omnia invicto animo pro Christi nomine ferenda. Vittæ autem, & reliqua necessitatis, & majoris reverentiæ, non significationis causa inducta sunt.

SCHOLION.

37. Deinceps agendum est de Eucharistia. Est autem Eucharistia simul Sacrificium, ut in Lib. superiori p. 2. probatum est, & Sacramentum, ut infra probabitur. Sacrificium est, dum conficitur; Sacramentum, dum a fidelibus sumitur. Cum igitur de ejus institutione, materia, forma actum fuerit, solum superest, ut & Sacramentum esse probemus, & de ejus, quatenus Sacramentum est, effectu, & subjecto disseramus.

Canones Concilii Tridentini de Confirmatione.

I. Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua Adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

II. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismate virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

III. Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

PROPOSITIO VI.

Eucharistia novæ Legis Sacramentum est.

1. SAcramentum enim est signum sensibile ex Christi institutione sanctitatem significans, & conferens, ut in 1. hujus dictum est; sed in Eucharistia ex Christi institutione per sensibilem sumptionem specierum sensibilium panis, & vini confertur sumentibus spiritualis refectio, atque alimonia: Eucharistia igitur verum est, & proprium Sacramentum. Minor satis probata manet ex dictis in superiori libro. Inde enim habetur, & signorum sensibilium institutio, & spiritualis alimoniæ promissio, dicente Domino: (*Joann. 6.*) Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: (*Math. 26.*) Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur... hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur &c. Convenienter autem per comestionem, & potum effectus hujus Sacramenti designatur. Sacramenta enim Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, nam corporalia Spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, per quod ad perfectionem vitæ perducitur, ita etiam requiritur alimentum, per quod homo in vita conservetur. Unde sicut ad vitam spiritualem oportuit dari baptismum, qui est spiritualis generatio, & Confirmationem, quæ est spirituale augmentum, ita oportuit esse Sacramentum aliquod, per quod homo spiritualiter alatur, & nutriatur, & hoc est Eucharistia, quæ definiri potest: Sacramentum sub speciebus panis, & vini a Christo institutum ad spiritualem fidelium alimoniam. Sed dices. In quocumque vivente alimentum simul est materia nutritionis, & augmentationis: ergo ad augmentum, & nutritionem spiritualem non sunt necessaria duo Sacramenta, sed sufficit Confirmatio, per quam datur spirituale augmentum, ut dictum est. (*in præc.*) Dicendum vero, duplicem esse humani corporis perfectionem, primam, ad quam perducitur corpus per ipsam virtutem plasticam semini intrinsecam, per quam perducitur ad illud augmentum, in quo omnia vitalia opera exercere possit, & talis perfectio in spiritualibus habetur per Confirmationem. Alia est autem perfectio, & augmentum, quod homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci, quod per nutritionem in suam substantiam convertit, & talis perfectio in spiritualibus est effectus Eucharistiæ. Esse autem has virtutes duas, etiam in naturalibus distinctas, patet, nam neque primum augmentum est effectus nutritionis, neque nu-

tri-

tritio est causa augmentationis nisi usque ad certam ætatem, in qua jam homo per alimentum conservatur in vita, sed non jam augetur. Neque istæ corporalium rerum cum spiritualibus similitudines in omnibus sunt exquirendæ, aut ad perfectissimam similitudinem revocandæ.

2. Est autem inter Eucharistiam, & alia Sacramenta habentia materiam sensibilem differentia maxima. Omne enim Sacramentum tale dicitur ex eo, quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, nimirum, absolute, & in ordine ad aliud. Eucharistia quidem continet aliquid sacrum absolute, nimirum Corpus, & Sanguinem Christi, quod in super. lib. (*prop.* 3.) statutum est: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, nimirum, virtutem ad sanctificandum, & eadem ratio est de Chrismate, & similibus. Et ideo Sacramentum Eucharistiæ perficitur in consecratione materiæ: alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Et ex hoc etiam sequitur alia differentia. Nam in Eucharistia id, quod est res, & Sacramentum, est in ipsa materia; id vero, quod est res tantum, est in suscipiente, nimirum, gratia, quæ confertur. In baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet, caracter, qui est res, & Sacramentum, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum, & eadem est ratio de aliis Sacramentis.

3. Quibus in verbis (3. *p. q.* 73. *art.* 1. *ad* 3.) D. Thomas Buceri, & Lutheri hæresim jugulat. Bucerus enim, ut Lutherum, & Zuinglium inter se de præsentia reali Christi in Eucharistia dissidentes componeret, medium quoddam excogitavit, ut diceret: Corpus, & Sanguinem Christi tamdiu esse in Eucharistia, quamdiu durant actiones consecrandi, frangendi, sumendi, ac distribuendi non solum in Ecclesia præsentibus, sed etiam absentibus ægrotis, aut in carceribus detentis, aut fidei, aut alicujus delicti civilis, aut criminalis, dummodo illius pœnituerint, causa, quod ex tota retro Ecclesiastica historia, & præsenti Ecclesiæ praxi observatum semper fuisse, manifestum est. At si quartam horæ partem, si dimidiam, si horam integram, aut duas Corpus Christi sub speciebus panis, & vini permanere potest, cur non diem integrum, cur non biduum, cur non triduum in pixide asservari poterit, ut repentino mortis periculo occupatis subveniri possit? Cur non exponi in templis, cur non circumgestari quandoque, & populo adorandum proponi potest? Christus enim in Eucharistia est modo impassibili, tamdiuque permanere semel consecratum necesse est, quamdiu species consecratæ remanent incorruptæ. Porro Eucharistia non in alium usum, quam manducationis unquam asservatur inter Catholicos. Interim tamen, dum ab a-

li-

liquo manducante consumitur, quid prohibet a populo adorari corpus Domini sub speciebus sensibilibus panis, & vini, quamdiu illæ species incorruptæ permanserint.

4. Ritus autem servandæ Eucharistiæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis originem ducit, ut exemplis sex primorum sæculorum probat invictissime Bellarminus, (4. *de Eucharist. cap.* 4.) & Calvinus fatetur in 4. Institution. (*c.* 17.) dicens: fateor, eos, qui sic faciunt, veteris Ecclesiæ habere exemplum. Asservabatur autem Eucharistia ad triplicem finem. Primo, ad communionem domesticam, qua quisque, maxime persequutionibus grassantibus, domi suæ servatam Eucharistiam sumebat. Meminit hujus domesticæ communionis Tertullianus in lib. 2. ad uxor. dicens: Nec sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur. Meminit Cyprianus, (*in tract. de Laps.*) & Basilius epist. 289. ad Cæsaream Patriciam, ubi & hujus rei causam ad Paganorum persequutiones refert. Meminit Gregorius Nazianzenus in orat. de laudibus sororis suæ Gorgoniæ, & Ambrosius in orat. de obitu fratris sui Satyri, (*l.* 14.*p.* 8.) cujus factum supra attulimus, quum de sacris vestibus ageremus. Morem hunc usque ad quartum sæculum viguisse, putat Baronius. (*ad ann. Christi* 57.*n.* 152.) Sed & in sexto, septimo, & nono, & undecimo sæculo ejus nonnulla exstant exempla, & urgente persequutione fidelium, aut alia gravissima ex causa, id ipsum concedi posse a Prælatis Ecclesiæ patet ex privilegio concesso Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ superiori sæculo, & ex iis, quæ narrantur de Christianis Japoniæ, & Chinæ, qui quum a Taicosama, & aliis Paganis Principibus impugnarentur, Eucharistiam secum domis habere, & per semet data occasione sumere & poterant, & debebant. Quin & Romanos Pontifices aliquos Eucharistiam semper secum detulisse, memoriæ proditum est ab Historicis multis. Sine gravissima autem causa, neque nunc, neque olim id licuisse dicendum, & in hoc sensu id prohibuerunt Cæsaraugustanum Concilium, (*ann.* 381. *cap.* 3.) Toletanum I., (*ann.* 400. *cap.* 14.) ac deinceps alia.

5. Secundo asservabatur Eucharistia, ut ad absentes, maximæ ægrotantes, deferretur, cujus rei antiquissimus, & locupletissimus testis est Justinus Martyr in Apol. 2., ubi asserit, ex cœtibus Christianorum Eucharistiam ad absentes per Diaconos deferri. Exstat quoque apud Eusebium in 6. Histor. Eccl. (*cap.* 36.) exemplum de Serapione sene, ad quem per puerum Eucharistia missa est, ut ori ejus infunderet. Exstat item de hac re Canon. 13. Conc. Nicœni de Eucharistia conferenda Pœnitentibus in mortis articulo constitutis. Ambrosius morti proximus Eucharistiam ad se delatam ab Honorato Vercellensi Episcopo accepit. (*Paulinus in vit. S. Ambros.*)

6. De

6. De aliis absentibus etiam non infirmis, quod erat tertium, multa itidem sunt in Ecclesiastica historia documenta. Nam & Episcopi sese inter in signum pacis, & communionis Eucharistiam mittebant, ut ad Victorem scribit Irenæus M. apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 5. cap. 24., & ibi observat, confirmatque Valesius. Lucianus item Martyr in terra jacens supra proprium pectus obtulit sacrificium, de quo & ipse particeps fuit, & ad alios misit, ut ex Metaphraste, & Surio habet Baronius ad annum Christi 311. (*n.* 8.) Deinde ne Sacramenta cum aliquo irreverentiæ periculo longius deferrentur, decreto Conc. Laodiceni (*cap.* 14.) statutum fuit: Ne sancta, instar benedictionum (id est Eulogiarum) in festo Paschæ ad alias Parochias transmitterentur. In Italiam autem usque ad Innocent. I. tempora mos viguit, ut Parochis in diebus, quibus Episcopo celebranti adesse non poterant, mitteretur Eucharistia de consecratu Episcopi ipsius, quod dicebatur Fermentum, Parochis, inquam, non Ruralibus, sed solum Urbanis, quia, ut ibidem (*Epist. ad Decent. data* 415.) ait Pontifex, non longe portanda sunt Sacramenta, de quo Innocentii decreto supra diximus lib. 14. prop. 6.

7. Denique non ex necessitate, non ex privilegio, sed jure communi Ecclesia Græca in toto fere tempore Quadragesimæ, paucis hebdomadæ diebus exceptis, non quotidie Eucharistiam consecrat, sed Missam cum Præsanctificatis celebrat, & hoc ipsum observat ab antiquissimis temporibus tota Ecclesia Latina fer. 6. in Parasceve: ergo ex totius Ecclesiæ consensu, & praxi potest panis, & vinum consecratum, id est, Corpus Domini, & Sanguis sub speciebus sensibilibus posita (hæc enim Præsanctificata dicuntur) in diem sequentem, vel in biduum, triduum, quatriduum asservari, quod erat probandum.

7. Contra hanc tamen planissimam, & patentissimam veritatem nonnulla opponunt Lutherani. Et I. Clem. Rom. ajentem: (*cp.* 2. *de consecrat. dist.* 2.) Tanta holocausta offerantur, quanta populo sufficiant. Quod si remanserint, non serventur in crastinum, sed cum timore, ac tremore Clericorum diligentia consumantur. Idem de Eccl. Hierosolymitana testatur Hesychius. (2. *in Levit.*) De Constantinopolitana Nicephorus, (*lib.* 7. *cap.* 25.) qui & sibi puero Reliquias Eucharistiæ datas fuisse, scribit, atque aliis pueris consumendas. De Hispaniarum Ecclesia idem constat ex Synodo Cæsaraug. Toletan. I., (*locis cit.*) & XVI. (*ann.* 693. *cap.* 6.) De Gallicana ex Concil. Matiscon 2., (*ann.* 585. *Can.* 6.) ubi Eucharistiæ reliquiæ pueris dari jubentur. De Æthiopica similia scribit Zagazabus apud Goezium. (*dissert. de patria relig. & mor.*) Confirmant id ipsum alii ex Patribus Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Beda apud Bellarminum, (4. *de Euch. cap.* 5.) qui

qui & singula discutit, ac solide diluit, atque ex eo Tournelius. (*qu.* 4. *art.* 2. *de Euchar.*) Quorum responsionis hæc summa est: ea Conciliorum, & Patrum dicta intelligenda ad sensum, & consuetudinem præsentis Ecclesiæ. Nam & nunc in quotidianis Missis, & Ecclesiis, ubi Eucharistia non est ad usum infirmorum servanda, (nunc enim ad ægrotantes solum, aut adire Ecclesiam impeditos Eucharistia defertur, & ad hos quidem, ut in carceribus reclusos, semel in anno) tantum consecratur, quantum satis est ad Sacerdotis, & præsentis populi communionem. Quæ supersunt autem Sacramenti, reliquiæ, juxta diversos Ecclesiarum usus, aut in ablutione sumuntur, aut Clericorum diligentia consumuntur, aut cremantur, aut dantur pueris &c. Hoc tamen, quod communiter fit in singulis sacrificiis, & fieri jubetur, sicut antiquitus, non prohibet, quin ab aliquibus Sacerdotibus curam animarum habentibus, & in aliquibus sacrificiis aliquid ultra consecretur ad subveniendum infirmis in casu necessitatis. Patres vero adducti nil aliud intendunt, nisi quod omnes Catholici dicimus, & fatemur, Eucharistiam non fuisse a Christo primario institutam, ut recludatur, ut in pyxide asservetur, ut in crastinum differatur, sed ut fideles ejus per realem manducationem participes Christo incorporentur, & uberrimos fructus ex corporis ejus sumptione participent. Quum autem de hac Christi donatione participes esse non possint, qui lecto affixi sunt, aut aliter ad sacras ædes venire prohibiti, nisi ad eos Eucharistia deferatur; non possit autem in subitis casibus deferri, nisi præsanctificata in sacrario asserventur, inde consequenter non est contra Christi institutionem, immo eidem conforme, ut corpus Domini in pixide asservetur opportuno tempore distribuendum, & manducandum. Dum vero asservatur, quid est, quod non ad alios fines fidelium pietas, ac devotio fidelium uti possit? Sic Satyrus ad vitandum naufragium Eucharistiam collo circumligavit. (*Ambros. in orat. funeb. frat.*) Sic Gregorii Nazianzeni soror ad sanitatem recuperandam. (*Orat.* 11.) Sic apud Augustinum (22. *de Civ. cap.* 8.) quidam ipsius Presbyter ad liberandam domum a Dæmonum vexatione, (3. *op. imf. cont. Julian. cap.* 12.) ad visum cæco restituendum. Nam si reliquias Sanctorum, ut (*lib.* 18. *prop.* 9.) planum fiet, & aquam benedictam ad hujusmodi fines adhibere possumus, quanto magis confidentius, & efficacius ipsum Domini corpus, & sanguinem? Nunquam ergo aut vetus, aut nova Ecclesia, si ita loqui fas est, Corpus Christi confecit, aut asservavit confectum, nisi ut manducetur. Dum tamen manducatur, & in corruptis speciebus perseverat, tam vetus, quam præsens Ecclesia Sacramenti efficacia, & miraculosa virtute ad hominum utilitatem usa est, atque hodiedum utitur.

8. Opponunt item. Nam baptismus, & Sacramenta cætera in solo usu consistunt. Aqua enim baptismi non est Sacramentum, nisi dum quis ea abluitur, & chrisma, aut oleum, dum quis ungitur: ergo neque Eucharistia Sacramentum est, nisi dum manducatur, aut bibitur. Sed hoc argumentum in verbis supra adductis jam præoccupavit D. Thomas tam ex naturæ, quam ex fidei principiis ratiocinator diligentissimus, atque opportunissimus. Dixit enim, Eucharistiæ Sacramentum perfici per ipsammet consecrationem materiæ; alia autem Sacramenta per applicationem materiæ ad hominem sanctificandum. Unde Eucharistiæ Sacramentum per semet quid sanctum, & sacrum est, tanquam in se continens fontem ipsum sanctitatis, & gratiæ, nimirum, Christum ipsum, qui factus est nobis (1. *ad Cor. cap.* 1.) justitia, & sanctificatio, & Redemptio. Reliqua autem Sacramenta sancta, & sacra dicuntur in ordine ad aliud, nimirum, quia virtutem habent ad hominem sanctificandum. Unde materiæ aliorum Sacramentorum virtus advenit ab extrinseco; virtus autem Sacramenti Eucharistiæ est intrinseca ipsi Sacramento, id est, Christo Domino in Eucharistia vere præsenti. Illud enim excellens, & singulare in Eucharistia reperitur, ait Tridentinum, (*Sess.* 13. *cap.* 3.) quod reliqua Sacramenta tunc primum, & solum sanctificandi vim habent, quum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis author ante omnem usum est. Nondum enim Apostoli Eucharistiam de manu Domini susceperant, quum vere ipse affirmavit, (*Math.* 26. *Marc.* 14.) corpus suum esse, quod præbebat.

COROLLARIUM I.

9. Quod si Sacramentum potest interim, dum ad infirmos defertur, in Ecclesia asservari; asservatum autem propter realem Christi in ipso præsentiam adorari, & coli a fidelibus pie, & salubriter potest, ac debet, pie igitur, ac salubriter ab Urbano IV. institutum est annuale festum in istius Sacramenti, id est, peculiarem Eucharisticæ institutionis memoriam, & Corporis Dominici, & sanguinis cultum. Nam cur aliarum Christi actionum, ut Ascensionis, Transfigurationis &c. festæ dies, ac memoria fieri debet ex praxi Ecclesiæ, non autem saluberrimæ hujus institutionis, in qua quod in Cœna ultima Christus gessit, non solum grata memoria recolitur, sicut alia Domini gesta, sed etiam saluberrima imitatione reperitur, in qua Christus sumitur, Passionis ejus memoria recolitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus nobis datur? Neque dicas hujus Institutionis memoriam fieri fer. 5. in Cœna Domini. Ille enim dies festus non est, nec ibi Ecclesia circa passionem Domini recolendam, & repræsentandam oc-

cupata, Eucharistiam commemorat, nisi quatenus ultimam Cœnam recolit, a qua passio Domini initium sumpsit, ut bene adnotavit in lectionibus ejus diei D. Thomas.

COROLLARIUM II.

10. Pie, religiose, atque utiliter in ea solennitate, & aliis, ex gravibus causis Episcoporum judicio commissis, Eucharistia visibiliter adoranda exponitur. Adorari enim Eucharistiam posse, ac debere, supra statutum est. Visibiliter autem ad adorationem exponi, patet ex ritu Ecclesiæ. Nam statim consecratas species Sacerdos elevat, ut Christum ibi præsentem populus adoret, non solum eo momento, quo elevantur, sed toto eo tempore, quo in altari Christus est præsens a consecratione usque ad consumptionem, quod tempus longius est, aut brevius juxta devotionem celebrantis. Quod si quotidie, sibi succedentibus sacrificiis, per longum, sed non continuum intervallum temporis sacra hostia adoratur, cur ex gravi aliqua causa non poterit Prælatorum judicio per continuum multarum horarum spatium adoranda proponi, præsertim quum Expositiones hujusmodi ea fiunt dignitate, decore, ac pompa, quæ Christi præsentiam deceat, & populi devotionem, pietatem, atque amorem in Christum excitet. Certum est communia, ac trita vilescere, idque rigidiores homines movere solet, ut Expositiones, aut longas, aut crebriores nolle videantur. At nusquam longiores, aut crebriores, quam in Italia, ubi in præcipuis Urbibus, succedentibus sibi Ecclesiis, quotidie Sacramentum per multas horas exponitur, ubi quandoque simul, eademque hora in multis Ecclesiis cum ipsomet Sacramento datur populis certatim confluentibus benedictio; & tamen nusquam concursus gentium ad sacras has functiones numerosior, ac solicitior. Nusquam fides, ac devotio erga Eucharistiam ardentior Bononiæ, quam honoris causa hic nomino, quotannis in Majori hebdomada a fer. 2. ad 4. per quadraginta non interruptas horas Sacramentum exponitur ea magnificentia, ac decore, ea reverentia, silentioque turmatim confluentis populi, atque eo concurrentium ardore, ut vix credam Theatrum ullum esse, aut profanum etiam centenarium spectaculum, majori Bononiensis populi affluentia celebratum. Quod autem de hac Urbe, totius status Ecclesiastici secundum Romam maxima, idem de aliis multis in similibus solennibus expositionibus quosvis oculatos testes dicturos existimo. Nimirum, adsit modo fides, divina, & sacra crebro usu vilescere nunquam possunt.

CO-

COROLLARIUM III.

11. Pie etiam, ac salubriter institutum est, ut Venerabile Sacramentum in die festo Corporis Domini solenni supplicatione extra ædes sacras per urbem circumgestetur, & similiter in aliis temporibus ex gravi causa de jussu, aut licentia Episcopi. Scimus hujus ritus vestigium vix ullum reperiri in Conciliis, Patribus, & Ecclesiasticis Historicis ante decimum quartum sæculum, tamen pie, & Religiose admodum hunc morem in Ecclesiam Dei inductum declarat Tridentina Synodus sess. 13. cap. 5. Dixi sæculo decimo quarto, nam Concilium Senonense anno 1420. celebratum sic loquitur: Circa processionem solennem, quæ in dicta fer. 5. fit a Clero, & populo in delatione dicti Sacramenti, quum quodammodo divina inspiratione inducta videatur, nihil quoad præsens injungimus, devotioni Cleri, & populi relinquentes. Similia habentur in quodam Actu Capitulari Ecclesiæ Tornacens. ann. 1425., & in alia Eccles. Carnotensis ann. 1430. Quum igitur hæc monumenta tanquam de re jam antea inducta loquantur ex divina quodammodo inspiratione, signum est, antiquiorem illum usum esse, & ad finem decimi tertii sæculi referendum. Id confirmatur ex eo, quod ex Donato Bossio referunt Spencerus, & Genebrardus, anno 1404. primum Papiæ Sacramentum circumgestari cœptum. Martinus autem V. in Bulla incip. Ineffabile an. 1420. Indulgentias concedit iis, qui hujusmodi processionem comitantur. Igitur post institutum festum corporis Christi, quod accidit ann. 1264., & ante ann. 1404., id est, intra annos 160. ritus ille institutus est in singulari aliqua Galliarum, ut videtur, Ecclesia, ex qua ad alias pertransiit, ac deinde in communem Ecclesiæ morem receptus, sicut in Rogationum diebus, & in festo ipso Corporis Christi accidit, quod in Ecclesia Sancti Martini in urbe Leodiensi institutum prius esse, dicitur. Ubicumque autem, & quocumque tempore inductus ille mos fuerit, eum universa amplexa est, atque adoptavit Ecclesia, quæ columna est, & firmamentum veritatis, pie, inquam, ac Religiose. Nam & in Ecclesia Græca, in qua præter Sabbatha, & Dominicum diem ex Præsanctificatis Eucharistia sumitur, in more positum fuerat, ut intra ipsum templum Præsanctificata ex altari exiguo ad Altare princeps solemni supplicatione, & pompa deferrentur, quod etiam fer. 6. in Parasceve Latina observat Ecclesia, nisi quod eo die in signum mœroris, & luctus mysteria cooperta deferuntur: ergo similiter extra templum poterunt extra Passionis tempus non operta deferri. Nam corpus ipso specierum velamine satis coopertum est, & a profanis ob-

obtutibus remotum. Quodnam igitur incommodum deprehendunt, qui ritum honestissimum, atque utilissimum improbant?

12. Difficultas tamen ex dictis oritur. Nam in aliis Sacramentis, quæ in usu, & applicatione consistunt, ratio signi, & signati plane percipitur; sive ejus, quod est res tantum, quod est Sacramentum tantum, & quod res est, & Sacramentum, uti cum Innoc. III. (*cap. cum Marthæ de Celebr. Miss.*) loquuntur Scholastici. Non enim in applicatione, aut usu ratio Sacramenti habetur, ut statutum est. Non in consecratione, nam hæc insensibilis est, & Christum quidem præsentem constituit, sed neque gratiam confert sumenti, neque perseverat in re consecrata, quum sit actio transiens. Non in speciebus panis, & vini, quia hæ neque adorari possunt, neque gratiam conferre. Non denique in Corpore Christi, quia Sacramentum esse debet signum sensibile; corpus autem Christi non est in Eucharistia modo sensibili, ut supra (*lib.* 14. *prop.* 3.) dictum est. Item: Eucharistia dum in pyxide asservatur, nulli confert gratiam, aut si aliquam confert adorantibus, non est per modum Sacramenti, sed ei similis, quam quis assequeretur, si Christum in terris præsentem, aut in imagine adoraret. Horum tamen omnium in promptu est declaratio, si dicatur, Sacramenti rationem in Eucharistia habere species consecratas. Sic enim & rationem signi habent, & gratiam conferunt sumentibus. Quia vero, etiam ante sumptionem authorem gratiæ Christum continent, etiam ante sumptionem signa sunt, & gratiæ causa, quod in aliis Sacramentis non invenitur, ut ex Tridentino dictum est, & optime explicuit Bellarminus (4. *de Euch. cap.* 6.) per sex propositiones clarissimas, quibus Sanctorum dicta multa explicantur, & Hæreticorum cavillis occurritur. I. Consecratio Eucharistiæ Sacramentum dici potest latissime, quatenus est aliquomodo signum rei sacræ. II. Sumptio Eucharistiæ Sacramentum dici potest magis proprie, quatenus est signum rei sacræ, & sanctificantis. III. Solæ species panis, & vini non habent rationem Sacramenti. IV. Corpus Domini, & Sanguis sine ordine ad species non habent rationem Sacramenti. V. Ratio Sacramenti magis proprie convenit speciebus ut continentibus corpus, quam corpori ut contento sub speciebus. Propterea diximus, Sacramentum esse species Consecratas. VI. Ratio Hostiæ, Victimæ, Pignoris, Spiritualis Cibi, & similium magis proprie conveniunt corpori contento, quam speciebus continentibus.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Necessarius Eucharistiæ consecrandæ, & ordinarius dispensandæ Minister est solus Presbyter.

1. PRima pars patet ex supra dictis. Eucharistiæ enim Sacramentum non conficitur, nisi intra Sacrificium; sed sacrificare non est nisi Presbyterorum, aut Sacerdotum: ergo solius est Sacerdotis consecrare Eucharistiam. Confirmatur. Hoc Sacramentum non conficitur, nisi in persona Christi: quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet, ut id faciat per potestatem ab illo concessam, cujus vicem gerit. Sicut autem baptizatis conceditur potestas percipiendi Sacramentum Eucharistiæ, ita per Ordinem Sacerdotalem conceditur potestas illud conficiendi in persona Christi, per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, nimirum Apostolorum, quibus sibi concœnantibus ea verba Christus dixit. (*Luc.* 22.) Proprium igitur Sacerdotum est Christi corpus conficere. Hinc Justinus ait, (*Apol.* 2.) sacrificium offerri per eum, qui Christianis præest, & Tertullianus (*lib. de Corona. cap.* 3.) Eucharistiam, inquit, non nisi de manu Præsidentium sumimus. Præerant autem Ecclesiis non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri, de quibus dictum est: (*ad Tit.* 1.) ut constituas per singulas Ecclesias Presbyteros. Et iterum: (1. *Timoth.* 5.) Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt. Idem habetur ex Cypriano ajente: (*ep. ad Jubajan.*) Hæreticos (quod tamen erronee putabat) consecrare non posse, quia nec Altare habent, nec Sacerdotes. Epiphanius in Monasterio S. Hieronymi Presbyterum ordinavit, (*ep. ad Joan. Hieros.*) ne fratres ibi degentes sacris privarentur mysteriis, quum non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent. Hieronymus (*Epist.* 101. *ad Evang.*) Diaconorum superbiam arguit, quod supra eos se tumidi offerrent, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur. Simile quid innuit Augustinus, (*Epist.* 228. *ad Honoratum.*) & posteriores Patres. Adde Concilia, quæ alios quam Presbyteros Eucharistiam conficere sæpe prohibuerunt, uti Alexandrinum apud Athanas. (*Apol.* 2.) Nicænum c. 18. Arelatens. I., Ancyranum, Laodicenum, de quibus infra, Lateranens. sub Innoc. III., Florentinum in Decr. unionis, ac Tridentinum sess. 22. can. 1.

2. Diximus secundo *Ordinarium administrandæ Eucharistiæ Ministrum esse solum Presbyterum.* Intelligendum est hoc autem secundum præsentem Ecclesiæ praxim. Ordinarius enim alicujus Sacramenti Minister is est, cui non solum in casu necessitatis, nec dependenter ab alte-

alterius delegatione, præcepto, aut licentia jure suo, atque ex officio competit illius Sacramenti dispensatio; sed juxta præsentem Ecclesiæ constitutionem, atque usum solus Presbyter jure proprio, atque ex officio potest Eucharistiam dispensare: solus ergo Presbyter est ordinarius dispensator Eucharistiæ. Dixi autem *juxta præsentem Ecclesiæ constitutionem*, *& praxim*. Nam antiquitus id videbatur esse officium Diaconorum. Dicitur enim in 8. Const. Apostol. (*cap.* 28.) Oblatione ab Episcopo, aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam Minister Presbyteri. Hinc Justinus: (*Ap.* 2.) Absoluta, inquit, gratiarum actione, Diaconi, quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis, & calicis, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur *Eucharistia*. In Concilio item Nicæno cit. (*can.* 18.) prohibentur Diaconi dare Eucharistiam Presbyteris, quia neque regula, inquit, neque consuetudo tradit, ut ii, qui offerendi non habent potestatem iis, qui offerunt, Eucharistiam porrigant. Videtur ergo inferioribus Clericis, & Laicis, in quibus hæc ratio non militat, Diaconos Eucharistiam dare solitos, & manifeste id asserit Cyprianus (*lib. de Laps. cap. ult.*) dicens: Solennibus adimpletis, quum Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpisset &c. Confirmatur ex eo, quod de B. Laurentio tradit Ambrosius in 1. Officior. (*cap.* 41.) dixisse, nimirum, Sixto: Experire utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti divini Sanguinis dispensationem. Nam ut in Concilio Aquisgr. (*cap.* 7.) dicitur: Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille oblata sanctificat, ille sanctificata dispensat.

3. Quamvis autem universim in usu fuisse apud antiquos videatur, ut Diaconi sacra mysteria fidelibus traderent, tamen attentius rem introspicienti perspicuum est, saltem apud Latinos in secundo Ecclesiæ sæculo, & sequentibus Diaconos non sanctum panem, sed solum sanguinem dispensare solitos. Unde & Laurentius M., & Cyprianus de solo Calice loquuntur. Unde & S. Thomas (*qu.* 82. *art.* 3. *ad* 1.) docet, Diaconum quasi propinquiorem Sacerdotali Ordini aliquid participare de Officio Sacerdotis, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus. Origo autem hujus diversitatis esse potuit. Quoniam apud Latinos universim in usu fuit, ut utraque quidem antiquitus species, sed seorsim porrigeretur; id est, primo sanctus panis, seu corpus Domini, deinde per se calix, seu sanguis. Olim autem omnes Missæ adstantes communicabant. Incommodissimum ergo esset, ut idem Sacerdos & panis vasculum aliquod, & vini amphoram portaret, ut omnibus utramque speciem porrigeret. Item longo spatio temporis opus esset, ut singulos percurreret panem largiturus, & deinde item singulos ut daret calicem. Institutum igitur fuit, ut

prius

prius Sacerdos panem, deinde Diaconus ipsi adhærens, sacrum vinum singulis præberet. Ratio autem cur Calix potius, quam panis Diacono dispensandus traderetur, perspicua est.... (*in corpore.*) Nam ad hujus Sacramenti reverentiam pertinet, ut a nulla re nisi consecrata contingatur. Unde & Corporale, & Calix consecrantur. Manus item Sacerdotis, ut immediate Sacramentum tacturæ, consecrantur. Nulli ergo alii tangere licet juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, & etiam olim communem, præter actum sumptionis ipsius, nisi in casu necessitatis, puta, si in terram caderet. Manus autem Diaconi non sunt ad hoc solenniter consecratæ: ergo panem Eucharisticum contrectare Diaconus tanquam ex officio non potest, nisi in necessitate, aut de jussu Episcopi, aut Presbyteri. Sanguis autem continetur in vase, unde non oportet, quod tangatur a dispensante, sicut tangitur Corpus. Cujus rei adhuc exstat vestigium in Missa Pontificali, quod Suarezius notavit. (3. *p. disp.* 72. *sect.* 1.) Nam Pontifex Corpus propriis manibus sumit; Diaconus autem ei Calicem propinat. Secundam hujus discriminis rationem assignat S. Thomas. (*ibid. ad* 1.) Nam sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam, unde & sanguini admiscetur aqua, quæ populum designat. Et quia Diaconi medii sunt inter populum, & Sacerdotem, magis convenit Diacono dispensatio sanguinis, quam dispensatio Corporis. His tertia ratio addi potest. Nam Diaconus, quando adstat Sacerdoti sacrificanti, simul cum eo offert calicem, non autem panem. Unde in oblatione Calicis dicitur plurali numero: Offerimus tibi Domine, &c. in oblatione autem panis dicit Sacerdos: Suscipe Sancte Pater..... hanc immaculatam hostiam, quam ego .... offero tibi, quod Bona Card. adnotavit in 2. rer. Liturg. (*cap.* 9.) atque ex eo Van-Espenius.

4. Cessante autem ritu Communionis sub utraque specie apud Latinos, cessavit item facultas illa Diaconorum administrandi calicem, jussumque, ut non nisi in casu necessitatis, absente Episcopo, vel Presbytero, vel de eorum præsentium jussu Diaconi Calicem ministrent, & ita hodie servatur in praxi universim ab sæculo duodecimo, aut decimotertio, quando Communio sub utraque specie Laicis in universum denegata est, de quo infra. Verum & antea in aliquibus Synodis, vel quia communio sub utraque specie in usu non erat, vel ex alia gravi causa statutum jam fuerat, ne Diaconi corpus Christi, præsente Episcopo, aut Presbytero, tradere præsumerent, ut in Arelat. 1. can. 15., præsente autem Presbytero, Eucharistiam Corporis Domini, si necessitas cogat, non nisi jussus eroget, ut in Carthag. IV. can. 38. Unde & Gelasius Papa ad Episcopos Lucan. Diaconi, inquit, Sacri Corporis erogationem exercendi jus non habeant,

ni-

nisi absentibus Episcopis, & Presbyteris. Hæc tamen decreta intelligenda sunt de erogatione Corporis, non de dispensatione sanguinis, quam de jure antiquo Diaconi jure communi, atque ex officio exercebant, & exercerent etiam nunc, si sub specie sanguinis Laici communicarent, sicut fit apud Græcos. Nunquam igitur Diaconi Corporis dandi jus habuerunt nisi de proprii Episcopi, vel Presbyteri jussu, & licentia. Et hoc sensu loquutum est Concilium Tridentinum dicens: (*Sess.* 13. *cap.* 8.) Semper in Ecclesia Dei hunc morem fuisse tanquam ex traditione Apostolica descendentem, ut Laici Eucharistiam a Sacerdotibus accipiant. Loquitur enim de Eucharistia, quæ Laicis porrigitur, id est, de specie Panis, quoniam jam ab sæculo 12. Calix non datur Laicis. Si autem seorsim ab Corpore Sanguis daretur, sicut tempore Laurentii, & Cypriani, non est dubium, quin ministrandi Calicis facultatem Diaconi haberent. Ex hac autem S. Thomæ doctrina fundatissima de distinctione in administratione utriusque speciei, & de ritu offerendi Calicis per Diaconum multa exponuntur loca Conciliorum, & Patrum, in quibus explicandi multi sunt, & mire hallucinantur Recentiores Critici, ut mox patebit.

5. Addo etiam, urgente Christianorum, aut Catholicorum persequutione, aut alia causa gravissima, ut peste grassante, ex qua maxima pars populi sine Viatico decederet &c. idem fieri posse, quod in primoribus Ecclesiæ temporibus factum legimus, ut scilicet Laici Eucharistiam manu, sicut olim viri, aut mundo linteo, sicut olim fœminæ, acceptam domum deferrent opportuno tempore propriis manibus sumendam. Etenim si non adsit Sacerdos, quod est apud Basilium in Ep. ad Cæsariam Patriciam, communionem propria manu accipere, minime esse grave, supervacaneum est ostendere. Propterea quod longa consuetudine etiam per res ipsas probatur. Omnes enim, qui sunt in desertis Monachi, ubi non est Sacerdos, illic habentes communionem, ex se ipsis eam sumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto unusquisque ex Laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi suæ. Nam quum Sacerdos semel hostiam confecerit, ac distribuerit, eam accipiens, & communicans, tanquam a Sacerdote sumptam participare se debet credere. Etenim & in Ecclesia Sacerdos particulam tradit, & qui accipit, cum omni libertate, & potestate eam tenet, & sic manu sua ori admovet. Hæc Basilius secundum sui temporis morem, ac disciplinam .... Nunc vero, inquit Arcudius, (*lib.* 3. *de Sacram. Euchar.*) propria manu non Eucharistiam accipiunt Græci, nec amplius, sicut persequutionum tempore, domum deferunt, aut secum habent, nisi tantum Monachi, idque in itineribus longioribus. Quod sane in locis Christianorum fieri, absurdissimum videtur, quoniam exiguæ adversus Sacramentum reve-

verentiæ argumentum est. At vero in locis Turcarum, & Barbarorum infidelium, alia habenda est hujus consuetudinis ratio. Multa vero, quæ necessitatis causa, tempore persequutionis inducta fuerant, ex quadam consuetudine, & conniventia Prælatorum, etiam post persequutionem retenta sunt, quæ nunc præsentium temporum ratione habita Ecclesiastica disciplina, cui omnino standum est, prohibuit. Id ergo solum dicimus, in gravissimis iis casibus, salvis iis, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent, in cæteris Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem relaxari vel de expressa licentia Prælatorum, ut Sixtus V. Mariæ Stuartæ, & aliis Eucharistiæ in cubiculo suo asservandæ facultatem fecisse, legitur, vel de præsumpta voluntate Ecclesiæ. Salus enim populi suprema lex esto, cui omnes aliæ cæremoniæ, ritus, cautiones, & præcepta Ecclesiastica cedant necesse est.

6. Contra primam tamen propositionis partem multis argumentatur Hugo Grotius in quadam dissertatione anonyma, ut probet, Diaconos olim hanc sibi potestatem arrogasse, ut corpus Christi consecrarent, ac deinde id in jus commune transiisse. Morinus in Comment. de Pœnit. lib. 8. cap. 24. aliud proponit, contrarium asserit, sed probat circa hanc rem nihil. Proponit in titulo Capitis: Diaconos alicubi sacrificare ausos, sed statim repressos. Sed non distinguit de quo ausu loquatur, an de ausu, & conatu irrito, & invalido, sicut etiam nunc nonnulli Laici Sacerdotes se fingentes sacrificant, & hic ausus non est ad rem; an de ausu, quo licet peccarent, tamen verum Sacramentum conficerent. In textu autem asserit: ipsam sacrificandi prærogativam Diaconis a pauculis Ecclesiis permissam fuisse, aut saltem conniventibus illis Ecclesiis temere a Diaconis usurpatam. Sed tam hoc verum est, quam quod secundo asserit, nimirum, absolvendi a peccatis facultatem in extremo periculo plurimos Laicis concessisse. Utrumque olim factum fuisse, & posterius, inquit, ab antiquis Scholasticis assertum, hoc Capite planum faciemus. Hoc tamen secundo ad opportuniorem locum remisso, age, proba prærogativam conficiendi corporis Christi alicubi habuisse Diaconos, vel ab Ecclesiis permissam, vel conniventibus Ecclesiis usurpatam. Probat I. sicut Grotius ex can. 15. Concilii Arelatens. De Diaconis, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere; sed offerre est sacrificare: ergo &c. II. ex can. 2. Conc. Ancyran. Diaconi, qui Idolis immolaverunt, & post resipuerunt, honorem quidem habeant, sed ab omni abstineant sacro ministerio panem, vel Calicem offerendi, vel prædicandi: ergo panem, & Calicem offerendi facultatem, seclusa immolatione, Diaconi habebant. III. ex Conc. Laodic. can. 25. Non oportet Ministros panem dare, & Calicem benedicere. Addere potuisset jejunus Dissertator alia multa. IV. Nam in

nonnullis Ambrosii MS., ubi Sancti Laurentii ad Sixtum verba referuntur, sic scriptum est: (*lib.* 1. *de offic. cap.* 41.) Cui commisisti Dominici Sanguinis Consecrationem; sed Laurentius Diaconus erat: ergo Consecratio Calicis erat Diaconis commissa. V. Frumentius, ut est apud Theodoretum in 1. hist. cap. 23. ad Indos profectus, mercatores ibi repertos admonuit, ut more Romanorum simul convenirent ad divina mysteria celebranda; sed ibi nullus erat Sacerdos: ergo &c. VI. Omnes Christiani sunt genus electum, Regale Sacerdotium: ergo omnibus sacrificare licet, & corpus Christi conficere. Unde Tertullianus: (*de Exort. Cast. cap.* 7.) Vani erimus, si putaverimus, quod Sacerdotibus non licet, Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est enim: (*Apocal. cap.* 1.) Fecit nos Deo, & Patri suo Regnum, & Sacerdotes. Differentiam inter Ordinem, & Plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honos per Ordinis consessum a Deo sanctificatus. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus; sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici.... Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas & disciplinam Sacerdotis. &c. VII. Majus est consecrare panem, & vinum in corpus Christi, quam consecrare Calicem, aut templum, aut Campanam; sed hæc non potest consecrare simplex Sacerdos, sed solum Episcopus; ergo neque Eucharistiam potest simplex Sacerdos conficere.

7. Hæc tamen omnia ex supra dictis facillime enodantur, mirandumque profecto est, quomodo his argumentis viri alioqui non ineruditi adduci potuerint ad paradoxum illud sustinendum. Ad primum enim dicitur, verbum *offerre* in Concilio Arelatensi non debere, nec posse intelligi de oblatione sacrificii, sed de oblatione ante sacrificium, quæ fit, quum panis, & vinum consecrandum Deo offeruntur, atque in divinum cultum deputantur. Hæc autem oblatio præparatoria, ut supra dictum est, duplex erat. Prima, qua populus, quæ in Dei cultum seposuerat, ad Ecclesiam afferebat, quæ per manus Diaconi ad altare sistebantur Sacerdoti opportuno tempore benedicturo. Altera, qua Sacerdos ex donis a populo oblatis aliquam partem in sacrificium destinabat, nimirum panis, & vini certam quantitatem, & hæc singulari ritu, & forma Deo offerebat, quod nunc offertorium dicitur. Porro tempore Concilii Arelatensis quibusdam in locis mos inoleverat, ut Diaconus simul cum Presbytero panem, & vinum offerret, & hunc morem tunc incipientem Synodus Arelatensis improbavit. Hoc tamen decreto non obstante, postea invaluit, ut Diaconus simul cum Presbytero calicem offerat, non panem, quod usque ad hodiernum diem in Missa solenni observatur, ut supra dictum est. Aliter hunc canonem exponunt Tournelius, (*de Eucharist. q.* 5. *art.* 2.) & re-

& recentiores post Petavium, qui verbum *offerre* intelligunt propinare, ministrare, porrigere. Non quidem incongrue attenta verbi significatione. Sed enim Calicem Eucharisticum propinare, & dispensare numquam eo tempore potuisse Diaconis prohiberi, manifestum est; ineunte nimirum sæculo quarto, (an. 314.) quo dispensatio Calicis ex officio, ac jure proprio ad Diaconum spectabat, quod observabatur adhuc & octavo sæculo, ut ex Ordine Romano patet eo tempore scripto. Id autem confirmatur apertissime ex decreto Concilii ejusdem Arelatens. eodem Can. 15., ubi statuitur, ne Diaconus, præsente Presbytero, Corpus Christi tradere præsumat. Signate enim dicitur *Corpus Christi*. Nam sanguinem, etiam præsente Presbytero, tradere poterat, neque id unquam ei fuit prohibitum, donec Communio sub utraque specie Laicis dabatur. Hæc autem facultas vel panem offerendi, seu dispensandi, absente, aut jubente Presbytero, vel Calicem, etiam præsente, amittebant, qui in Idololatriam lapsi fuerant, & hic sensus est Canonis Ancyrani. Unde patet responsio ad II. Sensus autem Canonis Laodicæni apertissimus est. Non licet Diacono (nisi in casu necessitatis, vel de Superioris jussu) panem dare; sed solum Calicem, & hunc non a se, sed a Presbytero benedictum, seu consecratum. Non est autem consequutio: Prohibetur Diacono, ne Calicem benedicat: ergo benedicere poterat, ex quo patet solutio ad III. Ad verba S. Laurentii, de quibus in IV. dicendum est, veram, & geminam habendam esse, ac retinendam lectionem, quam Ecclesia retinet in Breviario Rom., quam esse antiquissimam, patet ex D. Thoma, (*in lib. qu. cit.*) qui ante quingentos annos scripsit, & Ambrosii opera accuratissime evolvebat MS. ergo ante quingentos annos lecta, & ætati Ambrosii multo propinquiora ita habebant, ut nos habemus. Denique quamvis legendum esset: *Dominici sanguinis consecrationem*, intelligi posset de consecratione non Calicis, sed suscipientis, qui per Calicis participationem sanctificatur, & consecratur. Dixit & non nemo, Laurentium, ordine quidem fuisse Sacerdotem, sed munere, & officio apud Sixtum Diaconum, sicut nunc dicuntur Cardinales Diaconi, qui in re sunt & Episcopi. Sed hæc evasio neque cum disciplina illius sæculi congruit, neque ullum habet in Patribus fundamentum. Ad V. dicitur, Theodoretum, qui eam historiam ex Socrate, & uterque ex Rufino sumpsit per ea verba: καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας nihil aliud dicere voluisse, quam quod Socrates dixit: Hortabatur, ut propria quædam sibi deputarent loca, ut in his Christianas preces obirent. Quam quod Rufinus dixit: (*lib.* 1. *Hist. cap.* 9.) Requirere cœpit, (Frumentius) si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, ipsisque potestatem facere, ac monere, ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Ro-

mano ritu orationis causa convenirent, ubi nulla de Sacrificio, sed solum de oratione, piisque, & Religiosis cœtibus mentio est. Deinde, ex quo infers, nullum inter Romanos advenas Presbyterum fuisse, qui eis sacra mysteria dare posset, si de iis Theodoretus, & Rufinus loquerentur? Simile est huic, quod de Petronilla objicit Grotius. Quum enim legisset: Celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Eucharistiam accepit, spiritum emisisse, subintulit bonus Logicus: ergo Petronilla Dominicæ oblationis mysterium confecit, atque adeo etiam fœminis conficiendæ Eucharistiæ potestas competit. Quasi nimirum non posset Eucharistiam ab alio confectam accipere. Ad VI. distinguo antecedens juxta ipsius Petri sensum: (1. *Petr.* 2.) Omnes sumus Regale sacerdotium offerre Deo spirituales hostias, acceptabiles per JESUM, concedo; Sacramentales hostias, nego. Idemque est sensus Apostoli Pauli. Quod si aliud intellexit Tertullianus, deserendus est, non quia jam Montanista librum illum scripserit, quod Petavius dixit: Montano enim adhæsit jam Presbyter. Quum autem librum de Exhortatione Castitatis scripsit, laicus erat, ut ex contextu patet. Sed quia quamvis adhuc Catholicus opinionibus aliis paradoxis erat imbutus, nec ullam in Ecclesia authoritatem unquam habuit, quum ex propria sententia loquitur, nisi ubi Ecclesiæ traditionem, & antiquam doctrinam simul cum aliis testatur. Ad VII. dicendum ex D. Thoma, (*q. cit. art.* 1. *ad* 4.) quod consecratio Eucharistiæ pertinet ad potestatem super corpus Christi verum, & proprium, quæ datur per Sacramentum Ordinis; consecratio autem aliarum rerum pertinet ad potestatem super corpus Christi mysticum, quæ datur per authoritatem Ecclesiæ in Consecratione Episcopi. Et ideo hæc potuit Episcopo reservari, non autem Eucharistiæ consecratio, quæ confertur medio Sacramento ab ipso Christo instituto.

PROPOSITIO VIII.

Eucharistiæ realis susceptio non est ad salutem necessaria nisi necessitate præcepti, idque vel sub utraque, vel sub una tantum specie.

1. PRima pars probatur ex constanti fide, ac traditione Ecclesiæ. Semper enim creditum est, eos sive adultos, sive parvulos, qui suscepto baptismo moriuntur, remissionem accipere peccatorum, & salutem statim adipisci: (*Rom.* 8.) Nihil enim damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU; sed (*Galat.* 3.) in Christo JESU sunt omnes baptizati, modo baptismi gratiam per sequens peccatum non amiserint: ergo nihil est in iis, per quod damnari, aut ab regno cælesti excludi possint. Majorem probant multa Patrum testimonia, quo-

quorum aliqua supra attulimus, (*prop.* 5. *huj.*) quum de effectu baptismi ageremus. Sed dices fortasse, id Ecclesiam antiquitus tenuisse, & Patres tradidisse, quoniam olim simul cum Baptismo dabatur Eucharistia quum adultis, tum etiam parvulis, ut tritum est. Sed contra. Nam hoc inductum fuit postea in solenni baptismo; at in necessitatis articulo quivis, quovis loco, quovis tempore baptizabat. Item citra mortis periculum Cornelio, quem Petrus cum suis omnibus baptizaverat, Lydiæ Purpurariæ, & Custodi carceris in Macedonia, quos cum omni domo sua baptizavit Paulus, Eucharistia data non legitur. Item ante adventum Petri, & Joannis multos in Samaria baptizaverat Philippus; sed hic Eucharistiam dare non poterat, Diaconus enim erat: ergo non semper simul cum baptismo dabatur Eucharistia, quod innumeris aliis Ecclesiatsicæ Historiæ documentis firmari posset. Hinc Augustinus in 4. cont. duas Epistol. Pelag. Nec illud cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis, & sanguinis Domini.... (*ep. ad Bon. & habet. cap. Nulli de Cons. dis.* 3.) nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiam si antequam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat.... (*ibid.*) Valebit enim Sacramentum (baptismi) ad ejus tutelam adversus contrarias potestates, & tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita migraverit.... ab illa condemnatione, quæ per unum hominem in mundum intravit, Christiano adjutorio liberetur.... (*de pecc. mer. cap.* 19.) Soluto namque (per baptismum) reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod justificatos præsentia Creatoris illuminat. Rationem etiam reddit Augustinus subjungens: Peccata enim sola separant inter homines, & Deum; hæc autem solvuntur Christi gratia; gratia vero est effectus baptismi, etiam ab Eucharistia separati: ergo parvulus, si suscepto baptismate de hac vita migraverit, infallibiliter salvus erit. Ex hac Augustini, & Sanctorum doctrina Tridentinum Concilium (*Ses.* 21. *cap.* 4.) declaravit, parvulos nulla obligari lege ad Sacramentalem communionem, & can. 4. damnavit dicentes, necessariam esse parvulis Eucharistiæ communionem. Confirmatur. Nam ex summa Baptismi necessitate ortum est in tota Ecclesia Christi, ut baptismus etiam a fœmina, etiam ab Hæretico, Pagano, Judæo conferri possit, ut supra (*prop.* 4. *hujus.*) dictum est: ergo si æquæ necessaria esset ad salutem Eucharistiæ perceptio, quivis Eucharistiæ & dispensandæ, & conficiendæ Minister esse posset, quod nemo dixerit.

2. Dixi autem: *Eucharistiæ realis susceptio*. Nam in hoc Sacramento, sicut in reliquis, distinguendum est (*qu.* 73. *art.* 3.) ipsum Sacramentum a re Sacramenti. Res porro hujus Sacramenti est unitas cor-

corporis mystici cum Christo Capite. Unus enim panis, (1. *Corinth.* 10.) unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. Sine hac autem unitate corporis mystici nulla salus est. (1. *Petr.* 3.) Non enim ulli patet salutis aditus extra Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum. Dictum est autem supra, (*prop.* 4. *huj.*) quod res alicujus Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti, ex ipso voto Sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem realem Eucharistiæ potest homo habere salutem ex voto suscipiendi hoc Sacramentum, sicut & ante baptismum ex voto baptismi, ut dictum est. (*prop.* 4. *huj.*) Tamen est differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, & janua Sacramentorum; Eucharistia autem est consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis. Per sanctificationem enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad Eucharistiam vel consecrandam, vel suscipiendam. Et ideo susceptio baptismi est necessaria ad spiritualem vitam inchoandam; susceptio autem Eucharistiæ ad eam consummandam, non ad hoc, quod simpliciter habeatur. Et ad hanc consummationem satis est habere Eucharistiam in voto, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione. Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, ut sicut fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum. Et ideo ante susceptionem baptismi non habent parvuli aliquomodo baptismum in voto, sed soli adulti; unde nec Sacramenti rem possunt parvuli suscipere sine reali perceptione Sacramenti. Non igitur Eucharistia est de necessitate salutis eodem modo ac baptismus. Ex qua S. Thomæ doctrina patet, votum Eucharistiæ non esse explicitum, quod Sacramenti notitiam supponat, quam parvuli habere non possunt; nec esse solum votum implicitum, quo qui suscipit baptismum, debitor est universæ legis faciendæ, sive omnia Christianæ legis præcepta servandi, sed esse votum quasi virtuale, quia per baptismum homo redditur habilis, & quasi ex ipsa baptismi natura ordinatur ad Sacramenta alia percipienda, & consequenter ad finem omnium Sacramentorum, qui est Eucharistia. Sicut qui aggregatur ad militiam, & arma tractare discit, ipso facto victoriam intendit, quamvis victoriæ votum nullum, aut desiderium habeat, nec de vincendo actu cogitet. Ex quo patet solutio ad eas rationes, quibus Doctores Scholastici digladiantur quærentes, an tale votum explicitum, aut implicitum sit, an commune ad omnia præcepta, an particulare circa Eucharistiam, an sit proprie votum, an simplex capacitas, de quibus

bus fuse disputant D. Thomæ Interpretes, S. Doctoris, ut videtur, mentem non plene assequuti.

3. Patet etiam inde solutio ad ea argumenta, quibus aliqui Eucharistiæ realem susceptionem de necessitate salutis esse contendunt. Horum præcipuum argumentum desumitur ex verbis Domini dicentis Joannis 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; sed qui in Christo non vivit, salvus esse non potest: ergo. Confirmat I. Nam hæc Domini sententia iisdem verbis concepta est, atque illæ: Nisi quis renatus fuerit &c. Joann. 3.... Nisi pœnitentiam egeritis &c. (*Luc.* 13.) sed hæc indicant, & a tota Ecclesia intelliguntur de absoluta necessitate medii: ergo & illa. Confirmant II. testimonio Innoc. I. ep. ad PP. Synodi Milev. Illud, inquit, quod Pelagiani asserunt, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismi gratia donari posse, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur ipsum baptismum velle cassare, quum prædicant, eos habere, quod eis creditur non nisi baptismate conferendum. Quibus de verbis Innocentii Aug. in 1. cont. Jul. (*cap.* 4.) Definivit Innocentius, parvulos, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, immo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio. Confirmant III. testimonio ipsius Augustini multis in locis, sed apertissime in 3. contr. Julian. (*cap.* 1.) An dicente Domino: Si non manducaveritis &c. dicturus fueram vitam habituros parvulos, qui sine hoc Sacramento hanc vitam finiissent? Confirmant IV. authoritate Gelasii Papæ in ep. 1. ad Episcopos per Picenum. Ipse Dominus JESUS dixit: Nisi manducaveritis &c., ubi utique neminem videmus exceptum. Nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci; sine illa autem vita in perpetua futurum morte non dubium est. Confirmant V. ex antiquioris exemplo Ecclesiæ, in qua parvulis simul cum baptismo Eucharistia conferebatur. Quorsum hoc vero, si absque Eucharistia æternam salutem consequi possent? Nec enim ibi conferre poterat augmentum meriti, ubi nulla esset ad meritum libertas.

4. Respondetur ad primum, sicut jamdudum respondit S. Thomas: (*q. cit. ad* 1.) Dicendum, quod sicut Augustinus inquit, (*tract.* 26.) exponens illud verbum Joannis: Hunc cibum, & potum, scilicet, carnis, & sanguinis sui, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & sanctificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus ejus. Unde idem Augustinus dicit in Epist. ad Bonifacium, & habetur in c. Nulli de

Cons.

Cons. dist. 3. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, & sanguinis Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiam si antequam de pane illo edat, & de calice bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus decedat. Hujus Augustinianæ sententiæ ad verbum meminit Fulgentius ad Ferrandum scribens super quodam juvene, qui mox baptizatus ante sumptam Eucharistiam decesserat. Arbitror, inquit, (*P.* 227.) controversiam nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam est ullatenus ambigendum &c. Ex quibus patet I. Epistolam ad Bonifacium Augustini esse, quod nonnulli Recentiores in dubium revocare sunt conati. II. Locum illum Joannis intelligendum esse non solum de adultis, quibuscum Christus loquebatur, ut vult Tournellius, (*q. 6. art. 1. de Eucharist.*) verum etiam de parvulis, ut diserte docuit Gelasius, & Aug. cit. III. Textum illum Joannis 6. non de Sacramentali, sed de spirituali manducatione, non ita quod Sacramentalem excludat, quam item necessario comitatur, ut salutaris sit, & sumentibus fructuosa. IV. Hanc spiritualem, & mysticam manducationem, quatenus est ad salutem necessaria, fieri in ipso baptismo, in quo Christum induimur, Christi membra efficimur, in ipso manemus, ei incorporamur, & consepelimur, & conresurgimus, & per ipsum vivimus. Hinc ad Confirmationes reliquas, quæ ex eodem textu sumuntur, patet solutio. Ad primam enim concedimus, manducationem spiritualem, quæ fit per fidem in baptismo, tam esse necessariam, quam ipsum baptismum. Et hoc est, quod Innocentius asserit, & probat Augustinus. Sic enim argumentatur Innocent., ut probet, neminem sine baptismo posse salvari, etiam parvulum. Nemo potest vitam habere, nisi manducaverit carnem filii hominis, & ejus sanguinem biberit, Joan. 6.; sed hæc manducatio, & sumptio fit per baptismum ipsum: ergo qui hanc vitam extra baptismum tribuit parvulis, cassat baptismum, tribuit enim parvulis illud, quod non est eis nisi baptismate conferendum. Igitur per baptisma datur parvulis spiritualis manducatio, & item datur eis virtualiter, ut ita dicam, Sacramentalis manducatio, quia per illud ordinatur homo ad consummationem vitæ spiritualis, quæ fit per Sacramentalem Eucharistiæ sumptionem, quæ mera est S. Thomæ doctrina. Augustinus vero in 3. confirmatione adductus, quum ait, non habituros vitam parvulos, qui sine hoc Sacramento vitam finiverint, non loquitur de Sacramento Eucharistiæ, sive de reali susceptione Corporis Christi, sed de Sacramento Baptismi, ut ipse alibi (*Epist. ad Bonifac.*) semet explicat, dicens, tunc hominem participem esse corporis, & sanguinis Christi, quando in baptismate efficitur membrum

brum

brum Christi, licet antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo decedat. Similiter explicatur dictum Gelasii in 4. confirmatione adducti. Sic enim ex verbis Gelasii, Augustini, Innocentii, ac D. Thomæ confirmatur. Sine vita parvulos in perpetua morte futuros, non dubium est; sed parvulos omnes cum solo baptismo decedentes salvos esse, de fide est: ergo parvuli cum solo baptismo decedentes vitam in se habent; sed nisi manducaverit carnem filii hominis &c. nemo vitam habet, Joannis 6. ergo per ipsummet baptismum caro filii hominis manducatur, & sanguis ejus bibitur. Verbum illud igitur Gelasii *sine hoc Sacramento salutari* intelligendum est, sicut illud Augustini, & illud Innocentii, (quorum eadem est sententia) non de Sacramento Eucharistiæ, sed de Sacramento Baptismi, per quod manducatur spiritualiter corpus Christi, & vitam in ipso habemus, id est, rem ipsam Sacramenti Eucharistici, sine Sacramento ipso in re; non tamen sine Sacramento in virtute, & quodammodo in voto, aut proprio in adultis, aut alieno ex intentione Ecclesiæ ut in parvulis, quæ pura, putaque est ex Patribus desumpta S. Thomæ doctrina. Ad quintam Confirmationem dicitur; antiquum Ecclesiæ ritum non ex necessitate inductum fuisse, sed ex aliis causis, quæ posterioribus his sæculis non visæ sunt congruentes, ut infra. Quamvis etiam Eucharistia daretur parvulis, qui non sunt meriti capaces, dabatur, & dari poterat ad augmentum quoddam gratiæ, & ipsius corporis sanctificationem aliquam, quæ non requirunt in suscipiente meritum. Sed de hoc agetur adhuc in sequentibus.

5. Secunda porro Propositionis pars magna contentione agitata est ab tempore Concilii Constantiensis usque ad tempora Tridentini. Circa hoc autem multiplex occurrit quæstio. I. Utrum sit præceptum aliquod sive divinum, sive Ecclesiasticum suscipiendæ Eucharistiæ? II. Utrum huic præcepto satisfiat per susceptionem unius speciei, an sit necessaria utriusque susceptio? III. Quisnam ex his duobus suscipiendæ Eucharistiæ modis sit universim congruentior? Circa primum dicendum, (*qu.* 80. *art.* 11.) duplicem esse modum percipiendi hoc Sacramentum, spiritualiter nimirum, & Sacramentaliter. Manifestum est autem, quod omnes tenentur spiritualiter Eucharistiam manducare, quia hoc est incorporari Christo, quod fit per baptismum, ad quem omnes tenentur, ut supra dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum, aut desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ad quod exercite per baptismum ipsum homo ordinatur, ut item dictum est. Et ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset, sicut frustra esset votum baptismi, si

quis, data opportunitate, nollet baptizari. Manifestum est igitur, quod homo, data opportunitate, tenetur Eucharistiam sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, de quo alibi, (*lib.* 17. *prop.* 10.) sed etiam ex mandato Domini dicentis: (*Luc.* 22.) Hoc facite in meam commemorationem. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum. Quibus verbis S. Thomas duo facit. I. enim concludit, & recte, esse aliquod divinum præceptum de sumenda Eucharistia. II. ait, hoc præceptum contineri in illis verbis: Hoc facite &c. Hoc tamen non videtur constare. I. Nam juxta Conc. Trident. ses. 22. cap. 1. Christus per ea verba Apostolos Sacerdotes constituit, & iis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit: non ergo per ea verba commune præceptum omnibus fidelibus est impositum. II. Quia per hæc verba non videtur injungi Apostolis, ut faciant, sed modus, quo faciant, ut ipsemet Christus se explicuit dicens: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.... Hæc facite, quotiescumque bibetis, in mei commemorationem; & ita quoque exposuit Paulus dicens: (1. *Corinth. cap.* 11.) Quotiescumque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, ut scilicet non intelligatur præceptum sumendi, sed modus sumendi, quandocumque sumendum sit, uti diserte tradunt Basilius in Moralibus regul. 21. c. 3., & Chrysostomus hom. 17. in epist. ad Hebr. Efficacius autem sumi videtur argumentum ex illis verbis Domini Joan. 6. Nisi manducaveritis &c. Ibi enim aliqua necessitas significatur. Dices: Significari necessitatem medii de spiritali manducatione per fidem, & baptismum, ut supra dictum est. Sed contra. Nam spiritualis susceptio alicujus rei, aut Sacramenti non est necessaria, nisi quando Sacramentum in re susceptum est aliquomodo necessarium. Si enim extrema unctio non est in re necessaria, nec illius votum, aut spiritualis susceptio ulla necessaria est: ergo si spiritualis Eucharistiæ perceptio necessaria est necessitate medii, etiam realis susceptio aliquomodo est necessaria; sed non necessitate medii, ut supra dictum est: ergo saltem necessitate præcepti, quod erat &c. Confirmatur. Nam homo tenetur non solum ad ea, quæ sunt ad suam salutem simpliciter necessaria, sed etiam ad ea, quæ ita sunt ad finem salutis conducentia, ut sine iis vix possit moraliter salvari. Quamvis autem allatæ rationes valde sint probabiles, non tamen sunt necessario convincentes. Unde graves Theologi docuerunt, Eucharistiæ sumptionem non esse de jure divino necessariam, sed solum ex Ecclesiæ constitutione. Ita Alexand. Alens. in 4. p. Summ. qu. 51. Bonavent. in 4. Sent. dist. 12. art. 1. Dionys. Carthus. in 4. dist. 9. Nec multum abhorret ibid. D. Thom. qu. 1. art., quem Ferrariens. sequitur in 4. cont. Gent. cap. 61.

6. Quod

6. Quod autem ad rem præsentem attinet, eadem secunda oritur difficultas, utrum ei præcepto, sive divinum sit, sive Ecclesiasticum, satisfiat per communionem sub una specie, an requiratur utraque. Dicendum. Non necessario requiri duplicem speciem; sed unam sufficere. Probatur I. ratione ex principiis fidei desumpta. Illa communio satis est ad implendum Christi, aut Ecclesiæ præceptum, in qua suscipitur integra res Sacramenti, & totum id, in quo salvatur ratio Sacramenti, & totum id, quod est fructus Sacramenti. Nam quid aliud requiras ad sufficientem Communionem? Sed in communione sub sola specie panis sumitur totus Christus, qui est res Sacramenti: Totus enim Christus per naturalem connexionem est in qualibet specie, & in qualibet specierum particula, ut supra (*lib.* 14. *prop.* 3.) dictum est. Sumitur item totum id, in quo salvatur ratio Eucharistiæ, nimirum, signum sensibile, sub quo Christus nobis datur, ut etiam statutum est. Habetur quoque per eam susceptionem totus ille fructus spiritualis refectionis, qui est effectus hujus Sacramenti, quum ibi sit idem gratiæ largitor, & eadem suscipientis dispositio, quam si daretur sub utraque specie: ergo communio sub una tantum specie est sufficiens ad implendum præceptum seu Christi sit, sive Ecclesiæ, dum aliud positive in præcepto non sit expressum; sed nusquam in præcepto expressum est, ut Communio fiat sub utraque specie: ergo &c. Minor hæc, in qua tota est difficultas, probatur I. Id enim non est expressum in præcepto Ecclesiæ, quum Ecclesia in Conciliis Constantiensi, Basileensi, Tridentino contrarium definiverit, & in praxi jam ab quingentis annis usurpet, immo semper etiam antiquioribus temporibus usurpaverit, ut aliquibus documentis infra firmabitur. Nec item in præcepto Christi. Nam si aliquod est, maxime illud: Nisi manducaveritis &c. Joan. 6., sed hæc verba non intelligenda solum de reali susceptione Eucharistiæ, sed etiam de spirituali, quæ fit in baptismo supra statutum est ex Innoc. Aug., Fulgen., Gelasio &c. Deinde, ut argumentatur Tridentinum. (*Sess.* 21. *cap.* 1.) Qui dixit: Nisi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis, idem quoque dixit: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Sicut ergo promissa est vita æterna manducantibus, & bibentibus, ita promissa est solum manducantibus: liberum ergo reliquit Christus fidelium populo seu manducare, & bibere, sive solum manducare, sive solum bibere.

7. Confirmatur. Nam usum communionis sub una tantum specie, etiam antiquitus observatum fuisse multis in casibus, patet multiplici authorum Ecclesiasticorum testimonio. Nam Honoratus Vercellensis in superiori domus tabulato decumbens, cœlesti voce vocatus viaticum detulit Ambrosio, sanctum Domini corpus, quo accepto, ubi de-

deglutivit, emisit spiritum, inquit Paulinus. (*in vit. Ambros.*) Sed nec apud Latinos unquam panis sanguine intincti usus fuit, neque species sanguinis domum deferri, & ibi conservari poterat, sicut panis: ergo Ambrosius sub una panis specie viaticum accepit. Tertullianus item ad uxorem loquens: (*cap.* 5.) Nesciet, inquit, maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si panem sciverit &c. Fœminæ igitur Eucharistiam linteo mundo acceptam domum deferebant ad libitum sumendam. Hoc autem fieri non poterat cum Calice, quum propter vini acescendi, aut effundendi periculum: ergo Communionem domesticam sub una tantum accipiebant specie. Item Satyrus Ambrosii frater ab aliis Christianis secum navigantibus acceptam Eucharistiam involvit orario, & collo circumligavit in mare se dejiciens, ut naufragium vitaret. (*Ambr. orat. de obitu Fratr.*) Non potuit autem id facere cum Eucharistia sub vini specie, nec fieri potuit, ut Mercatores in longa navigatione vinum consecratum secum deferrent: ergo in una tantum specie panis Eucharistiam sumendam asservabant. Simile quid efficitur ex Eucharistia, quam in deserto servabant Monachi, ut Basilius scribit, (*Epist. ad Cæsar. Patricium.*) & in longis itineribus etiam nunc portant, ut scribit Arcudius. (3. *de Euchar. supr. cit.*) Idem convincitur aliis & firmioribus documentis. Ex Concilio Toletano XI. ann. 675. (*cap.* 11.) habetur, dandam esse communionem sub specie vini iis infirmis, qui præter calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Paschalis item II. in ep. ad Pontium Cluniacensem (*ann.* 1118.) jubet, ut utraque species separatim sumatur, præterquam in parvulis, aut omnino infirmis, qui panem deglutire non possunt. Hic tamen locus Paschalis non probat, graviter ægrotantibus, aut infantibus datam esse solam speciem vini, sed speciem panis vino madefactam, aut dilutam juxta decretum Conciliorum Bracarensis IV. can. 2., Turonens. can. 9. apud Burchardum, (*Collect. Canon. lib.* 5. *cap.* 9.) & Claromontani sub Urbano II. ann. 1095. Tamen eodem fere tempore scribens Rodulphus Sancti Trudonis, qui vivebat anno 1110. sic canit.

Cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat Laicis de sanguine Christi,
Nam fundi facile posset, rudesque putarent,
Quod non sub specie sit JESUS totus utraque.

Infantibus autem sub una vini specie communionem antiquitus datam convincitur ex Cypriano narrante, puellam quamdam a nutrice delatam, inscia matre, panem de sacrificiis Idolorum comedisse, deinde ad Ecclesiam deductam, ubi solennibus adimpletis, Diaconus calicem

cem præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus ejus advenit, faciem suam instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc singultus, & vomitus. Nimirum in corpore, atque ore violato Eucharistia remanere non potuit. Hæc Cyprianus in Tract. de Lapsis, & ex ipso Augustinus epist. (*ad Bonif.*) 98. ubi solum fit mentio de Calice. Non quia puella panem deglutire non posset, nam antea panem Idolis oblatum manducaverat: non quia Eucharistiam sub specie panis ante Calicem sumpserat. Nam si ita esset, quomodo dicitur Eucharistiam in ore violato permanere non potuisse? Constat ergo, Eucharistiam aliquibus non solum extra Ecclesiam in casu necessitatis, sed etiam in Ecclesia sub una tantum specie dari solitam. Convincitur item de sola specie panis ex Nicephoro narrante, (*lib.* 17. *cap.* 25.) Constantinopoli hanc fuisse consuetudinem, ut post populi communionem advocarentur pueri impuberes, quibus consecratæ particulæ consumendæ tradebantur. Convincitur item ex facto fœminæ apud Sozomenum, (8. *hist. cap.* 5.) quæ, Joanne Chrysostomo celebrante, acceptum panem sanctum non gustavit, sed ancillæ suæ dedit; illa autem panem, quem secum detulerat manducavit, qui in lapidem mutatus fuisse dicitur. Ergo neque Calicem illa, neque panem sanguine intinctum, & madefactum acceperat. Panem enim fœminæ in linteo mundo accipiebant, uti ex Cyrillo, (*Catech.* 5. *Mystag.*) & antiquis aliis patet, quod nisi de sicco pane intelligi non potest. Similiter & panis in manum dabatur viris, quod in pane sicco fieri necesse, pane enim sanguine madefacto virorum manibus, & fœmineis linteis divinus sanguis adhæresceret, quod absurdum est. Unde postquam a Græcis madefactus panis est inductus, cochlearia invecta sunt, ut Eucharistia ori infunderetur, non manibus, aut linteo exciperetur.

8. Convincitur ulterius ex S. Leone serm. 4. de Quadrag. ajente: Manichæi, quum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut .... ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem .... haurire omnino declinent .... Itaque quorum hæc fuerit sacrilega simulatio deprehensa &c. Ex quibus Leonis verbis habentur duo, nimirum, tempore Leonis (id est, medio quinto sæculo) communionem sub utraque specie Laicis dari solitam, atque hunc morem adhuc in quibusdam Latinorum Ecclesiis servatum usque ad sæculum 13. in quo S. Thomas scripsit, ex ipso habetur. Non est igitur, quod nobis antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quam ultro fatemur, importuna eruditione a nostris Doctoribus desumpta probent Heterodoxi. Habetur item, Manichæos se voluisse pro Catholicis vendere, sumendo panem,

nem, & non sumendo calicem; sed non potuissent hac industria latere, si Catholici de jure divino, aut Ecclesiastico ad Calicem sumendum tenerentur. Statim enim qui Calicem recusaret, hoc ipso non haberetur Catholicus: ergo quia credebatur sumptionem utriusque speciei non esse Catholicis ex præcepto necessariam. Video dici posse, Manichæorum simulationem in eo sitam fuisse, non ut Calicem recusarent, sed ut ori calicem admoveri paterentur, nihil tamen ex eo biberent. Sed si hoc ita fuisset, nullo modo, aut saltem non nisi difficile posset hæc simulatio deprehendi, ac puniri excommunicationis sententia. Deinde non ita fuisse, satis innuit Gelasius, qui paulo post Leonem ita loquitur dist. 2. can. 12. (*De Consecrat.*) Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstinent. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. Deinde quamvis admovere ori calicem, & nihil bibere, aut gustare facile fieri possit, quum propria manu calix ori admovetur; tamen id non est facile sœpe fieri sine effusione, quum calix alterius manu ori applicatur.

9. Convincitur præterea Communionem sub utraque specie non esse necessariam ex Missa Præsanctificatorum, quam Ecclesia Græca celebrat tota, præter paucos dies, Quadragesima, & Latina fer. 6. in Parasceve. Porro certum est I. Græcos vinum consecratum iis diebus non sumere, sed solum panem, ut ex eorum Euchologiis, seu Ritualibus tradunt Arcudius, (3. *de Euch. cap.* 56. 57. 58.) & Goarius, (*Ad Euchol. Græc. pag.* 187.) & Leo Allatius (*Dissert. de Miss. præsantif. ad Borthol. Nihus.*) Dices: Pani huic infundi guttas aliquas sacri cruoris in formam Crucis. Sed hæc Recentiorum Græcorum inventio est, quæ nullum habet in antiquis Liturgiis, & Euchologiis fundamentum. Immo ipsemet Michael Cerularius funesti Schismatis instaurator diserte tradit, (*lib. de defens. Sanctificat.*) nullam in panibus reservatis infundi guttam sanguinis. Sub unica igitur panis specie Græci per totam fere communicant Quadragesimam.

10. Idem autem quod Græca, observat, uti diximus, Latina Ecclesia in feria 6. Majoris Hebdomadæ. Nam ut habetur in Ordine Romano, quod octavo jam sæculo scriptum est, Pontifex fer. 5. sumit oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent (fideles nimirum, quod jam non est in usu nisi in casu extremæ necessitatis) absque sanguine Domini .... Et Pontifex quidem, id est, Sacerdos celebrans, confirmatur ab Archidiacono in Calice sancto pridie consecrato .... de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, sive scyphum, quem tenet Acoly-

lythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia vinum non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per omnem modum. Quamvis autem Ordo ipse Romanus infra, & Michrologus, (*de Eccles. observat. cap.* 19.) & Walfridus, (*de reb. Ecclesiast. cap.* 22.) aliique ita loquuti sint, ut dixerint, populum eo die communicare corpori, & sanguini Domini, id dicunt, vel quia cum corpore Domini simul est sanguis, in quo sensu etiam nunc omnes Laici dicuntur accipere corpus, & sanguinem Domini, vel quia putarunt, vinum non consecratum per commixtionem cum exigua portione consecrati totum in sanguinem Domini converti, ac transfundi, in quo certe decepti sunt, vel quia sanguinem vocaverunt vinum illud non consecratum ex contactu sanguinis Domini quodammodo sanctificatum, sed non in sanguinem conversum. Hujusmodi enim Scriptores authoritatem habent ad probandam Ecclesiæ praxim, & ritum: ad probanda autem Ecclesiæ dogmata non item. Statutum ergo, sanctumque maneat, communionem Præsanctificatorum tam in Latina, quam in Græca Ecclesia sub una tantum panis specie dari solitam.

11. Quid vero contra adversarios Lutheranos, & Calvinistas tot argumentis, authoritatibus, exemplis pugnamus? Fatentur ipsi Calvinistæ in sua Disciplina Eccles. cap. 12. art. 7. Panem Cœnæ administrandum esse iis, qui vinum bibere nequeunt, dummodo protestentur, id se non facere in contemptum. At vero cui vini guttula nocere potest? Adhuc ex multo leviori causa docent artic. 10. posse non dari vinum iis, quibus grave est, post alios ex eodem calice bibere. Ergone tam levibus ex causis omittendum est, quod cum natura ipsa Sacramenti, quod cum Christi institutione, & mandato, quod cum antiquissima, & per tredecim sæcula constanter observata Ecclesiæ disciplina pugnat? Ergone non potuit Ecclesia Catholica, Concilia, Pontifices ob multas, & graviores causas id decernere, quod ob fastidium cujusvis delicatulæ matronæ, aut Sybaritici cujusdam viri decrevit Calviniana Ecclesia? Nimirum Constantiense Concilium, & sequentia eam consuetudinem abrogarunt, quæ primo jam ab duobus, & amplius sæculis in multis Ecclesiis desierat, ut author est gravissimus D. Thomas, immo quæ jam ante D. Thomam aboleri cœperat, ut patet ex Rodulpho Abbate S. Trudonis supra adducto, qui desinente II. sæculo florebat. Secundo eam consuetudinem abrogarunt ex causis gravissimis. I. quidem propter effusionis, & irreverentiæ periculum. Nam maxima etiam cura, & diligentia a sacris ministris adhibita vix fieri potest, ut in maximo suscipientium numero non aliquid accidat in Sacramentum irreverentius, quum etiam in specie panis, & in sancto sacrificio accidant sæpius. Hac de causa statutum

est,

est, ut non in linteo Eucharistia sicut prius, aut in manum suscipientium, non deferenda domum sicut prius, non in longioribus itineribus, non in navigationibus sicut prius, non separatim sicut prius, sed utraque specie commixta traderentur mysteria, & exiguo cochleari ad os applicarentur, aut aureo tubulo sanguis sugeretur. Ut quid enim hæc omnia immutata sunt, nisi ut major quotidie populis erga mysterium sacratissimum, atque ipsis Angelis horrendum reverentia infunderetur? Tertia, & gravissima causa fuit difficultas asservandi per dies multos vini speciem pro communione infirmorum, aut casu subito periclitantium, propter quam etiam olim sub una specie datam ostensum est. Quarta causa est inopia, & penuria vini in quibusdam regionibus. Nam pone Mexici, atque aliis Americæ regionibus communionem sub utraque specie dari. Quæ Parochia in Paschali solennitate, & in aliis festis solennioribus, ubi quinque, sex, & undecim, ut non semel vidimus, hominum millia ad communionem confluunt, quæ, inquam, Ecclesia tot sumptus facere posset, ubi vini dolium non nisi quindecim, viginti, & amplius aureis haberi potest? Quinta causa, eaque non contemnenda est, naturalis hominum, præcipue cultiorum, indoles abhorrens a bibendo ex eodem calice, ex quo multi alii biberint. In magna enim multitudine fieri non potest, quin multi inveniantur aut ore immundo, aut fœtido, aut noxiis humoribus infecti &c. Quod si cochlearia, ut apud Græcos, induxeris, major est absurditas. Aut enim ex eodem Cochleari omnes accipient, aut oportebit, ut ad communiones singulas singula cochlearia adhibeantur, aut saltem ad singulas laventur, emundentur, exsugantur ab sacris Ministris. Sexta causa est Hæreticorum pervicacia, ex qua Ecclesia non nunquam cogitur ritum, ac disciplinam mutare circa Sacramenta, salva semper eorum substantia. Unde sicut ad resistendum Manichæis putantibus vinum esse natura malum, statutum est, ut fideles Christi Eucharistiam sub vini specie acciperent, & quidem separatim, ne Hæretici latere possent; ita ad resistendum Bohemis, & Hussitis, Wichlefistis, Lutheranis docentibus, sumptionem Calicis esse Laicis necessariam ex Christi institutione, eadem Ecclesia, quæ duplicem speciem Laicis permiserat, & quandoque injunxerat, novi erroris occasione prudentissime, ac sanctissime vetuit.

12. Ex quibus patet solutio ad Tertiam quæstionem. Nimirum, uter sumendæ Eucharistiæ modus congruentior sit, & magis expediens? Ostensum est enim, sumptionem sub sola specie panis ab Laicis esse digniorem, & reverentiorem, ac tutiorem, sive ab omni irreverentiæ periculo remotiorem: esse ipsius sumentibus faciliorem, & commodiorem, atque item ministrantibus: esse fini Ecclesiæ in asservanda

Eu-

Eucharistia pro infirmorum subventione opportuniorem: esse denique ad Hæreticorum pertinaciam retundendam, ac detestandam nostris temporibus opportunam. Potuit ergo ab Ecclesia ita statui, sicut statutum est, reservata sibi potestate aliter statuendi circa singularia Regna, Provincias, aut item personas quando, & quatenus opportunum videbitur, secundum datam sibi potestatem in ædificationem, & non in destructionem.

13. Quamvis autem quæcumque opponunt Novatores ex Scripturis, ex Patribus, ex Conciliis, ex Ecclesiastica historia, & ratione partim futilia sunt, partim in dictis jam præoccupata, nonnulla tamen pro majori dictorum claritate adducentur. Opponunt enim illud: (*Math.* 26.) Hoc facite &c. Bibite ex eo omnes, quod singulariter de Calice dictum est, quoniam fuerant multi Calicem, ut nos, negaturi Laicis. II. Illud (*Joan.* 6.) nisi manducaveritis &c. ubi præceptum aliquod innuitur, ad utramque speciem referendum est, quum utraque exprimatur. Opponunt III. praxim Ecclesiæ per sæcula tredecim. IV. innumeras Patrum authoritates, qui utriusque speciei mentionem faciunt, & fructum commendant &c. Justinus (*Apolog.* 2.) ait: Paulum accepisse a Christo ritum de duplici symbolo, seu specie. Cyprianus (*Epist. ad Cæcil.*) queritur non servari in Calice offerendo, quod Christus instituit. Gelasius jubet, (*Gratian. Can. Comperimus. de Consec. d.* 2.) ut Sacramenta integra recipiantur, nam divisio, inquit, unius, & ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio fieri non potest; sed qui tradit panem, & negat calicem, dividit mysterium: ergo grande committit sacrilegium. Hæc tamen omnia ex dictis facile diluuntur. Ad primum enim dicitur cum Tridentino ea verba dicta fuisse ad Apostolos, quibuscum Christus solis ultimam cœnam celebravit, eorumque successores Sacerdotes. Quod si ad omnes fideles dicta intelligantur, ut alii volunt Patres, exponendi sunt de re accepta, non de modo accipiendi. Omnes enim Christi fideles sanguinem recipiunt, dum corpus Domini accipiunt. Non enim exangue, & mortuum corpus in Eucharistia traditur. Verba autem illa: *Bibite ex eo omnes* necessitatis causa addita sunt. Nam Christus panem fregit, & in partes divisum tradidit unicuique portionem suam; at Calicem integrum, atque indivisum dedit. Unde opus fuit, ut significaret, velle se, ut omnes ex eo biberent, quum posset unus solidum absumere; opus igitur fuit, ut diceret: Bibite ex eo omnes; non autem ut diceret de pane: manducate ex hoc omnes. Ad secundum eodem modo dicendum verba illa: *Nisi manducaveritis*, siquidem de manducatione Sacramentali accipiantur, innuere necessitatem, aut præceptum sumendi Eucharistiam, id est, corpus, & sanguinem Domini ibi contenta. Ad hoc autem non necesse est, ut utraque species sumatur, quum

in unaquaque sit Christus totus, uti dictum est. Ad tertium dicendum; praxim illam Ecclesiæ sanctissimam fuisse, sed neque adeo constantem, ut non sæpius Eucharistia sub una specie traderetur, ut fuse demonstratum est, neque adeo necessariam ex Christi institutione, ut non potuerit Ecclesiastica authoritate mutari. Statutum enim, ac declaratum est per Tridentinum, (*sess.* 21. *cap.* 2.) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.... Quum igitur hujusmodi consuetudo (tradendi Eucharistiam Laicis sub sola specie panis) rationabiliter introducta sit, & diutissime observata, (inquit Conc. Constantiense) (*sess.* 13.) habenda est pro lege, quam reprobare non licet, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libito mutare. Licet ergo olim ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis illa consuetudine jam mutata, justis, & gravibus causis adducta Ecclesia, communicandi sub altera specie consuetudinem approbavit, & pro lege habendam decrevit, quod est apud Trident. (*loc. cit.*) Et quidem. Quis nunc sine gravissimo scandalo fœminæ Eucharistiam daret domum deferendam in linteo? Quis nunc sicut Exuperius ille Tolosanus apud Hieronym., (*Epist. ad Rustic.*) panem Eucharisticum in vimineo canistro, & vinum portaret in vitro? Non improbamus quidem Antiquitatis Ecclesiasticæ studium. Absit. Nam & qui antiquæ Romæ rudera, & lacera marmora e pulvere, ut est apud Morinum, cloacisque subterraneis eruunt: qui nos docent ubi Via sacra, ubi Carmentalis porta, ubi Janiculum, & vitam otiosissime in his investigandis prodigunt, cum laude, & studio leguntur. Verum qui antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ e tenebris eruendæ, & illustrandæ navat operam, duplicem sibi scopum proponere potest. Vel enim simpliciter intendit mores, & ritus antiquæ Ecclesiæ describere, ut ex his veterum Patrum Conciliorum, & Historicorum dicta clarescant, scripta ædificent, pietas incendatur, Hæreticorum, aut ignorantium dubia diluantur &c. Vel ut recondita eruditione imponant simplicibus, & subdole sub specie venerandi antiqua, præsentium fastidium lectorum animis ingenerant, instillantque paulatim; theoriam ad praxim revocant, & memoriam rituum antiquorum intermortuam in odium recentiorum renovant, ut antiquos, & pristinos, præsentibus correctis, restituant? Prius cum laude semper præstituerunt viri docti, & pii. Posterius autem nullus vir prudens, & cordatus propria authoritate fecit unquam. Est enim res periculosa, turbulenta, & Schismatibus obnoxia, cui pro prudentia sua ire obviam Magistratus debent,

ne

ne hæc novitas antiquæ disciplinæ prætextu armata Christianæ Reipublicæ detrimentum afferat. A Deo enim hoc præceptum accepimus, Ecclesiam hodie loquentem audire, non illam solum alterius ævi. Si semel hoc axioma concutias, omnem ab cordibus Christianorum fidei securitatem excutis. Omnes quippe, quotquot fuerunt, sunt, aut erunt Hæretici, tales sunt propter non auditam hodie, & nunc loquentem, ac definientem Ecclesiam. Nimirum insensati homines mutam Ecclesiam audire, non loquentem volunt, mortuos Doctores, non vivos, ut quod vivis, & loquentibus judicibus non possunt, mutis, & mortuis illudant.... (*ep.* 119. *cap.* 19.) Omnia itaque talia, quæ neque Sacrarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine Ecclesiæ universæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam, inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt, (Episcopali authoritate) ubi facultas adsit, sine ulla dubitatione resecanda existimo, inquit Augustinus... Quod autem (*ep.* 118. *c.* 5.) tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.... (7. *de bap. cap.* 53.) Unde fiducia securæ vocis asserimus quidquid in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris JESU Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est... (*ep.* 86.) In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, & Majorum instituta pro lege tenenda sunt. Qui potest capere capiat. Ego autem neminem nomino, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui prius de se voluerit confiteri.

14. Ad quartum de Patrum testimoniis dicendum, Patres universim loqui de Eucharistia secundum rem acceptam; non de modo, aut ritu eam accipiendi, aut item de modo non ex necessitate, sed juxta disciplinam, aut usum sui temporis, in quo etiam Laicis sacrificio assistentibus communio sub utraque specie dari consueverat, præterquam parvulis, & his etiam quandoque, & ita exponendus Justinus. Cyprianus autem non de Calice dispensando, sed de offerendo per modum sacrificii loquitur. Carpit autem Aquarios, qui in aqua sine vino consecrari debere, & posse docebant. Gelasius vero, vel loquitur de Sacerdotibus celebrantibus, ut ipsum interpretatur D. Thomas, (*qu.* 80. *cit. art.* 12. *ad* 1.) vel si de omnibus, intelligendus est de divisione mysterii, qualis fiebat ab iis, contra quos loquitur, Manichæis. Existimabant enim, Christum solum poni sub specie panis, non sub specie vini, quod a malo esset. Dividebant illi mysterium immani sacrilegio; non nos, qui quamvis alteram tantum speciem sumamus, sub utraque tamen Christum totum esse, fatemur.

15. A ratione autem argumentantur ex principiis S. Thomæ. (*qu.*

73. *art.* 2.) Probat enim, hoc Sacramentum esse formaliter, & perfective unum, quamvis materialiter multa, quia ordinatur ad spiritualem refectionem. Spiritualis autem refectio corporali conformatur; corporalis autem refectio duo requirit, nimirum cibum, sive alimentum siccum, & potum sive alimentum humidum: ergo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrant necesse est, nimirum spiritualis cibus, & spiritualis potus, ex quibus perficitur una refectio: ergo qui unam solum speciem sumit, non suscipit unum, integrum Sacramentum. Item probat S. Thomas, panem, & vinum esse convenientem materiam hujus Sacramenti, & hoc confirmat I. (*qu.* 74. *art.* 1.) ex ratione refectionis nuper data, quæ utrumque requirit, cibum nimirum, & potum. II. ratione significationis. Significatur enim Passio Domini, in qua sanguis fuit separatus a corpore. III. ratione effectus singularis in unoquoque sumentium. Valet enim hoc Sacramentum ad tuitionem animæ, & corporis, ait Ambros. (*in* 1. *Corinth. cap.* 11.) Et ideo corpus sub specie panis ad salutem corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ. IV. ratione effectus universalis, quem operatur in Ecclesia. Est enim centrum unitatis, & vinculum charitatis, quo unum corpus mysticum ex multis fidelibus coagmentatur, sicut panis ex multis granis, & vinum ex multis uvis, ut Aug. dixit. (*serm.* 2. *de Pasch.*) Probat quoque D. Thomas, non frustra utramque speciem seorsim consecrari, quamvis sub utraque totus sit Christus. I. quidem (*qu.* 76. *art.* 2. *ad* 1.) ratione repræsentationis passionis Christi, ut supra. II. hoc, inquit, est conveniens usui hujus Sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis Christi in potum. III. ratione effectus, quia corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ. Consuetudo ergo communicandi solum fidelibus alteram speciem tantum est contra significationem Sacramenti, contra convenientem usum Sacramenti, contra effectum Sacramenti, atque neque potuit, nec debuit ab Ecclesia Romana contra pristinum ritum approbari, & lege sanciri. Confirmatur. Nam Eucharistia est cœlestis mensa, & sacrum convivium; sed ridiculum esset magnum instruere convivii apparatum ex dapibus sine potu, & multo magis ridiculum cibos, & vina apponere, ac prohibere invitatis, ne bibant: ergo id facere Christi Ecclesia non potest.

16. Pro priorum solutione ex doctrina D. Thomæ notandum, S. Doctorem in toto illo suo de Eucharistia tractatu indistinctim loquutum esse de Sacrificio, & Sacramento per continuas quæstiones ab 73. usque ad 81., unde fit, ut multa de Sacramento dicta sint ibi, quæ Eucharistiæ conveniunt, quatenus Sacrificium est, non quatenus merum Sacramentum. Notandum est item, dupliciter Eucharistiam su-

sumi posse. I. per realem, & corpoream manducationem, & potum. Et hoc convenit Eucharistiæ ratione specierum sensibilium, quæ franguntur manibus, teruntur dentibus &c. non ratione rei contentæ, id est, corporis Christi, quod neque dividitur, neque teritur dentibus; neque bibitur, neque alio modo sensibili afficitur, ut supra statutum est. (*lib.* 14. *prop.* 3.) II. suscipitur Eucharistia non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter modo apto, ut spirituales effectus in nobis operetur, sive spiritualem refectionem per fidem, & charitatem. Realis & corporea manducatio convenit primo, & per se speciebus sensibilibus; per accidens autem corpori, & sanguini, quatenus sub illis speciebus continetur, ut supra (*lib.* 14. *prop.* 3.) dictum est. Secunda autem, sive spiritalis manducatio competit primo, & per se corpori, & sanguini Domini; Speciebus autem, seu symbolis non nisi per accidens. In susceptione igitur corporali Eucharistiæ, & ejus effectu est distinctio cibi, & potus; sed in susceptione, & effectu spirituali non est cibi, potusque distinctio. Totus enim Christus sub quacumque specie & esuritur, & sititur, & manducatur, & bibitur. Hinc ad argumentum primum ex D. Thoma distinguo primam minorem: Spiritualis refectio corporali conformatur per analogiam quamdam, & proportionem quoad effectum, concedo; per strictam, & omnimodam similitudinem, nego. Spiritualis enim refectio totus Christus est, qui simul est & cibus, & potus sub quacumque specie. Unde ultimam item consequentiam explico. Ad integram rationem Sacramenti, qua Sacramentum est, duo concurrant &c. nego; ut sacrificium est, concedo. Ad secundum argumentum ex eodem D. Thoma dicitur; eas rationes congruentissimas esse, & opportunissimas de Sacramenti confectione, quæ est per modum sacrificii; non de Sacramenti dispensatione, in qua non est consideranda formalis significatio verborum, sed res ipsa, nimirum Christus, qui sumitur, in quo idem sunt cibus, & potus. Rationes itidem in tertio argumento allegatæ validissimæ sunt, nimirum, decuit duplicem speciem consecrari I. ut significaretur separatio sanguinis a corpore, quæ facta est in morte Domini. II. ut esset conveniens usui hujus Sacramenti, & posset utraque species dari fidelibus, sicut dabatur adhuc in multis Ecclesiis tempore S. Thomæ, & dabitur quando Ecclesia oportere judicaverit, licet nunc non detur, & antiquitus etiam multoties datum non fuerit. III. ad significandos diversos effectus, quos in anima, & corpore operatur. Verum hanc significationem diversam habet Eucharistia dum sub duplici specie conficitur, licet eam non habeat quando sub una specie sumitur. In sumptione enim, uti diximus, non significatio, sed effectus attenditur, & quæritur. Christus autem, qui totus sub unaquaque specie datur, & cibus est, &

po-

potus, & corpus suum æque nobis largitur, & sanguinem, atque ideo ad animi tuitionem, & corporis æque valet, ac si sub duplici specie daretur. Ad ultimam Confirmationem dicitur, in Altari, ubi paratur nobis mensa Domini, utrumque apponi, & cibum, & potum, panem, & vinum, corpus, & sanguinem. Esset autem ridiculum cibum largiri, & non potum, quando cibus distinctus est a potu: quum autem idem Christus, qui est animæ tota refectio, cibus simul sit, & potus, nunquam invitatis Ecclesia cibum dat sine potu, quamvis distincta symbola, sive species sensibiles cibus, & potus non omnibus largiatur, quod ad spiritualem refectionem necessarium non est.

16. Opponunt denique. Omnes rationes, quas Ecclesia habet, aut habuit ad communionem sub utraque specie abrogandam, & quas Catechismus Romanus, & Theologi Recentiores adducunt, aut saltem graviores eadem fuerunt ab exordio Ecclesiæ, ut irreverentiæ, & effusionis sanguinis periculum, ut difficultas conservandi vini consecrati, ne acescat, ut naturalis horror bibendi ex eodem Calice, ex quo multi aut immundi, aut morbosi biberint, ut penuria vini in multis regionibus &c. sed tamen his non obstantibus usque ad tempora D. Thomæ per tredecim sæcula Communio sub utraque specie Laicis data fuerat: ergo recens Ecclesia eam consuetudinem abolevit sine sufficienti ratione contra venerandæ antiquitatis ritum, & exemplum. Ad hoc argumentum, quod est in hac materia fortissimum dicitur: quamvis rationes essent omnino eædem, tamen secundum mores, usumque hominum majorem efficaciam habere in uno sæculo, Natione, Provincia &c. quam in alio. Præterea non ex sola intrinseca rationum efficacia, & indole legum valor, atque utilitas æstimanda est, nec in moralibus Metaphysica, aut Mathematica ακριτολογια quærenda, quod est ab Aristotele egregie dictum. Non solum enim justa, & rationabilis lex esse debet, sed etiam possibilis secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, tempori, locoque conveniens, ut ab Isidoro dictum est, & supra (*lib.* 8. *pr.* 1.) explicatum. Hinc multa de hoc ipso Eucharistiæ argumento antiquitus permittebantur simplicitati, & fidei veterum Christianorum, quæ nostris temporibus sunt meritissimo prohibita, quorum multa exempla in superioribus dedimus.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Eucharistia confert gratiam omni non indigne suscipienti.
D. Thomas qu. 79. *art.* 1.

1. PRobatur propositum apertissime ex multis Evangelii locis, ubi Christus se suscipientibus gratiam, vitam æternam, regnum cœlorum &c. promittit. (*Joan.* 6.) Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: ... qui manducat me, & ipse vivet propter me... qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hujus rei quoque mentionem fecit in ipsa institutione Eucharistiæ dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur..... hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur. Sine pœnitentia autem sunt dona, & promissa Dei, nisi ex parte nostra impedimentum apponatur: ergo quicumque non indigne suscipit Sacramentum, manet in Christo, & vivit per Christum; non autem aliter nisi per gratiam, & inhabitantem spiritum ejus in nobis: ergo &c. Idem habetur ex omnibus Patribus, & Conciliis Florentino præcipue, ac Tridentino, & communi omnium Catholicorum consensu.

2. Hunc autem effectum habet Eucharistia I., ex eo, quod in ipsa continetur, quod est Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens, vitam gratiæ contulit mundo, Gratia enim, (*Joann.* 1.) & veritas per JESUM Christum facta est, ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur juxta illud: (*Joann.* 6.) Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Nam vivificativum Dei Verbum, ut Cyrillus inquit, (4. *in Joannem cap.* 12. & 14.) conjungens se ipsum propriæ carni, fecit illam vivificatricem. Decebat enim eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ipsius carnem, & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem sanctificantem, & vivificativam in pane, & vino. II. ex eo, quod per hoc Sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi. Effectum enim, quem passio Christi fecit in mundo, hoc Sacramentum facit in homine. Unde super illud Joan. (*cap.* 18.) Continuo exivit sanguis, & aqua, dicit Chrysostomus: (*hom.* 84. *in Joan.*) Hinc initium habuerunt divina Mysteria. Quum ad tremendum Calicem accedis, quasi ab ipso Christi latere bibiturus accede. Et ipse Dominus dicit: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. III.: ex modo, quo hoc Sacramentum traditur per modum cibi, & potus. Omnes namque effectus, quos cibus, & potus materialis operatur in corpore, quod sustentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum præstat hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem.

lem. Unde in lib. de Sacram. (5. *cap.* 4.) dicit Ambros. Hic panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrys. dicit hom. 45. in Joann. Præstat se nobis desiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. IV.: ex speciebus, quibus Sacramentum hoc traditur panis nimirum, & vini, quæ ut Augustinus inquit, (*tr.* 26. *in Joan.*) ad unum rediguntur ex multis, namque aliud, nimirum panis ex multis granis conficitur, aliud, scilicet vinum, ex multis acinis confluit.... (*ibid.*) Sacramentum est pietatis, signum unitatis, symbolum charitatis. Et quia Christus, & ejus passio est causa gratiæ, estque spiritualis refectio, & charitatis vinculum; charitas autem sine gratia esse non potest, ex omnibus præmissis manifestum est, per hoc Sacramentum gratiam conferri.

3. Quoniam vero in Eucharistia præsens est Christus ipse fons, & author gratiæ, ex se ipsa habet virtutem conferendi gratiam, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus Sacramenti, saltem ex aliquo voto ipsius, vel proprio, sicut adulti, vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli. Nemo enim habet gratiam, nisi conjungatur Christo, eique incorporetur. Qui autem conjungitur, & incorporatur Christo, spiritualiter, & quodammodo virtualiter, & in voto ipsum manducat, & bibit.... Unde ex efficacia virtutis hujus Sacramenti (ratione rei contentæ) est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur. Restat ergo, ut quum ipsum Sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, & perficiatur spiritualis vita. Aliter tamen quam per Confirmationis Sacramentum. Nam ibi (*qu. cit. ad* 1.) gratia augetur ad resistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Hic autem augetur gratia ad hoc, ut homo in se perfectus existat per conjunctionem ad Deum. Ibi miles armatur; hic nutritur... Quia vero Sacramenta sunt signa practica, & operantur, quod significant; significant autem tuitionem animi, & corporis, ideo per quamdam analogiam, & similitudinem dixit Ambrosius supr. cit. corpus offerri pro salute corporis, & sanguinem pro salute animæ; in re tamen utrumque ad salutem utriusque operatur, quum sub utroque sit totus Christus. Et licet corpus non sit immediatum subjectum gratiæ; tamen ex animo redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti (*Rom.* 6.) exhibemus membra nostra arma justitiæ, & in futuro corpus nostrum incorruptionem sortietur, & animæ gloriam participabit. Est autem & ipsa animæ gloria singulari quodam modo effectus Eucharistiæ, ut infra declarabitur.

CO-

COROLLARIUM I.

4. Realis Eucharistiæ susceptio (*Art.* 3.) non confert primo, & per se gratiam primam, sive remissionem mortalium. Duplicem rationem affert S. Thomas. (*qu. cit. art.* 2.) Nam hoc Sacramentum operatur in nobis spiritualis vitæ refectionem, & nutrimentum; sed nutriri, & refici non potest, quod non est; non est autem vita spiritualis in eo, qui habet peccati non detestati conscientiam: ergo cum actuali peccati conscientia nequit Eucharistia suum spiritualem effectum operari. Præterea. Stante eo, quod hominem a Deo separat, atque avertit, non potest homo Deo incorporari, & conjungi; sed nihil separat inter Deum, atque hominem nisi peccatum: stante igitur peccato nulla est hominis ad Deum affectiva, & spiritualis conjunctio, quæ est hujus Sacramenti effectus. Id ipsum declarat apertissime Paulus dicens: (1. *Corinth.* 11.) Qui manducat, & bibit indigne, judicium, id est, damnationem sibi manducat, & bibit.... Gravatur enim mens magis Eucharistiæ perceptione, quam purificetur, ut est in lib. de Eccl. Dogmatib., (*cap.* 53.) & Patres omnes habent passim. Potest autem hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo, non perceptum actu, sed in voto, aut virtute, sicut dum quis primo justificatur a peccato; in ipso enim actu virtualiter Sacramentum Eucharistiæ suscipit, suscipiendo spiritualiter in se Christum, id est, rem Sacramenti, quamvis non realiter ipsum Sacramentum. Alio modo etiam realiter susceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed tamen devote, ac reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiat, & remissionem peccati. Hæc tamen remissio non est primo, & per se effectus Eucharistiæ, sed secundario, & per accidens. Hinc Suarezius, (*in hanc q. disp.* 63. *sect.* 1.) & multorum Theologorum opinio asserentium, per susceptionem Eucharistiæ interdum conferri primam gratiam, & peccatum mortale deleri. Contrarium tamen graves Theologi censent. Joannes Major (*dist.* 9. *q.* 1.) putat, ita accedentem ad Sacramentum denuo peccare. Sed hoc durissimum est. Bonaventura censet, illum non peccaturum, sed neque gratiam consequuturum. Ita in 4. dist. 9. qu. 3. art. 2., idemque dist. 12. artic. 4. qu. 2. Eademque videtur fuisse Alensis sententia in 4. dist. 9. qu. 41. memb. 3. & Gabrielis ibid. qu. 2. art. 2. Sed hi authores, si recte expendantur, non videntur a D. Thoma dissentire, nisi secundum modum loquendi. Docet enim S. Thomas in responsione ad tertium ejusdem 3. articuli, quod gratia est sufficiens causa remissionis

peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale, nisi quum primo datur homini peccatori. Sic autem, inquit, non datur in hoc Sacramento. Non igitur ex mente D. Thomæ unquam datur homini prima gratia per Sacramentum Eucharistiæ. Quum ergo ait in corpore articuli, hoc Sacramentum operari remissionem peccati mortalis, quatenus accedens sine conscientia, & sine affectu peccati devote, & reverenter, consequetur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiat, & remissionem peccati, intelligendum ita est, ut homo devote accedens ex bona fide, sine conscientia, & affectu peccati adjuvetur a Deo tali gratia, ut in perfectam contritionem erumpat, per quam remittatur ei peccatum, & gratia Sacramenti tunc effectum suum spiritualis alimoniæ, & refectionis sortiatur, quod non competit mortuo in peccatis. Et hoc ipsum asserit Alensis dicens, tunc Deum ei homini daturum auxilium, & donum, quo se præparet ad perfectam contritionem, & remissionem peccati. Nunquam ergo Eucharistia primo, & per se immediate, ac directe primam gratiam confert, quod erat propositum.

5. Loca autem Patrum passim ajentium, per Eucharistiam remissionem peccatorum fieri, animam lavari, purgari, mundari, pharmacum immortalitatis esse, mortis antidotum, scelerum ablutionem, vulnerum medicinam, ægrotantium sanitatem, extinguere peccata &c. intelligenda sunt vel de Eucharistia secundum rem contentam, nimirum, Christum, qui factus est nobis justificatio, & sanctificatio, & Redemptio, vel de iis peccatis, quorum conscientiam non habemus, juxta illud: (*Ps.* 50.) Ab occultis meis munda me, vel quia charitatem, & contritionem in nobis auget, per quam peccata remittuntur, vel quia per ipsam robur nobis datur ad vitanda deinceps peccata, ut infra declarabitur.

COROLLARIUM II.

6. Per realem Eucharistiæ sumptionem (*qu.* 79. *art.* 4.) venialia peccata remittuntur. Dictum est enim, hoc Sacramentum dari per modum nutrimenti, sive ad spiritualem refectionem. Refectio autem non est necessaria nisi ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis in corpore; spiritualiter autem quotidie aliquid deperditur per calorem concupiscentiæ, & aliarum passionum naturalium: septies enim (*Prov.* 24.) in die cadit justus: ergo Eucharistiæ nutrimentum necessarium est ad charitatis jacturam reparandam, quod fieri non potest nisi per venialium, & quotidianorum peccatorum remissionem. Item: per hoc Sacramentum charitas augetur, uti dictum est. Augetur autem non solum quantum ad ha-

bi-

bitum, sed etiam quantum ad actus, quos in sumentibus excitat præsentia Christi; sed per actus ferventiores charitatis remittuntur venialia, ut alibi (*lib.* 9. *prop.* 3.) dictum est: Eucharistia ergo per se confert ad venialium remissionem. Confirmatur ex Ambros. in 5. de Sacramentis: (*cap.* 4.) Panem hunc quotidie sumi in quotidianæ infirmitatis remedium. Similia Augustinus relatus in cap. utrum de Cons. dist. 2. Greg. ibidem relatus cap. quid. Hoc Sacramentum, inquit Bernardus, (*serm. de Cæn. Dom.*) minuit sensum in minimis, & in gravioribus tollit omnino consensum. Sedat, inquit Cyrillus, (*lib.* 3. *in Joan.*) sævientem membrorum nostrorum legem. Pravas affectiones corrigit, inquit Nyssen. (*orat. Cat.* 37.) Omnes internos vermes mortificat, inquit Chrysostomus. (*homil.* 4. *in Math.*) Venialia delet, ait Innocent., (*lib.* 4. *de Sac. Myst. altar. cap.* 44.) ex quibus Tridentinum sess. 13. cap. 1. definit., Eucharistiam liberare nos a venialibus.

COROLLARIUM III.

6. Per sumptionem Eucharistiæ (*qu.* 79. *art.* 5. & 7.) non tollitur reatus pœnæ temporalis. Considerata enim ut merum Sacramentum dupliciter habet effectum. I. directe, & ex vi Sacramenti, sive ut loquuntur Theologi, ex opere operato. Sic autem solum habet illum effectum, ad quem est instituta. Non est autem instituta Eucharistia ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus, uti dictum est. Non igitur directe pœnam remittit. Sed quia conjunctio hæc cum Christo, & membris ejus fit per charitatem, & ex fervore charitatis consequimur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, inde est, quod ex consequenti, sive per quandam resultantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem semper totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris. De remissione autem pœnæ, quæ est effectus Eucharistiæ, ut sacrificium est, supra (*lib.* 14. *prop.* 5.) diximus. Rationem autem discriminis assignavit D. Thomas. Nam rationem sacrificii habet, quatenus offertur; rationem Sacramenti, quatenus in cibum sumitur. Munus autem quodvis pro aliis, & nomine aliorum offerri potest; cibus autem non potest pro aliis, aut nomine aliorum sumi, ita ut alteri, præter sumentem, noceat, aut prosit. Praxis ergo fidelium, non solum rudium, sed etiam cultiorum applicandi Communionem pro aliis seu vivis, sive etiam defunctis, ita probanda est, si intelligant non Eucharistiam a se sumptam aliis prodesse posse, sed aliis prodesse per modum impetrationis, & suffragii devotionem, & charitatem, quam in ipsis Eucharistia auget, & excitat ad aliorum salutem procurandum, & pro eis orandum. Qui-

bus enim Christus præsens supplicandi, & orandi præstat affectum; etiam supplicantibus tribuet pium benignus auditum.

COROLLARIUM IV.

7. Præservatio a peccato (*qu.* 79. *art.* 6.) est effectus proprius Eucharistiæ. Peccatum enim est quædam mors animæ: ergo eodem modo præservatur anima a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura. Præservatur autem a morte dupliciter. I. quidem, quatenus natura humana interius munitur contra corruptiva, & hoc fit per cibum innoxium, & medicinam. II. per hoc, quod corpus munitur adversus exteriores impugnationes, & sic præservatur per arma, quibus munitur corpus. Sed per Eucharistiam tanquam per verum cibum, & potum animæ vita spiritualis roboratur, vires augentur, reparanturque tanquam per spiritualem medicinam. Est item spiritualis armatura. Paratur enim mensa Domini adversus omnes, qui tribulant nos, & signum Passionis Christi, per quam victi sunt hostes animæ, efficimurque per eam Diabolo terribiles, ut est apud Chrysostomum. (*homil.* 45. *in Joann.*) Item: Effectus proprius Eucharistiæ est gratiæ, & charitatis augmentum; sed augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; radix autem (1. *Timoth. cap.* 6.) omnium malorum est cupiditas: ergo per Eucharistiam omnium malorum radix, & consequenter omnia inde exorta mala vitantur. Inde Innoc. III. (*loc. cit.*) venialia delet, cavet mortalia. Tridentinum quoque (*sess. cit. cap.* 2.) effectum hujus Sacramenti esse, ait, liberare a venialibus, & præservare a mortalibus. Est enim panis (*Ps.* 103.) cor hominis in bono confirmans, atque (*Joann.* 6.) e cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur: præservat ergo a morte; non autem corporis, ut planum est: ergo a morte animæ, id est, a peccato. Timendum est ergo, inquit Cyprian. orationem Dominicam exponens, ne dum quis abstentus separatur a corpore Christi, procul remaneat a salute, comminante ipso, ac dicente: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis .... (*ep.* 54.) Mens enim deficit, quam recepta Eucharistia non erigit, atque accendit.... Sedat quippe Christus in nobis manens sævientem membrorum nostrorum legem, ut est apud Cyrillum citatum, (4. *in Joann. cap.* 17.) pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, eaque potione affectus fidelium inebriatus, ut est apud Ambrosium, (*in ps.* 118.) curas sæculi hujus, mortis metum, solicitudinemque deponit.... (*in Cate. Pii V.*) sensum libidinis cohibet.... (*Zach.* 9.) frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines. Hunc vero effectum habet Eucharistiæ susceptio

per

per auxilia supernaturalia virtute ipsius Sacramenti homini collata. Sub auxiliis autem comprehendimus, ut recte monet Suarezius, (*Disput. cit. Sect.* 9.) omnem rationem divinæ providentiæ hominem gubernantis, atque ita protegentis, ut vel illum ab tentationibus liberet, vel ad eas superandas vires præbeat, sive hoc faciat per varias illuminationes intellectus, sive per pios motus voluntatis, sive removendo exteriores occasiones peccandi, sive Dæmonis audaciam cohibendo, aut aliis sibi notis modis.

COROLLARIUM V.

8. Eucharistiæ realis susceptio (*qu.* 79. *art.* 2.) confert singulare quoddam jus ad Resurrectionem, & immortalitatem corporis gloriosam. Nam nulli Sacramento promissa est singulariter resurrectio ad vitam, nisi Eucharistiæ, de qua dictum est: (*Joann.* 6.) Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam in anima, quæ spiritualiter reficitur per cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam .... Et (quantum ad corpus) ego resuscitabo eum in novissimo die: sumptio ergo Eucharistiæ confert ex promissione Christi singulare jus resurrectionis ad vitam. In Eucharistia enim duo considerari possunt, ait D. Thomas, nimirum, id, ex quo habet effectum, nimirum, Christus in ea contentus, qui factus est in se credentibus causa salutis æternæ per passionem suam, quæ in ipsa, & per ipsam Eucharistiam repræsentatur, & id, per quod habet effectum, nimirum, usus Sacramenti, & species ejus. Et quantum ad utrumque convenit Eucharistiæ, quod causet adeptionem gloriæ. Nam Christus, qui in Eucharistia continetur, per passionem suam aperuit nobis aditum æternæ vitæ. Ideo enim novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, hæreditatem accipiant repromissionis, qui vocati sunt. Unde & hic calix novi testamenti dicitur. Similiter refectio spiritualis, & unitas significata per species panis, & vini habentur quidem in præsenti vita, sed imperfecte; perfecte autem in statu gloriæ. Unde Augustinus dicit (*tr.* 26.) super illud Joannis 6. Caro mea vere est cibus &c. Quum cibo, & potu id appetant homines, ut neque esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi cibus cœlestis, & potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit, atque unitas plena, atque perfecta.

9. Confirmatur ex Nicæno Concilio, ubi Eucharistia Symbolum Resurrectionis dicitur, & ab Ignatio in 14. ad Ephes. pharmacum immortalitatis, ab Cyrillo (4. *in Joan. cap.* 17.) cibus nutriens ad immortalitatem, atque æternam vitam, & ab universa Ecclesia futuræ glo-

gloriæ pignus apud Tridentin. sess. 13. (*cap.* 2.) Nec enim aliter poterat corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatem traduci, vitamque perpetuam, nisi naturalis vitæ corpus illi conjungeretur, quod ab Cyrillo Alexandrino (11. *in Joan. cap.* 27.) dictum est .... Ita ergo corpora nostra post Eucharistiam acceptam jam corruptibilia non sunt, spem resurrectionis in se habentia, ut dixit Irenæus. (*lib.* 4. *cap.* 34.) Nam si ad contactum cadaveris Elisei revixit homo, & stetit super pedes suos, quomodo non resurgent ad immortalitatem corpora, quæ Domini vivo, & vivifico corpori conjuncta, ac per ipsum sanctificata sunt? Animam enim, & corpus Eucharistia sanctificat, inquit Cyrillus Hierosolym. Catech. 4. ad animæ, & corporis tuitionem valet, inquit Ambros. supr. cit. cedit in animæ, corporisque præsidium, ait Damascenus; (*lib.* 4. *cap.* 14.) pravas nostri corporis affectiones corrigit, ut Nyssenus, (*Cath.* 37.) sedat sævientem membrorum nostrorum legem, ut Cyrillus alter supra cit. ardorem concupiscentiæ extinguit, fomitem minuit, ut passim Patres, ac Theologi loquuntur.

10. Hanc autem corporis sanctificationem, & jus ad gloriosam resurrectionem operatur Eucharistia, non immediate in corpore, neque enim corpus immediatum gratiæ subjectum est; sed in ipsa anima, ex qua redundat effectus ad corpus, dum Christus in Eucharistia præsens tribuit animæ robur & vires, auxiliaque supernaturalia, ut ita corpus regat, ut fiat instrumentum dignum operationum sanctarum, per quas ipsum immortalis vitæ mereatur habere consortem. Dices vero. Beatitudinem deberi gratiæ, quæ est semen gloriæ; sed gratia haberi potest sine reali susceptione Eucharistiæ, ut ostensum est: (*in præc.*) ergo &c. Explico majorem: beatitudo animæ, sive Essentialis, consistens in cognitione intuitiva Dei, debetur gratiæ, concedo; beatitudo corporis, nego. Sed instabis: Beatitudo animæ perfecta esse non potest, quin redundet in corpus. Nego assumptum: nam Christus in vita mortali fuit perfectissime beatus, quin gloria animæ redundaret in corpus. Et item animæ Sanctorum, quæ cum Christo regnant in cœlis, sunt in beatitudine essentiali perfecta ante Resurrectionem. Dices: Hoc in Christo contigisse miraculose; naturaliter autem beatitudinem animæ in corpus redundare debere. Distinguo assumptum: naturaliter redundare debere, quando corpus fuerit animæ conjunctum, concedo; si non supponatur conjunctum, nego. Igitur, supposita Resurrectione, gloria animæ, aut pœna naturaliter resultat in corpus; sed gloria animæ non secum affert resurrectionem corporis, ut patet in Beatis hominibus ante diem novissimum. Dices iterum: Multi sine reali susceptione Eucharistiæ resurgent ad vitam, ut parvuli, & alii, qui ante susceptam Eucharistiam obierunt. Multi

item

item contra, suscepta Eucharistia, ad vitam non resurgent, ut qui post Eucharistiam susceptam in peccato moriuntur: ergo susceptio realis Eucharistiæ non fundat singulare jus ad resurrectionem corporis gloriosam. Nego consequentiam. Non enim dicimus, unionem Sacramentalem cum Christo dare tale jus, ut sine ea nemo possit ad vitam resurgere. Non enim Christus ita alligavit virtutem suam Eucharistiæ, aut alii Sacramento, ut non possit effectum Sacramenti sine Sacramento tribuere, cui, & quando voluerit, quod sæpe a D. Thomæ dictum est. Quod autem multi post acceptam Eucharistiam non resurgant ad vitam, non ideo est, quia Eucharistia non fundet singulare jus ad Resurrectionem gloriosam; sed quia per peccatum finalis impœnitentiæ jus, quod acquisiverant, amiserunt, sicut amiserunt jus ad regnum, quod acquisierant per gratiam.

COROLLARIUM VI.

11. Nulla indispositio tollit omnem effectum Eucharistiæ præter mortalis peccati conscientiam. (*qu.* 79. *art.* 8.) Nam peccata venialia aut sequuntur susceptionem Eucharistiæ, aut ipsam præcedunt, aut ipsam comitantur. Et siquidem Eucharistiæ susceptionem sequantur, effectum Eucharistiæ impedire non possunt. Prius enim per posterius non impeditur, ut planum est. Si autem præcedunt, nullo modo possunt impedire Eucharistiæ effectum, quum per ipsam Eucharistiæ sumptionem deleantur, uti dictum est. Potest enim contingere, & contingit sæpius, ut quis post multa venialia commissa, devote accedat ad hoc Sacramentum, & ejus effectum nimirum gratiæ, & charitatis augmentum consequatur plenarie. Peccata autem venialia, si in ipsius Sacramenti susceptione commitantur, non ex toto impediunt Sacramenti effectum, sed solum ex parte. Dictum est, quod effectus hujus Sacramenti non est solum adeptio habitualis gratiæ, & charitatis, sed etiam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Cibus enim non solum sustentat corpus, ejusque vires auget, & reparat, sed etiam appetitum sedat, ac delectat. Hic autem effectus impeditur, si aliquis accedat ad Eucharistiam per peccata venialia mente distractus; non tamen tollitur effectus præcipuus Sacramenti, qui est augmentum habitualis charitatis, & gratiæ. Eodem fere modo, quo accedens ad cibum male affecto palato, dulcedinem quidem, & suavem cibi saporem non percipit; cibo tamen non ideo minus reficitur, alitur, ac fovetur. Hæc ex D. Thoma, qui tamen pro contraria sententia allegari solet in 4. sentent. dist. 12. qu. 2. art. 1. ubi ait, effectum Eucharistiæ impediri ex defectu actualis conversionis animæ in Deum. Sed vel aliter intelligendus est, vel certe in

Sum-

Summa Theologica sententiam illam correxit. Igitur, ut est apud Tridentinum, (*Sess.* 13. *cap.* 7.) ipsa Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse ad Eucharistiam accedenti, ut nullus sibi conscius peccati mortalis .... accedere debeat. Quam rem late exponit Suarez disp. 63. sect. 3. duabus his assertionibus. Dico primo: Peccatum veniale actu concomitans sumptionem Eucharistiæ non impedit gratiæ, & charitatis augmentum..... Dico secundo: Nulla actualis dispositio (nimirum positiva) necessaria est, ut hoc Sacramentum conferat augmentum gratiæ, & charitatis. Si enim aliqua actualis, & positiva dispositio necessaria esset, non posset Eucharistia dari parvulis, amentibus, fatuis &c. qui nullius positivæ dispositionis actualis capaces sunt. Sacramenta operantur ex virtute Christi, non ex virtute dispensantis, aut suscipientis: ergo ad eorum effectum percipiendum sufficit obicem non ponere; sed obex ad gratiam nullus est nisi mortale peccatum. Deinde si aliud aliquid requireretur necessario, id insinuasset Christus, insinuasset Paulus Apostolus, qui tamen nihil jubet, nisi ut probet se ipsum homo, ne manducet indigne: hæc autem probatio qualis sit, exponit Tridentinum dicens, eam probationem necessariam esse, ut nemo sibi conscius peccati mortalis accedat. Quid est autem hoc loco se probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum exhibere? ... (*Greg. in* 1. *Reg. cap.* 1.) Salutem enim non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleverant flagitia, portant in mente. (*Chrys. hom.* 83. *in Math.*) Nullus accedat immisericors, nullus crudelis, nullus impurus.... (*Aug. Serm. de temp.*) Innocentiam ad altare portemus.... (*Chrys. hom.* 83. *in Math.*) Nemo sibi peccati conscius.... (*Chrys. ib.*) nemo aliqua improbitate detentus accedere permittatur... (*Aug. tract.* 26. *in Joan. & alibi.*) Si prava conscientia accesseris, ad supplicium accessisti... (*Damasc. lib.* 4. *cap.* 14.) Sume cum munda conscientia.... (*Idem hom.* 45. *in Joan.*) Ab omni inquinamento carnis, & spiritus purus accede.... (*Bas. Serm.* 1. *de Bapt. p.* 3.) Mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus Medicina tribuatur, deinde mensæ cœlestis exhibeatur alimonia. Hæc Patres Chrysostomus, (*Amb. lib.* 6. *in Luc. cap.* 9.) Augustinus, Ambrosius, Basilius, Damascenus, quos cum aliis multis videre est passim citatos apud Scholasticos, & Mysticos Theologos. Invenientur, & longe plura his Sanctorum loca in quibus ab communicaturis actualem fidem, charitatem, timorem, ac tremorem, dolorem, devotionisque omnis affectus tenerrimos, ac vehementissimos videntur exigere. Et exigunt quidem meritissimo, quum Sacramenti ipsum omnium excellentissimi, tum infirmitatis nostræ ratione habita. Nam & ramusculum detortum olitor in contrariam partem

tem

tem deflectit, ut rectus exsurgat, & prudens mercator iniquum poscit, ut justum ferat.

12. Subjectum igitur Eucharistiæ suscipiendæ capax est omnis homo baptizatus, qui baptismum per subsequens peccatum non polluerit, aut qui peccatum post baptismum commissum vera Pœnitentia expiaverit. Dixi: *Baptizatus*. Nam Catechumeni, quamvis per baptismi votum sanctificari possint, Eucharistia tamen iis dari nec debet, nec licite potest. Dixi: qui baptismum per subsequens peccatum non polluerint. Unde parvulis, qui peccati sunt incapaces, & pueris Calicem datum simul cum baptismo, & panis consecrati particulas constat ex Nicephoro, & Sozomeno, ex Cypriano tertii Sæculi scriptore, ex Ambros. in 4., ex Aug. in 5., ex Gregor. in 6., ex Conc. Toletano XI. in 7., ex Ordin. Romano scripto, ut communiter creditur, sæculo 8., ex Paschali II. ineunte sæculo 12. ap. Baron. ad annum 1118. D. Thomas quidem (*qu.* 80. *ar.* 9. *ad* 3.) Græcos, ait, hòc facere propter hoc, quod Dionysius dicit in 2. de Cœl. Hierarch. (*cap.* 2.) baptizatis communionem sacram esse dandam, non intelligentes quod Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum. At non solum Græci, sed etiam Latini hoc fecerunt, non authoritate Dionysii, sed multorum & Græcorum, & Latinorum testimoniis inducti. Cujus rei testis est locupletissimus Tridentinum Concilium sess. 21. cap. 4. ubi quum definiisset, parvulos ratione carentes nulla teneri obligatione, ad Sacramentalem Eucharistiæ susceptionem, declarat, non esse damnandam antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim, inquit, Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerint, ita certe id eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est. Nunc ergo Eucharistiam hujusmodi parvulis conferre omnino est illicitum; liceret autem seclusa Ecclesiæ constitutione.

13. Parvulis autem affines sunt omnes rationis usu carentes. (*qu.* 80. *art.* 9.) Dupliciter autem dicuntur quidam usu rationis carere. Uno modo quia usum rationis habent debilem, sicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis optantibus, & petentibus denegandum, saltem in necessitatis articulo. Alio modo dicuntur aliqui carere usu rationis, quia omnino sunt rationis expertes, ut furiosi, amentes, phrenetici. Hi vero aut nunquam habuerunt rationis usum, sed sic a nativitate permanserunt, & talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nulla præcessit hujus Sacramenti notitia, ac devotio. Vel non semper caruerunt usu rationis, & tunc si prius, quando erant sui compotes, apparuit in eis aliqua devotio, aut votum, debet eis, quamvis extra se positis, Eucharistia ex-

hiberi in mortis saltem articulo, nisi forte timeatur vomitus, aut aliud irreverentiæ periculum, quod generaliter in omnibus semper est observandum. Unde dicitur in Conc. Carthag. IV. & habetur in cap. Is, qui 26. qu. 2. Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus accedit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim inciderit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Etsi continuo moriturus credatur, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia... De Energumenis porro baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, eadem est ratio, quæ de furiosis, atque amentibus. Unde his Communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam, ait Cassianus. (*Collat.* 7. *cap.* 29.) Et Timoth. Alexandrinus in suis Responsionibus (*cap.* 3.) dicit, obsessos a Dæmone statis temporibus, quando nimirum vexatio cessaverit, communicandos. Concilium tamen Illiberitanum (*can.* 37.) solum in mortis articulo. Dum vero Can. 39. dicitur, Energumeni, qui ab erratico spiritu vexatur, nomen neque ad Altare cum oblatione esse recitandum, intelligendum est de Energumeno, qui ob publicum, & scandalosum aliquod crimen, ob quod excommunicari meruerat, Dæmonum potestati traditus est.

14. Denegatur quoque Eucharistiæ communio Pœnitentiæ publicæ subjectis, donec injunctæ Pœnitentiæ tempore expleto Ecclesiæ reconciliati fuerint, etiam si ante ejus expletionem mori contigerit. Unde etiam ortum est, ut Reis damnatis ad mortem Eucharistia non detur. Cujus ratio est: Nam ex quo aliquis per publicam sententiam legitimi judicis damnatus est ad mortem, publicus peccator declaratur, publicus autem peccator publice tenetur pœnitere, & nisi pœnitentia expleta, non potest ad Eucharistiæ communionem admitti. De Pœnitentia autem Rei in carcere reclusi non potest Ecclesiæ publice constare non ergo potest ab Ecclesia saltem per modum publici, & solennis Viatici, ad Eucharistiæ communionem admitti. Circa hoc tamen varia est Ecclesiarum disciplina. Mediolani dari hujusmodi Reis Eucharistiam per modum Viatici, patet ex Synodo V. sub S. Carolo, & in Belgio ex Synod. Mechliniens. Alibi, semper tamen, ante ipsum diem supplicii datur eis privatim Communio, non per modum Viatici. In Gallia, omnimodo Eis communio denegatur. Quamvis autem id improbaverit Conc. Remens. sub Sonnatio. Et olim in Hispania, quam consuetudinem improbarunt quidam cum Soto (*in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *art.* 2.) Theologi, dolentes reos tanto beneficio privari. Verior est tamen prima sententia, quam etiam sex Lovanienses Doctores ann. 1685. eamque docuit Thelogorum præstantissimus S. Thom. (*in* 4. *dist.* 9. *qu.* 1. *ad* 3. *q.* 2.) Nam si suspicio, inquit, sce-

le-

leratæ vitæ, aut publici peccati sit ex fama publica, non debet ei dari (nimirum Peccatori Eucharistia) nec in manifesto, nec in occulto. Sed de damnato ad mortem non sola suspicio est ex fama publica, sed certum judicium, publica non fama, sed sententia, & authoritate comprobatum: ergo (quod est in Rituali Rom.) ab communione arcendi sunt, donec de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo prius (publice) satisfecerint, quod ad mortem damnati præstare non possunt. Quod si dum ad supplicium ducuntur, publica protestatione scelus suum confiteantur, absolvi petant &c. non est eis communio concedenda, non quidem ex defectu publicæ pœnitentiæ, & satisfactionis; sed ob reverentiam Sacramenti, propter quam, etiam in iis Ecclesiis, ubi eis Eucharistia dari consuevit, ante diem supplicii datur. Nonnulla, quæ hic desiderari possent, infra tangentur (*lib.* 17. *prop.* 11.) quum de præcepto Ecclesiastico annuæ communionis agetur.

Dogma Ecclesiæ circa Eucharistiam, ut Sacramentum est, & hucusque asseruimus, his Concilii Tridentini Canonibus continetur.

Canon. IV. Sess. 13. Si quis dixerit, peracta Consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini N. J. C., sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere corpus Domini; anathema sit.

Canon. V. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idolatras; anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non liceret, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter, ac realiter; anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur; statuit, atque declarat Sancta Synodus, illis, quos scientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excomunicatus existat.

Can. I. Sess. 21. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

Can. III. Si quis negaverit, totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem, & authorem, sub una panis specie sumi, quia ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutione sub utraque specie sumatur; anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Euchasistiæ communionem; anathema sit.

IN-

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER DECIMUS SEXTUS.

De Pœnitentia, Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio.

PRÆFATIO.

QUatuor hæc postrema Sacramenta prorsus rejiciunt nostri temporis Hæretici, de iisque latissime disputant Theologi Scholastici in 4. librum Sententiar. Nos institutæ methodo adhærentes simul, dum Ecclesiæ Catholicæ dogma probabimus, obiter Scholasticas quæstiones attingemus, quatenus ad dogmatis explicationem necessarium arbitramur, Morales, & practicas decisiones, quæ ex primis, ac simplicibus principiis derivantur, Casuum, quos Conscientiæ vocant, Scriptoribus innumeris relinquentes.

PROPOSITIO I.

Pœnitentia est verum novæ Legis Sacramentum.

AD hujus autem propositionis probationem duo præmittenda sunt, & probanda Lemmata, quorum primum est hujusmodi.

LEMMA I.

Est in Ecclesia Christi potestas remittendi peccatum quodvis.

1. Probatur id primo apertissime pro iis, qui se dicunt credere Scripturis, ex verbis Christi ad Petrum: (*Mat.* 16.) Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis &c. Quod autem Petro tanquam Ecclesiæ Capiti, & fonti Ecclesiasticæ jurisdictionis promiserat, id deinde cunctis Apostolis promisit, dicens: (*Mat.* 18.) Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Jam vero quam Petro primum, & reliquis facultatem Apostolis promiserat, tandem perspicuis verbis contulit apud Joan. (*cap.* 20.) dicens: Accipite Spiri-

tum

tum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Si igitur clausum adhuc cœlum putas, quod ajebat Tertullianus in Scorpiaco, (*cap.* 10.) memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ tradidisse... Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, inquit Tridentinum, (*Sess.* 14. *c.* 1.) potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, & Novatianos hanc potestatem olim pertinaciter negantes, Ecclesia Catholica merito tanquam Hæreticos explosit, & condemnavit. In quibus Tridentini verbis duo alia includuntur argumenta in rebus Theologicis potentissima. Primum universorum Patrum consensus. Doctrina enim universorum Patrum est doctrina Ecclesiæ, quam audire tenemur, & quæ errare non potest, aut deficere, ut supra, (*lib.* 11. *prop.* 7.) quum sit columna, & firmamentum veritatis. Secundum autem argumentum judicium est, & praxis Ecclesiæ, quæ ut Hæreticos habuit, ac proscripsit eos, qui talem potestatem negabant, non est autem unquam ut Hæreticus quisquam habitus, nisi qui dogma Catholicum negavit: potestas ergo remittendi peccata, ut dogma Catholicum habendum, ac propugnandum est. Primum argumentum de consensu Patrum facili, & obvia eruditione confirmari posset innumera Patrum per singula Ecclesiæ sæcula testimonia recensendo. Secundum vero per inductionem item obviam Gnosticorum, Cajanorum, Montanistarum, Novatianorum, Waldensium, Wiclefistarum, & cæterorum, qui aut prorsus, aut ex parte aliqua eam Ecclesiæ facultatem, atque authoritatem a Christo concessam denegarunt.

2. Probatur secundo ratione eadem veritas. Nam finis Christianæ Societatis, sive Ecclesiæ est perductio hominum ad vitam sempiternam: Christus ergo Ecclesiam instituens, ei necessario contulit facultates omnes ad hunc finem necessarias; ab æterna autem vita nemo excluditur nisi per peccatum vel originale vel actuale: ergo opus fuit, ut Ecclesia haberet authoritatem, & media necessaria ad peccatorum remissionem, quum nemo sit mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. Dicetur forte, hanc facultatem non fuisse necessariam, sicut non fuit necessaria in veteri Synagoga, & tamen tunc hominibus remittebantur peccata per pœnitentiam, quæ est virtus, seu per contritionem, & conversionem interioris hominis ad Deum, nulla interveniente Synagogæ authoritate. Sic enim vero David, & peccatores reliqui operati sunt justitiam, & adepti sunt repromissiones. Hæc tamen evasio vim nostræ argumentationis non enervat. Licet enim Pœnitentia, quæ virtus est, semper fuerit, sitque etiamnum remedium peccati independenter ab ministerio

rio Sacerdotum, nunquam tamen remedium peccati fuit nisi dependenter ab promissione Dei propter merita Christi; meritum autem Christi, uti docet D. Thomas, (3. *p. qu.* 72. *art.* 6.) diversam habet efficientiam, & influxum in Ecclesiam, cui est physice præsens, quam in eam, cui solum erat præsens in figuris, & umbris excitantibus fidem parentum, ad quorum devotionem, & dispositionem commensurabantur operationes veterum Sacramentorum. Sicut ergo non paria erant Sacramenta, ita nec pares sunt Synagogæ, & Ecclesiæ facultates, quamvis utraque eas habuerit in Christo, & per Christum. Hinc quamvis etiam nunc contritio, & perfecta charitas cœlum nobis aperiat independenter a clavibus Ecclesiæ, quia tamen perfecta illa charitas paucorum est, subvenitur infirmitati multorum per claves Ministris datas, per quas dantur nobis Sacramenta virtute majora, numero pauciora, actu faciliora, quod est apud Augustinum, (19. *contr. Faust. cap.* 13. *in Ps.* 73.) supplente nimirum Ecclesiæ authoritate, per meritum Christi nobis applicatum ex opere operato, quod deest operibus, ac dispositionibus operantis. Responderi secundo potest, potestatem datam Ecclesiæ non esset aliam a potestate prædicandi verbum Dei, & baptizandi. Dictum est enim: (*Luc. ult.*) Quoniam oportet prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, ubi per pœnitentiam, & remissionem peccatorum non intelligitur nisi illa, quæ fit in baptismo, de qua dictum est: (*Act. Ap. cap.* 2.) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine D. JESU Christi, unde & dicitur Baptismus Pœnitentiæ. Sed neque hæc responsio argumentum enervat. Nam ad finem Christianæ societatis, qui est perducere homines ad vitam æternam, non solum opus est, ut remittantur ipsis peccata in infidelitate commissa, sed etiam illa, quæ post baptismum forte committi possent. Non enim baptismus homines ab omni in futurum peccato facit immunes, ut quidam somniarunt; sed peccata post baptismum commissa non possunt per fidei auditum, & per baptismum remitti: ergo pœnitentia, & remisio peccatorum prædicanda in nomine JESU non est illa solum, quæ fit per baptismum, sed etiam, quæ peccantibus post baptismum est necessaria.

LEM-

LEMMA II.

Hac potestate ab Apostolorum ætate constanter Ecclesia usa est.

3. Patet id exemplo incestuosi illius Corinthii, de quo Paulus: (2. *ad Cor.* 2.) Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.... obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem .... Si quid donastis, & ego. Jus autem (*Ambrosius* 1. *de Pœn. cap.* 7.) sibi vendicavit Paulus acceptum, (a Christo) non usurpavit indebitum..... Quum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos authoritate dimittendum negatis? Quis reverentior in Christum, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum misericordem. Noverat Dominum JESUM severitate magis discipulorum, quam lenitate, & misericordia offensum.... (*Aug. hom.* 49.) Nemo igitur sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoscit, quid in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terris, erunt soluta & in cœlis? Ergo sine causa sunt claves Ecclesiæ datæ? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.

4. Apparet secundo ex historia apud antiquos receptissima, quam ex Clemente Alexandr. refert Eusebius, (3. *hist cap.* 23.) & Chrysostomus in 1. ad Theodor. cap. 11. de juvene post baptismum perditissimo, & Latronum duce facto, quem Joannis Apostolus revocavit, & ad Christum iterum convertit. Cui similia sunt innumera in omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis exempla. Quid enim est, quo Ecclesiam ab usu potestatis sibi a Christo traditæ, & filiis suis saluberrimæ impedire, aut avocare posset? Imo quid, quod ejus potestatis usum non suaderet? Agitur enim Ecclesia Spiritu Dei. Deus autem sæpissime in Scripturis suis protestatur; (1. *Tim. cap.* 2.) se velle omnes homines salvos fieri; (*Ezech. cap.* 33.) se nolle mortem peccatoris.... (*idem. cap.* 18.) non esse voluntatis suæ mortem impii, sed magis ut convertatur a viis suis, & vivat.... (*Petr.* 2. *cap.* 3.) nolle se aliquos perire, sed magis ad pœnitentiam reverti. Invitat item (*Isai. cap.* 1. & *Ezech. cap.* 18.) ad pœnitentiam, imo impœnitentibus comminatur. (*Luc. cap.* 13.) Non comminaretur autem, quod Tertullianus inquit, (*de pœn. cap.* 8.) non pœnitenti, nisi pœnitenti ignosceret.... Nos autem, inquit Pacianus, (*ep.* 1. *ad Sympron.*) sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam postulantibus relaxamus, Christo id authore facimus.... Quod per suos Sacerdotes facit Christus, sua potestas est.... (*ep.* 3.) Quod facimus, non nostro jure, sed Domini. Dei enim adjutores sumus.... (*Am-*

bros. 1. *de pæn. cap.* 2.) Pro Christo legatione fungimur . . . . Ipse dixit in Evang. suo: Accipite Spiritum Sanct., quorum remiseritis peccata &c. Quis magis eum honorat, qui mandatis ejus obtemperat, & data ab eo facultate utitur, an qui resistit? . . . Cur baptizatis, si per hominem remitti peccata non licet? (*ibid. cap.* 8.) In baptismo enim utique peccatorum omnium remissio est. Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis: In lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne nomen Dei operatur? Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quid ergo? ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam; ubi vultis, repudiatis. Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est . . . . . Sed dicetis: Apostolis quidem concessam esse a Christo potestatem dimittendi peccata; non aliis. Ergo & baptizare solis licet Apostolis, reponit Pacianus, (*loc. cit.*) & Spiritum Sanctum solis dare, & solis Gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est. Si ergo & Lavacri, & Chrismatis potestas majorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus Episcopis adest, atque solvendi. Quod si dicant, ligandi facultatem per Ecclesiastica vincula adesse quidem Apostolorum successoribus, non vero facultatem remittendi, ac solvendi peccata, reponit Ambrosius, seu quis est author librorum de Pœnitentia, (*loco cit.*) ad eandem pertinere potestatem ligare, & solvere. Dominus enim par jus esse voluit ligandi, & solvendi, qui utrumque pari conditione permisit. . . . (*cap.* 1.) Nemo enim potest agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam . . . . (*cap.* 16.) Frustra ergo dicitis prædicare pœnitentiam, vos, qui fructum pœnitentiæ aufertis. Homines enim ad studium aliquod aut præmiis, aut fructibus incitantur, omne autem studium dilatione torpescit. Hæc Patres in Novatianos, in Montanistas, & alios, qui facultatem quodvis peccatum remittendi Ecclesiæ denegarunt.

5. Probatur hinc denique ejusdem lemmatis veritas. Nam cur in eos Hæreticos ab omnibus omnium Ecclesiarum Pastoribus conclamatum est, ab Apollinari Hierapolitano, ab Serapione Antiocheno, ab Cypriano Carthaginensi, ab Lugdunensibus Martyribus, ab Dionysio Alexandrino, ab Firmiliano Cappadoce, ab Paciano Barcinonensi, ac denique, Tertulliano teste, (*lib. de Pudicit. cap.* 1.) ab Zephyrino Romano, si non ubique, si non semper, si non quorumvis peccatorum remittendorum in Ecclesia usus fuerat? Nam quid enim significant tot Conciliorum canones, tot Patrum sententiæ, tot Pœnitentiales libri, quibus pro diversa criminum specie, & gravitate certus pœnitentiæ agendæ modus, certa mensura, ratio, tempusque præscribitur.

Innumera autem sunt hujusmodi monumenta, quum recentiora, tum vetera, ut in sequentibus demonstrabimus.

6. Jam vero his duobus præstabilitis, præjactæ propositionis veritas probatur. Sacramentum est signum sensibile ab Christo institutum internæ justitiæ, & sanctificationis, quam Deus in nobis operatur, (3. *p. q.* 84. *art.* 1.) sive, ut est apud Gregorium, (*decret. lib. q.* 1. *cap. Multi.*) Sacramentum est in aliqua celebratione, id est, in aliqua actione, signo, aut ritu externo, quum res gesta ita fit, ut aliquid significative accipiatur, quod sancte accipiendum est; sed in Ecclesiastica Pœnitentia, ita res fit, ut aliquid sanctum significetur tam ex parte peccatoris pœnitentis, quam ex parte Sacerdotis absolventis. Nam peccator pœnitens per ea, quæ dicit, & facit, ostendit cor suum a peccato recessisse, sive internam pœnitentiam, & conversionem ad Deum; Sacerdos autem per ea, quæ dicit, & facit circa pœnitentem, significat operationem internam Dei remittentis peccata: manifestum est igitur, Pœnitentiam, quæ in Ecclesia agitur, verum esse Sacramentum. II. Christus commisit Ecclesiæ potestatem dimittendi peccata, ut ostensum est. Ecclesia autem, quum sit societas hominum sensibilis, & externa, nullam potestatem circa alios homines exercere potest, nisi per actus externos, & sensibiles; non ergo possunt homines se peccatores profiteri, nec a peccatis absolvi ex Christi institutione nisi per ritum aliquem, & actiones, vel sensibilia signa; sed sensibilis ritus, per quem sacrum aliquid significatur, atque efficitur, est verum Sacramentum: ergo. III. Sicut peccata ante baptismum commissa deleri possunt per actum perfectæ charitatis, & contritionis, sive per internam Pœnitentiam, ut virtus est, ita etiam peccata patrata post baptismum; sed tamen est in Ecclesia signum aliquod sensibile, seu Sacramentum, aut externus ritus, quo originale, & actualia peccata præcedentia remittantur, nimirum, Baptismus a Christo institutus: ergo quum homines post baptismum peccare possint, & quum baptismus unus sit, & repeti non possit, necessarium fuit ad hominum salutem, ut aliud medium, aut Sacramentum Christus institueret, quo peccata post baptismum commissa delerentur. Hoc est autem, quod dicimus Sacramentum Pœnitentiæ: est igitur in Ecclesia Pœnitentiæ Sacramentum a Christo institutum, cui ex divina promissione annexa est remissio peccatorum, & interna mundatio.

7. Probatur eadem assertio præterea communi omnium Patrum consensu. Hinc enim Cyprianus post baptismum, inquit, (*Serm. de ablut. ped.*) quem sui reverentia iterari non patitur, aliud nobis lavacrum procuravit. Ambrosii loca, sive authoris librorum de Pœnitentia supra attulimus. Consonat Hieronymus in 1. adv. Pelagium, Redimatur

tur sanguine Christi vel in dono baptismatis, vel in Pœnitentia, quæ baptismatis gratiam imitatur..... (*lib.* 2.) Quod enim dictum est: Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quam in clementia Pœnitudinis accipiendum est. Idem, Sacerdotes, ait, (1. *ep. ad Heliodor.*) claves Regni cœlorum, & quodammodo ante diem judicii judicare..... Non enim solum quum nos in baptismo regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent, quod est apud Chrysostomum. (3 *de Sacr.*) Similia Augustinus, Cyrillus Alex., Theodoretus, Leo apud Bellarminum. (*lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 10.) Et post quintum sæculum Patres, & Authores Ecclesiastici omnes usque ad tempora Scholasticorum. Denique Florentinum, (*in Decret. pro Armen.*) & Tridentinum Concilium (*Sess.* 14. *can.* 1.) apertissime.

8. Probatur quarto ipsorum Adversariorum testimonio. Nec enim adeo cœci sunt, & in errore pervicaces, ut non aliquando ipsa rerum evidentia, & Catholica, cui assueti fuerant, educatio veræ confessionis vocem extorserit. Lutherus enim in libro de Capt. Babilonica, Principio, inquit, neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tria tantum pro tempore ponenda, Baptismus, nimirum, Absolutio, Panis, id est, Pœnitentia, & Eucharistia. Hanc vero sententiam postea corrigit dicens: Si rigide loquamur, tantum duo sunt in Ecclesia Sacramenta, Baptismus, & Panis, quum in his solis institutum divinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitus instituto caret. Deinde tamen quum alibi, tum in propositionibus adversus Lovanienses posterius scriptas anno videlicet 1545. propos. 35. Pœnitentiam Sacramentum esse, concedit. Denique in brevi quodam Catechismo, quo etiamnum multi utuntur Lutherani apud Bossuetum in 3. variat. cap. 48. Minister, audita Pœnitentis confessione, eum interrogat: Nunquid credis remissionem, quam tibi do, esse remissionem Dei? Respondet pœnitens. Ita. Tum Minister: Et ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris &c. En arundinem vento agitatam, cui inherentes circumferuntur & ipsi omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris: Philippus Melanchthonius Lutheri ocellus in locis Communibus aperte negat ullum Pœnitentiæ Sacramentum præter Baptismum; at ipsemet in Apologia Confessionis Augustanæ signa, inquit, sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ. Non enim est authoritatis humanæ promittere gratiam. Vere igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria novi testamenti. In ipsis etiam locis communibus editis denuo

ann. 1543. Quum vocabulum, inquit, Sacramenti intelligitur de ceræmoniis institutis in prædicatione Christi, numerentur hæc Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio, quæ sunt externi ritus, & quidem proprie sunt testimonia remissionis peccatorum, & reconciliationis. Quid Calvinus, quum in Antidoto Concilii Tridentini, tum in 4. Institut. probare conatur, nullum esse Pœnitentiæ Sacramentum. At idem in 3. Inst. cap. 4. §. 12. hortatur Ministros, ut fidelium conscientias de remissione peccatorum certiores reddant & §. 14. Non vulgare, aut tenue solatium est, inquit, præsentem habere Christi legatum reconciliationis mandato præditum, a quo denuntiari sibi absolutionem audiat. Hic utilitas clavium merito commendatur, quum rite, quo ordine, & qua Religione decet, peragitur ista legatio: quum is, qui se ab Ecclesia quodammodo abalienaverat, restituitur in fraternam veritatem, accepta venia. Quantum beneficium est, quod sibi ab iis ignosci intelligit, quibus Christus dixit: Quorum remiseritis peccata &c. Habet ergo Ecclesia, teste Calvino, Legatos, seu Ministros reconciliationis mandato præditos, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, ut ipse cum Paulo loquitur, (2. *Corinth. cap.* 5.) & a quibus fideles denuntiari sibi absolutionem audiant. Verbum autem, quo sibi denuntiari sibi absolutionem audiunt, est quid externum, & sensibile. Signum autem externum, & sensibile, cui ex promissione, & mandato Dei annexum est opus Dei internum spectans ad remissionem peccatorum, sive sanctificationem animarum, est verum, & proprium Sacramentum novæ Legis: Pœnitentia ergo, sive Absolutio, novæ Legis Sacramentum verum, & proprium est. Tenentur autem fideles credere remissionem datam a Sacerdote, esse datam a Deo, ut in Cathechismo Lutheri habetur, & peccata remissa in terris, esse remissa in cœlis, ut Calvinus probat ex verbis Christi: Quorum remiseritis &c. Non autem solum loquitur Christus de peccatis ante baptismum commissis, & quæ per ipsum remittuntur. Non enim, inquit Calvinus, quum Apostolis mandatum dedit Christus, & potestatem contulit remittendi peccata, hoc tantum voluit, ut eos solverent, qui ab impietate ad finem converterentur, quod fit per baptismum; sed magis ut hoc officio fungerentur perpetuo inter fideles, quod fit per pœnitentiam, & absolutionem, quæ iterari potest: ergo Pœnitentia Sacramentum est, quo peccata remittuntur non solum apud homines, sed etiam apud Deum, & quo remittuntur peccata non solum ante, sed etiam post baptismum commissa, atque adeo a baptismo distinctum. Quid Kemnitius? Negat plane Pœnitentiam Sacramentum esse in 2. p. Examin. quia ex divina institutione, inquit, non habet externum, & materiale elementum. At ipse in eadem 2. p. pag. 901. Hoc etiam, inquit, apud

nos

nos extra controversiam est, Deum in Scriptura instituisse, & ordinasse certa media, per quæ Lapsis post baptismum, si convertantur, beneficium mortis Christi vult applicari, & obsignari ad reconciliationem, & remissionem peccatorum; atqui hoc medium externum esse debet, ac sensibile, non enim homines cum hominibus aliter agere, aut conversari possunt: est ergo medium aliquod externum, & sensibile a Deo in Scripturis institutum, per quod beneficium mortis Christi applicatur nobis in remissionem peccatorum; sed medium, aut ritus sensibilis ex institutione Dei annexum habens effectum spiritualem, sive ad remissionem peccatorum spectantem, & internam sanctificationem, est quod Catholici vocamus, ac dicimus proprium Sacramentum: ergo ex Luthero, Calvino, Philippo, Kemnitio, idemque de aliis dici posset, est in Ecclesia Dei verum, & proprium Pœnitentiæ Sacramentum, & quidem a Baptismo distinctum. Sed non habet, inquit, tale aliquod externum, & materiale elementum, sicut est aqua in baptismo. Et unde habes ex Scripturis, omne Sacramentum ex Elemento aliquo constare debere? Unde scis ex Scripturis, aquam esse elementum? Imo quid sit elementum, unde ex verbo Dei nostri? Nimirum, dixit Augustinus: (*tr.* 8. *in Joann.*) Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Sed ibi Aug. de baptismo loquebatur, cujus materia est elementum aquæ. Sed Augustinus nomine elementi intelligit quodcumque materiale, & sensibile, quale semper invenitur in confectione Sacramenti. Sacramentum enim ideo dicitur, quod ipse ait, (*Serm. ad Infant.*) quia aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Videtur autem apud eundem Aug., non solum quod oculis cernitur, sed etiam quod quocumque alio sensu percipitur. Recte enim dicimus, inquit in 10. Con. (*cap.* 35.) vide quid sapiat, vide quid oleat, vide quid sonet, vide quam durum sit, & similiter vidit hoc Bellarminus, (*lib. cit. cap.* 11.) non vidit hoc Kemnitius. Elementum igitur Augustino est quodcumque materiale, ac sensibile, ritus, actio externa, verbum, aut res, ex qua conficitur, ac perficitur sacra significatio. Nam quid enim in Cœna, sive Eucharistia quodnam est elementum, ex quo fit Sacramentum. Dices: Panem, & vinum. Sed cur hæc dicuntur elementa? Non profecto quia elementa sint; sed quia & ipsa ex elementis fiunt, nimirum, terra, & aqua. Sed nunquid Aer elementum non est, ex quo, & in quo verba fiunt? Nam quid est verbum nisi dictio ex vocibus composita? quid vox nisi sonus ex ore animalis prolatus? Quid sonus nisi aer repercussus? Hæc dicta, ut secundum Sapientis monitum, (*Prov.* 26.) respondeamus stulto juxta stultitiam suam. Sacra enim Doctrina hujusmodi Philosophicis quæstionibus, denomi-

natio-

nationibus, definitionibus non innititur, vocat tamen ancillas suas ad arcem, si quando ab hujusmodi Sciolis, & solum secundum carnem sapientibus impugnatur.

9. Constat igitur Pœnitentiæ Sacramentum actionibus & rei Pœnitentis, & Judicis absolventis. Ad Reum tres spectant, nimirum Cordis Contritio, Oris confessio, & Operis satisfactio. Singulorum horum necessitas probanda, & quæ controversa sunt, aut cum Eterodoxis, aut inter Catholicos explicanda.

PROPOSITIO II.

Cordis contritio est prorsus ad hoc Sacramentum necessaria.

1. SAcramentum enim Pœnitentiæ tale dicitur, quia in eo remittuntur peccata, media pœnitentia; sed pœnitentia propria, & formalis, ut cum Scholis loquamur, non est nisi actus hominis redeuntis ad cor, sive ad rectam mentem, de qua dictum est: (*Isai. cap.* 46.) Redite prævaricatores ad cor .... (*Joel.* 2.) Convertimini ad me .... Scindite corda vestra &c. Unde *Pœnitere* græce dicitur μετανοειν, quod est redire ad mentem, rursum sapere, seu resipiscere; hoc autem non fit, nisi per detestationem erroris, aut mali commissi; & emendandæ vitæ propositum, quod Theologi minus Latino quidem, sed proprio vocabulo *Cordis contritionem* vocant: ergo &c. Secundo. Per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum remittitur; sed nullum peccatum remittitur sine gratiæ infusione, ut supra (*lib.* 9. *prop.* 11.) ostensum est: Deus autem gratiam se daturum lapsis non promisit, nisi pœnitenti, & recte disposito, nisi cooperanti auxiliis gratiæ, quibus ad pœnitentiam allicitur, atque adjuvatur, ut ex universis tam veteris, quam novi Testamenti Scripturis patet: ergo Sacramentum reconciliationis, aut Pœnitentiæ necessario importat conversionem hominis ad Deum per dolorem de peccato commisso, & propositum vitæ emendandæ, quæ Contritionis nomine significantur.

2. Actuum vero horum, quibus homo ad Deum convertitur necessitatem ex ejusdem conversionis natura, atque indole, ita ut assolet, dilucide explicuit D. Thomas. (4. *cont. Gentes cap.* 72.) Considerandum est, inquit, quod sanatio corporalis quandoque quidem est totaliter ab intrinseco, sicut quum aliquis sola naturæ virtute curatur: quandoque autem ab intrinseco, & extrinseco simul, ut puta, quando naturæ operatio juvatur exteriori beneficio medicinæ. Non autem contingit, quod quis totaliter curetur ab extrinseco; habet enim homo, dum vivit, in se ipso principia vitæ, ex quibus sanitas in ipso causatur. In spirituali autem sanatione a contrario, non potest

test contingere, quod fiat totaliter a principio intrinseco. Ostensum est enim, quod a culpa nemo potest liberari nisi auxilio divinæ gratiæ. Similiter neque fieri potest, quod spiritualis curatio sit totaliter ab extrinseco. Non enim restitui potest mentis sanitas, nisi ordinati motus voluntatis in homine excitentur, & generentur, quod non est sine cooperatione liberi arbitrii: oportet igitur in Pœnitentiæ Sacramento spiritualem hominis curationem & ab intrinseco, & ab extrinseco principio procedere. Hoc autem sic contingit. Ut enim aliquis ab corporis morbo liberetur, & curetur perfecte, necesse est, ut liberetur ab omnibus incommodis, quæ per morbum incurrerat. Unde & in spirituali curatione liberandus est homo ab detrimento omni, in quod inciderat per peccatum. Primum autem detrimentum, quod homo per peccatum sustinet, est deordinatio mentis, secundum quod mens avertitur ab incommutabili bono, scilicet, a Deo, & convertitur ad bonum creatum. Secundum est reatus pœnæ, quæ ab justissimo Rectore Deo pro omni peccato debetur. Tertium est quædam debilitatio naturalis boni, per quam homo peccando redditur pronior ad peccandum, & tardior ad bene agendum. Primum igitur, quod in Pœnitentia requiritur, est ordinatio voluntatis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato dolens de peccato commisso, & proponens deinceps vitare .... (*lib. 3. cap.* 158.) Si enim homo non proponeret desistere a peccato, non esset peccatum secundum se contrarium voluntati. Si vero vellet desistere a peccato, non tamen doleret de peccato præterito, non esset illud idem peccatum, quod fecit, contrarium voluntati: est autem contrarius motus, quo ab aliquo receditur motui, quo ad illud pervenitur: unde oportet, quod voluntas recedat a peccato, per contraria his, per quæ ad peccatum fuit inclinata. Tam detestatio igitur peccati commissi, quam propositum vitandi cætera est de ratione contritionis. Hæc vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest. Nam mens nostra ad Deum non convertitur nisi per charitatem; charitas autem non est sine gratia, ut ex supra dictis patet. Reordinatio ergo mentis, quæ in contritione consistit, procedit ab intrinseco principio, nimirum, libero arbitrio, cum extrinseco adjutorio divinæ gratiæ, quod erat primum. Secundum autem detrimentum erat reatus pœnæ æternæ, quæ non est nisi per æternam separationem a Deo: æterna autem separatio a Deo esse non potest cum vera dilectione, & charitate Dei, per quam Deo conjungimur, eique inhæremus, & in eo manemus, & ipse in nobis, unusque Spiritus efficimur: vera autem Dei dilectio, quæ salutem operetur, sine gratia esse nequit, ut item supra: ergo homo nequit ab reatu pœnæ æternæ liberari, nisi per actum proprium liberi arbitrii excitati, atque adjuti gratia Dei, quod erat

alte-

alterum. Facile autem ex dictis probatur & tertium, nimirum, debilitatem virium naturalium corrigi non posse, nisi homine ipso divinis auxiliis ipsum excitantibus, ac roborantibus cooperante. Triplex igitur peccati detrimentum per actus hominis Deo cooperantis, pœnitentis, atque ad Deum se convertentis corriguntur, ac tolluntur. Actus igitur Pœnitentiæ, qui dicitur Cordis Contritio, est ad remissionem peccati omnino neccessarius, hoc est, ad effectum, & perfectionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod erat propositum. Unde & Sacramentum Pœnitentiæ dicitur, quatenus ex parte Rei supponit, atque includit necessario Pœnitentiæ virtutem; quæ in interna Contritione perficitur.

3. Ex præjacta porro D. Thomæ doctrina plura effluunt Corollaria, ex quibus Pœnitentia, tum quæ virtus est, tum quæ Sacramentum, natura, vis, atque effectus innotescit.

COROLLARIUM I.

4. Liquet enim I. (3. *part. qu.* 85. *art.* 2.) Pœnitentiam esse specialem virtutem. Ubi enim est diversa ratio honestatis in actibus humanis, ibi diversi ponendi sunt virtutum habitus; sed in Pœnitentiæ actibus invenitur specialis ratio honestatis, tendit enim ad destructionem peccati, quatenus est injuria, per quam divinus honor læsus est, (*art.* 3.) quod pertinet ad illud genus justitiæ, quæ inter Deum, & hominem esse potest: ergo Pœnitentia specialis est virtus; sed virtus est, quæ operantem, & opus ejus bonum reddit, ut ex Aristotele (2. *Ethicor.*) habetur: ergo Contritio, & reliqui actus Pœnitentiæ boni sunt, laudabiles, honesti, neque hominem pertinacem, hypocritam, & peccatorem constituere possunt, quod rigidiores Lutherani statuunt. Quod si boni, & laudabiles sunt: ergo non motus mere passivi, non coacti, sed spontanei, sed liberi, sed a voluntate eliciti. Ait enim Lutherus, (*Serm.* 2. *de Pœnit.*) Pœnitentiam non esse actionem, sed passionem, afflictionem, & terrorem a Deo incussum, quem conscientia pati cogitur. Nam Verbum Dei comparatur fulmini, gladio, aut malleo conterenti saxum: at saxum fulmine, aut malleo contritum non agit, sed tantum patitur. Hæc tamen vana sunt. Nam Contritio non solum Deo, sed nobis tribuitur. Unde sicut dictum est: (*Jerem.* 31.) Converte me, Domine, ita & (*Isai.* 45.) Convertimini ad me. Et: (*Ezech.* 36.) Dabo vobis cor novum; & item: (*c.* 18.) facite vobis cor novum.... (*Mich.* 7.) Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, & item: (*Ezechi.* 18.) Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras cum aliis sexcentis. Dicitur ergo Verbum Dei fulmen, aut malleus propter efficaciam di-

vi-

vinæ vocationis, & inspirationum, quibus, quum vult, durissima etiam corda non resistunt. Item ut verba sua discernat a verbis, & comminationibus, & vanis, ac frigidis exortationibus falsorum Prophetarum; non ut nostram cooperationem excludat. Nam (*Ps.* 50.) sacrificium Deo spiritus contribulatus. Quomodo autem gratum Deo, quod hominem facit peccatorem? Quomodo sacrificium, quod invitus homo, & non ex propria voluntate offert?

5. Sed ab his se facile expediunt Lutherani ajentes, Contritionem in veteri Testamento commendari, quoniam ad Legem Mosaicam, quæ timoris, ac servitutis erat, spectabat Contritio, sed Evangelium ad secundam partem conversionis, nimirum, ad fidem referendum est. Hæc tamen distinctio falso nititur principio, quasi pœnitentia non sit actio hominis, sed timor, aut terror mere passivus, quem Deus incutit; timoris autem spiritus potius ad Legem, quam ad Evangelium pertinere videtur. Hoc, inquam, principium falsum esse ostensum est. Non enim Contritio, aut Pœnitentia est timor, formido, aut tremor mere passivus, & homini ab extrinseco incussus ex repræsentatione suppliciorum sibi a Deo judice imminentium. Patet enim, in Dæmonibus hunc passivum timorem, & tremorem esse posse. Nam (*Jacob.* 2.) & Dæmones credunt, & contremiscunt, & tamen in eis nec est, nec esse potest contritio, aut Pœnitentia, ut supra (*lib.* 5. *prop.* 19.) est demonstratum. Præterea: Contritioni, seu veræ Pœnitentiæ annexa est promissio gratiæ. Dicitur enim: (*ps.* 50.) Sacrificium Deo spiritus contribulatus... Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies. (*Deut.* 4.) Invenies Eum, si quæsieris in toto corde tuo, & in tota tribulatione animæ tuæ.... (*Isai.* 66.) Ad quem enim respiciet nisi ad pauperculum, & contritum corde? (*Ezec.* 18.) Si ergo impius egerit pœnitentiam, vita vivet. Sed gratia non est annexa nisi bonis, & meritoriis operibus, non est autem bonum, ac meritorium opus, nisi liberum, ut probatum manet: (*lib.* 6, *prop.* 8.) ergo pœnitentia bonum opus est, & meritorium, ac liberum; sed promissio gratiæ est propria novi Testamenti: Pœnitentia ergo ad novum Testamentum pertinet. Præterea: Author, & consummator novi Testamenti est Christus; sed Christus & prædicavit per se Pœnitentiam, & suo nomine eandem ab Apostolis in toto orbe terrarum prædicari jussit: ergo Pœnitentia ad novum Testamentum pertinet. Minor patet. Nam Christus Math. 4. Pœnitentiam agite: appropinquabit in vos Regnum Dei.... (*Luc.* 5.) Non veni vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam .... (*cap.* 13.) Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis:... (*cap.* 24.) Oportet in nomine meo prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Petrus item dicit, (*Act.* 5.) Christum exaltatum a

 Deo,

Deo, ut daret Pœnitentiam Israeli. Et Paulus asserit, (*Act.* 11.) Gentibus Deum dedisse pœnitentiam ad vitam, & (*cap.* 20.) se ad Gentes missum, ut prædicaret in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum J. C. quam nunc, inquit, annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, cum aliis innumeris. Contraponit autem ibi Paulus anteacta tempora cum tempore Evangelii. Et anteacta quidem sæcula, quæ vocat tempora ignorantiæ, dicit Deum despexisse, nunc vero, id est, post adventum Christi, annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Agere ergo pœnitentiam non solum est fructus Evangelii, sed etiam est fructus speciali, & singulari modo ad Evangelium pertinens præ temporibus ignorantiæ, quæ Deus despexisse dicitur.

COROLLARIUM II.

6. Pœnitentiæ Subjectum est voluntas. (*qu.* 85. *art.* 4.) Est enim habitus potentiæ appetitivæ, quamvis præsupponat actus potentiæ apprehensivæ, nimirum, memoriam peccati præteriti, & includat etiam actus aliarum potentiarum modo explicando. De Pœnitentia autem dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad habitum, & sic ejus subjectum est voluntas, & ejus author est Deus, (*Deut.* 5.) qui dat nobis talem habere mentem, ut timeamus Eum, de quo dicitur: (*Jer.* 31.) Postquam convertisti me, egi pœnitentiam. Infunditur vero a Deo sine nobis principaliter operantibus; non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de Pœnitentia secundum actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Horum autem actuum primum activum principium est operatio Dei convertentis cor, de quo dicitur: (*Thren. ultim.*) Converte nos, Domine, ad Te, & convertemur. Secundus autem est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum, quæ per fidem sibi deberi cognoscit, a peccando retrahitur, de quo dictum est: (*Isai.* 26.) A timore tuo concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis, id est, pœnitentiæ salutaris. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ, & gratiæ obtinendæ assumit propositum emendationis. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non jam propter timorem supplicii. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.... Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali sicut ab immediato, & proximo principio. Patet item, in Pœnitentiæ actu perfecto inveniri quasi

si gradatim procedentes diversos actus, nimirum, timoris servilis, & spei, qui sunt in Irascibili, sicut & Vindicta, quam de se ipsis sumunt Pœnitentes, item doloris, & tristitiæ, quæ sunt in Concupiscibili, memoriæ, seu recogitationis peccatorum præteritorum in amaritudine animæ, quæ sunt in Intellectu. Patet præterea, de ratione formali Pœnitentiæ esse displicentiam, ac detestationem peccati præteriti. Unde illud Jobi: (*cap.* 39.) Unum verbum loquutus sum, quod utinam non dixissem, & apud Jeremiam: (*cap.* 31.) Postquam cognovi, percussi femur meum.... Dolentis enim, ait Hieronymus, (*ibid.*) plangentis, & super pristino errore plorantis indicium est, manu femur percutere. Quod enim est apud Ambros. (2. *de Pœnit. cap.* 16.) Dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.... (*Gregor.* 3. *p.Pastoral. cap.* 31.) Admonendi sunt propterea, qui admissa deserunt, neque tamen plangunt, ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Dictum est enim: (*Joel* 2.) Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra... Pœnitentiam enim certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, quando sic te pœnitet, ut amarum sapiat in animo, quod dulce fuit in vita, & quod te oblectabit in corpore, ipsum te cruciet in mente, quod est apud Aug. (*Serm.* 7. *de Temp.*) Rationem autem a priori reddidit D. Thomas, inquiens: (3. *cont. Gent. cap.* 158.) Ad hoc, ut homo ad statum rectitudinis redeat auxilio gratiæ, necessarium est, quod a peccato, per quod a rectitudine declinaverat, recedat; & quia homo in ultimum finem non dirigitur, aut ab eo avertitur nisi per voluntatem, non solum necessarium est, quod homo a peccato recedat exteriori actu, peccare desinens, sed etiam quod recedat voluntate ad hoc, quod per gratiam a peccato resurgat. Voluntate autem homo recedit a peccato, dum & de præterito eum pœnitet, & futurum vitare proponit. Necessarium est ergo, quod homo a peccato resurgens & de præterito peccato pœniteat, & futurum vitare proponat. Si enim non proponeret desistere a peccato; non esset peccatum secundum se contrarium voluntati; si vero vellet desistere a peccato in futurum; non vero doleret de peccato præterito, non esset illud ipsum peccatum, quod fecit, contrarium voluntati. Est autem contrarius motus, quo ab aliquo receditur, motui, quo ad illud pervenitur. Unde oportet, ut voluntas, qua a peccato receditur, contraria sit ei voluntati, per quam ad peccatum pervenitur. Quibus verbis D. Thomas dudum errorem Lutheri præoccupavit ajentis: Multo majore, imo solo hoc labore cogitandum est confessuro, quomodo futuram vitam agat bonam, quam quomodo odiat, ac deserat præte-

terita mala. Verissimum est enim proverbium, & omni de contritione doctrina præstantius: Optima pœnitentia, nova vita. Sed nemo, inquit Augustinus, (*hom.* 27. *in lib.* 50. *homil.*) vitam novam eligit, nisi quem veteris pœnitet. Desistendum est a peccato. Id quoque Catholici fatemur, & ad rationem Pœnitentiæ pertinere dicimus. Vera Pœnitentia est, inquit Gregorius, (*homil.* 34. *in Evang.*) peccata deflere, & deflenda non committere. Contritio enim, inquiunt Florentinum, (*in inst. Arm.*) & Tridentinum Concilium, (*Ses.* 14. *cap.* 4.) dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Declarat item Trid., Contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium continere. Tam dolor igitur de peccato præterito, quam propositum non peccandi de cætero ad formalem rationem Pœnitentiæ pertinent. Utrique enim conjunctim est vita æterna promissa. Scriptum est enim: (*Ezech.* 18.) Si impius egerit pœnitentiam a peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit, id est, seriam voluntatem habuerit custodiendi omnia præcepta mea, ita ut data occasione faciat judicium, & justitiam; vita vivet, & omnium iniquitatum ejus non recordabor. Item. (*Eph.* 4.) Deponite veterem hominem, & renovamini spiritu mentis vestræ. Nam quis enim Pater, aut Herus servum, aut filium in gratiam recipit, quin ab eo præteriti delicti confessionem, ac displicentiam, & propositum vitæ melioris exigat? An vero propositum vitæ emendandæ, sive abstinendi de cætero a peccatis explicitum; ac formale esse debeat; an virtuale, & implicitum, dubitari solet apud Scholasticos. Secundam sententiam amplexi sunt Major, Almainus, Medina, Navarrus, Petrus de Soto, & Adrianus Pontifex apud Suarezium de Pœn. disp. 4. sect. 3. Suarezius autem triplicem ponit assertionem. I. Formale propositum per se loquendo esse necessarium ad remissionem peccati: II. Aliquando detestationem sine formali proposito esse sufficientem dispositionem ad gratiam. III. Denique, & ultimo concluditur, inquit, formale propositum non peccandi non esse de essentia, & formali ratione Contritionis. Veterum Theologorum sententiam sequutus est Bellarminus, (2. *de Pœnit. c.* 6.) atque in hunc modum suaderi potest. Quidquid enim sit de aliis speciebus detestationis, quæ ad rem non pertinent, detestatio peccati, de qua nunc loquimur, illa est, cui est annexa promissio gratiæ, sive quæ est per se expulsiva peccati, & dispositio ad justificationem; detestatio autem, quæ est dispositio ad justificationem ex D. Thoma, (3. *cont. Gent. cap.* 158. & 4. *cap.* 62. & *in* 4. *dis.* 17. *q.* 2.) & Tridentino (*Sess.* 6. *cap.* 6. *Sess.* 14. *cap.* 4.) est effectus Charitatis, sive procedens ex dilectione Dei super omnia. Veram enim pœnitentiam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, sive odium pecca-

ti

ti quatenus est injuria facta summo Bono, & infinite amabili Deo; sed ratio divinæ injuriæ est eadem in quocumque peccato mortali: ergo non potest ea ratione displicere voluntati hoc peccatum commissum, quin displiceat omne peccatum; sed id, quod sibi displicet, voluntas fugit, & vitare conatur: ergo cui displicet peccatum, quatenus est injuria Dei, eo ipso omne peccatum vitare conatur, quod est formalissime propositum ulterius non peccandi. Eadem ergo detestatio peccati *A* propter amorem Dei, est simul detestatio omnium aliorum, quibus offenditur Deus. Quod si authores secundæ sententiæ velint non esse necessarios duos actus expressos, & explicitos, non admodum certabimus. Neque enim ad rem Theologicam pertinet: utrum habitus Pœnitentiæ sit simplex qualitas? an composita? Similis est controversia de actu amoris Dei: an sit distinctus a detestatione peccati? In qua controversia Suarezius similiter tenet, hominem sine actu formali amoris posse justificari, non tamen sine amore virtuali incluso in ipsa detestatione peccati. Unde, sect. 2. num. 18. Ex quibus omnibus, inquit, respondendo directe ad titulum quæstionis, concludo ultimo, formalem amorem Dei non esse de Essentia contritionis. Sed id non quæritur. Scimus enim, posse esse Contritionem, sive dolorem de peccato commisso sine amore Dei, sicut fuit in Antiocho, in Esau, & in Juda; sed quærimus de Pœnitentia, aut Contritione Theologica, ut ita dicam, & quæ sit dispositio ad justificationem. Hæc enim, quum sit detestatio peccati propter amorem, & reverentiam Dei, necessario includit, imo ipsa est, ut Sotus ait, (*lect.* 14. *de Pœnit.*) formalis, & explicitus amor Dei, aut eum necessario præsupponit. Sed hi autores per actum formalem amoris Dei non videntur intelligere nisi actus illos signatos, quibus ore, aut corde dicimus: Domine, te diligo, te amo, Deus cordis mei &c. Porro amare Deum non est nisi ejus reverentiam, cultum, & amicitiam omnibus creatis anteponere: ergo qui propter Dei reverentiam ab illicitis se abstinet, aut de commissis dolet, vere, proprie, formalissime actum divinis amori, exercet, quamvis signate ore, aut corde non dicat: Diligo te Domine in toto corde meo. Scriptum est propterea: (1. *Joa.* 3.) Qui non diligit, manet in morte. Non ergo venit ad vitam, nisi qui diligit. Veram enim pœnitentiam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, quod est apud Aug. (*Serm.* 7. *de Temp.*) Dicitur quippe: (*Deut.* 4.) Si quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde tuo quæsieris illum, & in tota tribulatione animæ tuæ. Mundantur enim peccata sacrificio contriti cordis, apud Aug. (2. *cont Crescon. cap.* 12.) Hoc autem sacrificium non accenditur nisi flamma charitatis, quæ si adsit, cætera frustra sunt.... (*homil.* 41.) *Peccavi* tres syllabæ sunt; sed de tribus his syl-

syllabis flamma sacrificii coram Domino ascendit in cœlum. Sed si satis esset dicere *Peccavi* cum sola recognitione peccati sine interno, & vehementi affectu charitatis, etiam Judas justificatus fuisset, quum dixit: (*Math.* 27.) Peccavi, tradens sanguinem justum. Illud ergo verbum Davidis, non ut vult Suarezius, (*loc. cit. sect.* 4.) meram recognitionem peccati, sed etiam doloris, & amoris vehementem affectum importabat, quæ non importabant verba Judæ, ut notavit Bellarminus, (*loc. cit. cap.* 7.) apud quem alia hujus furfuris pro Suarezii sententia invenies argumenta discussa.

7. Jam Contritio duplex distinguitur, alia perfecta, de qua loquuti sumus, alia imperfecta, quæ *Attritio* dici solet. Differunt enim Attritio, & Contritio. Contritum enim dicitur, quod ita comminutum est, & in pulverem redactum, ut ex eo massa fieri possit ad quamcumque formam, aut figuram recipiendam aptissima. Attritum vero, quod non ita comminutum est, ut in massam docilem redactum sit. Sumpta ergo ab artificibus metaphora, Cor contritum dicitur, quum flammæ divinæ dilectionis ita molle, ac docile redditum est, ut sit veluti massa in manu figuli, & artificis Dei, & possit cum Paulo dicere: (*Act.* 9.) Domine, quid me vis facere? Cor autem attritum dicitur, quod timore veluti malleo percussum, & confractum, nondum tamen in mollem; ac docilem massam evasit. Quidquid autem sit de vocum candore, & proprietate, eis jam usu Ecclesiæ consecratis utendum nobis erit, contemptis ferulis Grammaticorum.

COROLLARIUM III.

8. Contritio perfecta cum voto Sacramenti suscipiendi justificat impium ante absolutionem Ministri. Assertio est expressa Tridentini Concilii sess. 14. cap. 4. docentis, per contritionem charitate perfectam reconciliari hominem Deo priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Idemque de Baptismo docet sess. 6. cap. 4. Confirmatur ex Scriptura, & annexa Patrum expositione. Scriptum est enim: (*Ps.* 31.) Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & Tu remisisti impietatem peccati mei. In quem locum Ambrosius: (*Apol. Dav. c.* 7.) Si dixit: Pronunciabo, & antequam pronunciaret veniam meruit, quanto magis postquam de se pronuntiavit dicens: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, remissum est ei omne peccatum. Non pronunciat, ait Aug., (*Serm.* 2. *in ps.* 31.) sed promittit, se pronuntiaturum, & ille jam dimittit. Attende ergo, quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ commendatio, ut confitentis desiderium præcedat venia, antequam ad cruciatum perveniat Pœnitentia, quod est dictum a Gregorio. (*in Ps.* 31.) Apud Deum enim, ait

ait Leo, (*ep. ad Theodor. epist.* 91.) nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Propheta: (*Isai.* 30.) Quum conversus ingemueris, salvus eris. Confirmatur secundo ex natura, & indole Charitatis, quæ cum macula, aut rubigine peccati stare non potest, ut omnis clamat Scriptura, & Patres. Sed perfecta Contritio sine charitate esse non potest. Aut enim ipsa est charitas, aut saltem ex charitate oritur, eamque præsupponit; charitas autem vel gratia est, vel est a gratia inseparabilis, ut alibi (*lib.* 7. *prop.* 7.) ostensum est. Confirmatur tertio ex doctrina Ecclesiæ has Baii propositiones damnantis:

Charitas perfecta ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta stare potest sine remissione peccati.

Charitas, quæ est plenitudo legis, non est conjuncta cum remissione peccati.

Homo in peccato existens potest habere veram charitatem.

Per contritionem cum charitate perfecta absque Sacramento, quamvis cum voto Sacramenti, non remittitur peccatum extra casum necessitatis, aut martyrii.

Has autem propositiones expressis terminis damnarunt Pius V. Gregorius XIII. Urb. VIII. Contrariæ igitur propositiones doctrina Ecclesiæ sunt. Nimirum: Perfecta charitas cum voto Sacramenti, etiam extra Sacramentum peccata remittit, quod erat propositum.

9. Dictum est autem *Cum voto Sacramenti*. Quia Sacramentum Pœnitentiæ est medium ordinarium a Christo institutum ad remissionem peccatorum post baptismum, sicut baptismus ad remissionem peccatorum ante baptismum commissorum; sed ante baptismum nullo modo remittuntur peccata, nisi quatenus includitur in ipso actu Pœnitentiæ desiderium, aut votum baptismi: ergo per Contritionem non remittitur peccatum, nisi quatenus in ipsa includitur votum, aut propositum suscipiendi Sacramenti. Media enim ex Christi institutione necessaria prætermittenda non sunt, & ad extraordinaria recurrendum sine necessitate, ubi, nimirum, non contemptus disciplinæ, sed articulus necessitatis excusat ab exequutione mediorum. Hinc Concilium Tridentin. ses. 6. cap. 6. docet, Catechumenos præparari ad gratiam, dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Et ses. 14. hominem post baptismum lapsum ita demum præparari ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ accedat, & cum voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum Sacramentum requiruntur. Docet item, reconciliationem, quæ per contritionem perfectam obtinetur, non esse adscribendam ipsi contritioni sine voto, quod in illa includitur. Quomodo autem votum suscipiendi Sacramenti in Contritione perfecta includatur, non difficile iutelligitur. Non est enim vere contritus,

qui

qui commissi peccati remissionem per media a Deo instituta quærere negligit; sed peccata ex Christi institutione non remittuntur, nisi per subjectionem ad Claves Ecclesiæ: ergo qui non vult se clavibus Ecclesiæ submittere, non est perfecte, & vere contritus, sicut non est vere suæ salutis cupidus, qui negligit, aut contemnit Medicinæ subsidium. Dices: Quid ergo facit Baptismus, aut Pœnitentia posterior, si jam peccata remissa sunt per baptismum, aut Pœnitentiam in voto. Sed tu dic: Quid facit solutio pretii ad emptionem, si ante solutionem pretii emptor jam rei dominium, & possessionem acquisivit? Nimirum, sicut nulla fuisset emptio, nec translatio dominii, aut possessio, nisi esset vel solutio, vel obligatio solvendi; ita nulla erit remissio, ubi non est Sacramentum, aut votum, & propositum serium Sacramenti. Sed serium propositum solvendi homini notum esse non potest, nisi ex eventu; at Deo, (*Ps.* 7.) qui scrutatur renes, & corda, notissimum est bonæ voluntatis propositum. Igitur vel prævidetur homo impleturus, quum possit, quod in corde suo statuit, vel non? Si primum, Deus ei peccata remittit dependenter nimirum a voto Sacramenti. Si secundum, non est ulla remissio, quia non est sincerum, ac serium propositum. Quid hic non planum?

COROLLARIUM IV.

10. Perfecta Contritio non est simpliciter necessaria ad justificationem intra Sacramentum. Quandocumque enim sufficit, quod est minus, non est necessarium quod est majus; sed docet Sancta Synodus (Tridentina) (*Sess.* 14. *cap.* 4.) Contritionem imperfectam, quæ *Attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur communiter, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hipocritam; & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, qua pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem per se perducere nequeat, tamen hominem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponit. Ex qua Concilii Oecumenici doctrina sanissima, atque uberrima liquet I. Attritionem ex solo etiam pœnarum a Deo imminentium timore conceptam non vitiosam esse, sed bonam, & laudabilem, si modo non solam peccati exequutionem, sed etiam omnem peccandi voluntatem excludat, & cum spe veniæ obtinendæ conjuncta sit, neque hominem magis peccatorem, & hipocritam facere, quod ajebat Lutherus. (*Serm. de Pœnitent.*) Nam

quid

quid enim Timor Domini toties, tamque magnifice in Scripturis commendatur, si malus, & vitiosus est? Timor Domini (*Prov.* 1. *&* *Ps.* 110.) initium Sapientiæ .... (*Eccli.* 34.) Tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adjutorium casus, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem .... (*Eccl.* 1.) Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari .... (*Eccli.* 25.) Timor Domini initium dilectionis ejus, cum aliis innumeris. Neque hæc de solo filiali timore dicta sunt. Timor enim filialis supponit dilectionem, nec initium dilectionis esse potest. Apertius autem Christus: (*Math.* 10.) Timete eum, qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam. Timor autem gehennæ timor servilis est. Cur admonemur fugere a ventura ira, & æterni cruciatus nobis proponuntur, & ignis ardor sempiternus, & tenebræ, & fletus, & stridor dentium, si non horum horror peccata compescit, sed auget? Si non hominem ad justitiam ducit, sed peccatorem, & hipocritam facit? Cur Deus a nobis tanquam a filiis honorem; tanquam a servis timorem exigit, dicens: (*Jer.* 5.) Si pater sum, ubi est honor meus? Si Dominus, ubi timor meus .... (*Mal.* 1.) Me ergo non timebitis, & a facie mea non dolebitis, dicit Dominus. Quid est autem dolere a facie Domini, nisi quod dictum est: (*Is.* 30.) A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis; quod autem spiritum salutis generat, malum, & vitiosum esse non potest. Hinc illud Isaiæ: (*cap.* 63.) Quare nos errare fecisti de viis tuis? Indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Errant ergo de via salutis, qui non timent Deum: indurat autem Deus, non impartiendo malitiam, sed negando misericordiam: ergo Spiritus timoris misericordia est, & beneficium, sive donum Dei, quod ab Tridentino dictum est. Denique apertissimum est illud Eccles. (*cap.* 2.) Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt Ei. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas, & patientiam habebunt usque ad inspectionem ejus dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei viventis, & non in manus hominum.

11. Concinunt Scripturæ Patres antiquissimi. Tertullianus in lib. de Pœnit. (*cap. ult.*) Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam Exomologesis extinguit, & pœnæ magnitudinem prius imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Etenim prima ad salutem inclinatio fides nobis apparet, postquam subintrat timor, & spes, & pœnitentia .... Qui timorem igitur damnant, ii legem insectantur, quod si legem, & legislatorem, ut est apud Clem. Alex. (2. *Strom.*) Deus enim se nos timere jubet, & amare, quantum pietate patris indulgens semper, & bonus, tantum & Judicis ma-

jestate metuendus .... (*Cypr. ser. de Laps.*) Timor propterea salutaris, qui ad sanctitatem deducit, & animæ divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire: quando te forte ad aliquod peccatum videris impulsum, illud horribile mandatum, & Christi judicium cogita. Quæ Basilii verba sunt. (*in ps.* 33.) Ubi diserte timorem servilem describit, & eum disponere ad justitiam, atque a Deo nobis inseri docet. (*in* 1. *Mala.*) Primum namque vult Deus, ut ejus simus filii, & bonum voluntate faciamus bona: si autem hoc non fiat, ut saltem nos servos habeat, & a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus ..... Ut qui pudore, aut verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum, ut loquitur Hieronymus. (*in* 2. *Mic.*) Augustinus porro, (*in psal.* 127.) quum exemplo sponsæ castæ, & adulteræ castum timorem, & servilem explicuisset, ille timor, inquit, nondum castus præsentiam Sponsi, & pœnam timet, timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore incurrendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est .... (*tract.* 9. *in Joann. epist.*) Opus est ergo, ut intret timor primum, per quem veniat charitas: timor medicamentum est: gratia sanitas .... Principium igitur nostræ salutis, & custodia timor Domini est. Per hunc enim, & initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur, ad viam perfectionis acquiritur, inquit Cassianus. (4. *Instit. c.* 39.) Ex quibus omnibus Patribus progressum conversionis explicuit D. Thom. supra adductus, & pulchre Augustinus: (*loc. cit. in Ps.* 127.) Audistis, quum Evangelium legeretur: Vermis eorum non moritur &c. Audiunt hoc homines, & quia vere eventura sunt impiis, timent, & continent se a peccato: timent quidem, sed non amant justitiam. Quum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnam, sed quia justitiam diligit. His similia multa congeri possent.

12. Ratione item Tridentini doctrina confirmatur. Timor enim est passio naturalis ab authore naturæ insita homini: ergo per sese mala esse non potest, sicut & reliquæ naturales passiones, ut supra (*lib.* 6. *prop.* 5.) contra Stoicos dictum est. Timor ergo malus esse non potest, nisi quando contra ordinem rationis aut timetur aliquid, quod non est vere metuendum, aut timetur plus, aut minus, quam timendum erat; sed separari a Deo per æternam damnationem, & excidere non solum a fruitione, sed etiam ab spe vitæ beatæ summum est malum naturæ rationalis: ergo in eo timendo nulla potest es-

esse inordinatio, aut vitium. Unde quum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo. Quid dicturus sum? ait Augustinus: (*Serm.* 161. *de verb. Apost.*) Male times: vane times... Non audeo... Plane time. Nihil melius times. Nihil est, quod magis timere debeas. Sed interrogo Te: Si Deus non te videret, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres... Si faceres: ergo pœnam times, castitatem nondum amas. Charitatem nondum habes. Serviliter times: formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut iste timor custodiat te, & perducat ad dilectionem. Timor iste, quo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pœdagogus Legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, & veniet charitas &c. Pellit enim timor consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum.... (*Epist.* 140. *ad Honor. cap.* 18.) Timor facit, ut quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum.... (2. *de adulter. conjug. cap.* 19.) Major charitas, minor timor.... (*tract.* 9. *in Epist. Joann.*) Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Servilis igitur timor ex Augustino improbandus non est.

13. Opponit Lutherus: (*Serm. de Pœnit.*) Timor charitati opponitur, nam perfecta charitas (1. *Joann. ep.* 1. *cap.* 4.) foras mittit timorem; sed quod opponitur charitati, malum est: ergo. II. Timor est quid extortum, ac violentum, passio animæ, non actio; sed odium peccati est voluntarium, & liberum, ut sit dispositio ad gratiam: ergo. III. Quod non fit sincere, atque ex corde, hipocriticum est; sed quod non fit ex charitate, non fit ex corde: ergo quod non fit ex charitate, peccatum est; quod autem fit ex timore servili, non fit ex charitate: ergo. IV. Timor pœnam habet, ut est apud Joannem; (*Epist. & cap. cit.*) sed Pœnitentia non est quid amarum, aut tetrum, sed gloria, & lætitia, & corona exultationis, ut dicitur Eccl. 1: ergo Pœnitentia cum timore esse non potest. V. Non recte amat Deum, qui amat Deum propter aliud, quod non sit ipse: ergo non recte timet Deum, qui timet Deum propter aliud, quod non est Deus. VI. Timor servilis nunquam excludit omnem voluntatem peccandi: ergo non potest esse dispositio ad gratiam, de qua Tridentinum loquitur. Antecedens probatur ex Augustino, cujus loca multa in hanc sententiam more suo congerit Jansenius in 5. de grat. Christi cap. 27., ut probet, impossibile esse eum, qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœnæ formidine ita mutare mentem, peccatumque detestari, ut non peccet. Inquit enim Augustinus: (*Epist.* 145.) Inimicus est justitiæ, qui timore pœnæ non peccat. Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere. Item inquit Aug.

 (*ib.*)

(*ib.*) Inaniter se putat victorem esse peccati, qui timore pœnæ non peccat. Quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis; ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Clarius adhuc in psal. 118. Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas: quum vero pœna creditur sequutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, & quod Lex vetat. Hinc illa Jansenii cap. 25., & 26. Timorem illum, etiam supposita fide, naturalem esse, ex propriis viribus naturæ, non ex impulsu, & operatione Spiritus Sancti. Et cap. 29. Timorem illum coactum esse, & violentum, quo non peccatum, sed aliud quidpiam fugitur, quia nascitur, inquit, ex amore creaturæ, & sui. Item in 3. de stat. nat. lapsæ c. 17. Ineptum est, inquit, dicere, illum, qui invitus fecerit præceptum, quod facit, opus moraliter bonum facere. Magistrum sequutus Quesnellius. Timor, inquit, (*Proposit. 61. damn. a Clem. XI.*) non nisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur .... (62.) Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam coram Domino reus est .... (60.) Si solus supplicii timor animat Pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. Hinc & Recentior Theologus apud Tournellium, (*de Pœnit. Sacram. q. 5. art. 1.*) hæc docet. Primum. Timorem continere a peccato exteriori (quod Augustinus dixit (*2. Cont. Epist. Petiliani cap.* 83.) continere peccatum intra claustra cogitationis .... & volentem peccare animum interiorem non sinere. Secundum. Comprimere etiam posse absolutam, & efficacem hic, & nunc peccandi voluntatem, remanente tamen intus hypothetica. Peccarem, si impune liceret. Tum adducto exemplo ejus, qui merces in mare projicit imminente naufragio. Sic, inquit, qui ob timorem gehennæ peccatum fugit, is forte sibi temperat animo, ne in illud absoluta voluntate feratur, sed adjuncta tamen ea conditione, ut peccaret, nisi pœna immineret. Tertium. Si homo in hanc hypotheticam, & intimam animi præparationem oculos reflectat, continget etiam forsan, ut eam reprimat, nec erumpat in actum expressum, & explicitum, sed illa nihilominus in ipsius animi medullis vigebit semper, & latenter vivet, si non in hoc, quod propositum fuit, saltem in generali naturæ propensione ad malum. Confirmat hoc denique generali argumento. Nam quartum, inquit, etiam si demus per timorem posse etiam omnem peccandi voluntatem expelli, id non præstabit, nisi alterius affectus substitutione: regnat enim semper in corde aliquis amor: ergo non potest quis se a peccati affectu avocare, quin alium indu-

cat: is autem erit aut amor sui, aut amor Dei. Regnat enim (*Enchirid. cap.* 117.) carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. Unde quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene, ait Augustinus. (*de Gra. & lib. arb. cap.* 18.) Jam vero, si erit amor sui, is adhuc vitiosus est; si amor Dei, jam non est servilis timor: ergo.

14. Ad primum horum responsum jam est ab Augustino, & D. Thoma, ex quorum doctrina distinguo majorem: Timor charitati opponitur privative, aut contrarie, sicut malum bono, nego; relative, sicut via termino, concedo. Est enim timor via ad charitatem. Si enim nullus est timor, non est qua intret charitas... (*tr. 9. in Joan.*) Primum enim timor occupat mentem; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceretur charitas. Ad secundum nego majorem. Non enim distinxerunt Lutherus, & ejus discipuli timorem, qui est motus passivus imaginationi extrinsecus incussus, sive naturalis horror ex imaginatione pœnæ, cum timore elicito, quem in se excitat voluntas per voluntariam considerationem terribilium, de quo dictum est: (*Math.* 10.) Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Nec enim de iis, quæ nobis invitis fiunt, præceptum dari potest. Ad tertium nego minorem. Qui enim honorat patrem, aut subvenit indigenti ex motivo honesto, non est simulatus, aut hipocrita, neque in eo peccat, quamvis non mereatur propter defectum charitatis. Non enim distinguunt boni hi Theologi bonum morale, quod etiam invenitur quandoque in impiis, & bonum salutare, quod non invenitur nisi in Sanctis. Ad quartum distinguo minorem: Pœnitentia non perfecta charitate non est quid amarum, ac tetrum, nego; Pœnitentia formata charitate, concedo. Et ita intelligenda sunt diversa Scripturarum, & Patrum loca, quibus nunc Pœnitentiam amaram, tetram, difficilem, nunc suavem, ac dulcem vocant. Amaram, nimirum, carni, dulcem spiritui, amaram in radice timoris, dulcem in fructu charitatis, ad quam timor præparat. Unde dicitur: (*Isai.* 26.) A timore tuo facti sumus, sicut parturiens, quæ dolens clamat in doloribus suis, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Et tristitia, quæ Dei est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur. (*Tertull. lib. de Pœnit.*) An vero in coccino, & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Ergo age, cedo acum crinibus distinguendis: & pulverem dentibus elimandis:... conquirito altilium enormem saginam; defecato senectutem vini. Quum quis interrogaverit: Cur genio indulgeas? Deliqui (dicito) in Deum, & periclitor in æternum perire. Quam distat Pœnitentia ista Lutheri tota suavis, & blanda, ab illius præceptis, qui jubet animum affligere, scindere corda, luctum facere quasi unigeniti, & quasi parturientes clamare

in

in cilicio, & cinere, in jejunio, in fletu, & planctu? Ad quintum est planum discrimen. Nam objectum amoris est bonum: ergo quum Deus per sese sit infinite bonus, potest esse summi amoris objectum; at objectum timoris est malum. Deus ergo non potest per se esse timoris objectum. Solum ergo timeri potest, quatenus apprehenditur, ut causa mali, quod peccantibus comminatur.

15. Ad sextum negatur major, aut antecedens, & item consequens. Concilium enim nominatim loquitur de eo timore, qui oritur ex ipsa turpitudine peccati, aut ex comminatione pœnarum, & hunc dicit vulgo appellari *Attritionem*. Declarat, (*sess.* 14. *cap.* 4.) hunc dolorem, si conjungatur cum spe veniæ, & voluntatem peccandi excludat, esse impulsum Spiritus Sancti, & hominem disponere ad gratiam in Sacramento obtinendam. Supponit ergo, Attritionem posse cum spe veniæ conjungi, & voluntatem peccandi excludere modo sufficienti, ut homo disponatur ad gratiam; sed homo non disponitur ad gratiam per solam cessationem a peccato exteriori, nisi deponat voluntatem peccandi non solum absolutam, & efficacem, sed etiam conditionatam illam, & hipotheticam, imo hæc ipsa peccatum est: ergo Concilium loquitur, & supponit, attritionem posse, ac debere excludere omnen voluntatem peccandi non solum absolutam, sed etiam hypotheticam illam: peccarem, si impune liceret. Quod si etiam hanc excludere potest, cur eam non exclusam supponunt hi Theologi, nisi ut cavillationibus suis fingant laborem in præcepto? Mens autem Aug. ex allatis aliis ejusdem locis desumenda est, ubi timorem gehennæ bonum esse, & utilem dicit, servare locum charitati, custodiam esse virtutum.... per ipsum fieri consuetudinem justitiæ, & incipere amari, quod durum erat, & dulcescere animæ Deum, quæ omnia cum latente illa hipothetica voluntate peccandi esse non possunt. Loquitur ergo his in locis Augustinus de timore servili non secundum speciem suam ex objecto, & fine proximo, unde honestatem habet; sed secundum illum modum, quo communiter invenitur in servis, seu, ut D. Thomas loquitur, (2. 2. *q.* 19. *art.* 6. *& aliis loc.*) non de timore quatenus timor est, sed quatenus servilis est, & ut plurimum in servis reperitur. Vitia autem illa sunt non timoris, sed timentium nequiter. Quod si servus nequam non vult non furari, sed latere, hoc vitium non est timoris, sed malæ aliunde voluntatis, unde timorem non vitiat, sed personam. Jansenii autem, aut Recentioris dicta quid ad nos? Illi Lutheri crambem recoquunt jam in eodem Luthero, Bajo, & Quesnellio proscriptam, & flammis traditam in propositionibus 44., 45., 46., 47., 49., 61. 62. inter damnatas a Clem. XI. Ad ultimam confirmationem, in qua est tota vis argumenti, dicitur, non bene deduci malitiam, aut probitatem

tem operis ex pravitate, aut probitate operantis. In operante enim aut regnat amor Dei, seu charitas, aut amor sui, seu carnalis cupiditas, ut ab Augustino dictum est. (*Enchirid. cap.* 117.) Sicut autem Justus, in quo regnat charitas, potest aliquid facere non ex motivo charitatis, alias justus peccare non posset; ita impius, in quo regnat carnalis cupiditas, potest aliquid facere non ex motivo carnalis cupiditatis, & ita impius non in omni actu suo peccat, ut supra (*lib.* 7. *prop.* 4.) ostensum est, imo bene operatur. Bene, inquam, moraliter, non bene salutariter, id est, in ordine ad salutis æternæ meritum, de quo loquitur more suo Augustinus, & alibi (*ibid.*) adnotavimus. Non enim bonum aliquid dicere solet, nisi quod ad salutem æternam conducit.

16. Liquet II. ex præjactis Tridentini verbis, Attritionem extra Sacramentum non posse per sese hominem ad justificationem perducere; posse tamen intra Sacramentum hominem ad gratiam impetrandam disponere. Disputant vero Scholastici, & disputarunt etiam ipsiusmet Concilii tempore, an de remota, an de proxima dispotione Concilium loqueretur? an de attritione pura, an conjuncta cum amore Dei saltem initiali, remisso, & inchoativo? De hoc autem nihil fuisse ab Concilio expresse definitum, patet ex decreto Alex. VII. anno 1667. prohibentis: Ne quis audeat alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ inter Scholasticos videtur communior, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid ea in re definitum. Circa primum autem tenenda est assertio proposita, nimirum, Contritionem perfectam non esse necessariam ad gratiam intra Sacramentum obtinendam. Ait enim Concilium: (*Sess.* 14. *cap.* 4.) aliquando contingere, contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; sed dispositiones necessariæ ad introductionem alicujus formæ nunquam desumuntur ex iis, quæ aliquando præcedunt formam, sed ex iis, quæ ordinarie, & fere semper ipsam præcedunt, aut comitantur: ergo juxta Tridentinum Contritio perfecta non est ordinaria, & necessaria dispositio ad gratiam in Sacramento obtinendam. Inepte enim diceretur, Musicam esse dispositionem ad ædificationem, quia aliquando contingit Musicum ædificare. Estque hæc sententia Cler. Gallicani in Comitiis generalibus ann. 1700. monentis primum, ne quis putet in utroque Sacramento (baptismo, & Pœnitentia) requiri, ut præviam contritionem, quæ sit perfecta charitate, & quæ cum solo voto Sacramenti hominem Deo reconciliat.

17. I-

17. Item. Aliquid tribuit Concilium attritioni conjunctæ cum Sacramento, quod ei non tribuit extra Sacramentum; sed extra Sacramentum disponit remote ad gratiam, ut nemo negat: ergo conjuncta cum Sacramento disponit proxime. Confirmatur ex verbis Concilii. Attritionem enim, inquit, non posse perducere hominem ad justificationem extra Sacramentum: ergo adjuncta Sacramento potest hominem ad justificationem perducere. Confirmatur item: Nam quando Philosophi, aut Theologi loquuntur de dispositionibus ad aliquam formam, aut operationem necessariis, solum recensent dispositiones proximas, & immediatas, non quascumque remotas, quod longissimum esset, atque inutile: Præterea. Pœnitentia dicitur a Theologis *Sacramentum mortuorum*, quia non supponit in anima vitam gratiæ; sed eam supponeret, si ad Sacramentum requireretur contritio formata charitate; nam per hanc jam essent peccata remissa ante susceptionem Sacramenti, ut supra ostensum est: ergo. Deinde. Est Ecclesiæ a Christo data potestas ad remissionem peccatorum, idque per Sacramentum Pœnitentiæ, ut supra (*prop.* 1. *huj. Lem.* 1.) ostensum est: ergo aliquando per Sacramentum, atque per hominis ministerium dimittuntur peccata; alias Ministri absolutio nihil faceret, aut non esset peccati remissiva, sed solum declarativa peccati jam remissi; sed nullus est casus, in quo per hominis ministerium dimittantur peccata, si requiritur ad Sacramentum perfecta contritio formata charitate, tunc enim jam sunt per contritionem peccata remissa, ut supra: ergo contritio perfecta non est dispositio ad Sacramentum necessaria. Quum ergo Tridentinum dicit, Contritionem omni tempore fuisse necessariam, loquitur de Contritione generatim ut complectitur perfectam, & imperfectam, & loquitur distributione accommoda secundum tempora ante, vel post institutum Sacramentum. Quum vero dicunt Theologi, Attritionem fieri contritionem vi Sacramenti, non intelligendum est, Attritionem transire in contritionem, quum ex motivo, & objecto sint actus diversi. Id ergo unum volunt, Attritionem simul cum Sacramento eundem præstare effectum justificationis, quem præstaret perfecta Contritio, si verum aliquid dicunt.

18. Quid vero dicendum de Amore? Tempore quidem Alex. VII. communior erat sententia Theologorum, Attritionem sine aliquali etiam Dei amore stare posse, atque ad gratiam in Sacramento obtinendam disponere, quod Alexander ipse testatur. Quum vero Jansenius, & sui hujus sententiæ Patronos cæpissent, velut infensissimos hostes, & primi, maximique præcepti eversores ad populi invidiam per summam calumniam traducere, inquit Tournellius, (*de Sac. Pœnit. quæst.* 5. *art.* 3.) factum est, ut Galli Theologi temperamentum quod-

quoddam adjicerent asserentes, Attritionem aliqualem Dei amorem involvere, non quidem charitatis, quo Deus propter se ipsum diligitur, sed spei, aut Concupiscentiæ, quo Deus ut nobis bonus diligitur, & quæritur, huncque amorem Initialem, & inchoativum vocant, aut Intepretativum, & Virtualem. Nam quod parvulus exterritus ad matrem confugit, timoris est; quod vero ad matrem confugit, quod eam invocat, quod in ejus gremium se jactat, in eaque spem omnem suam, & subsidium collocat, amoris est, non quidem expressi, aut per actum explicati, sed significati exercite per ipsummet recursum ad eam, a qua salutem unice sperat, & quam sibi propitiam fore pollicetur. Ad hunc ergo modum peccator iram Dei fugiens sibi imminentem, atque ab nulla creatura auxilium sperans, ad Deum confugit cum proposito non ulterius peccandi, cum spe veniæ obtinendæ: occasio fugiendi ad Deum, & initium timor servilis est; quod vero ad Deum recurrit; quod ab eo veniam deprecatur, & sperat, quod Ecclesiæ clavibus se subjicit, quod novam vitam, & omnia mandata servare proponit, quod amicitiam Dei quærit, & medium a Deo institutum ad eam obtinendam exequitur, sine aliquo Dei amore vix concipi potest. Deum enim jam amat, qui Deum desiderat, ut est apud Augustinum. Quibus si addatur, veram Attritionem supernaturalem esse, quippe impulsum, & operationem Spiritus Sancti, quod ab Tridentino definitum est, nihil erit quominus sufficiens dispositio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam dicatur. Et de prima quidem Sacramenti hujus parte satis hæc sunto.

PROPOSITIO III.

Peccatorum Confessio ad eorum remissionem est omnino necessaria.

1. DE Confessione Sacramentali hic solum loquimur, quæ bene definitur: Accusatio propriorum peccatorum post baptismum commissorum legitimo Ministro facta ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam, quæ Græce dicitur *Exomologesis*, quamvis hoc nomen etiam pro tota actione pœnitentiæ Canonicæ interdum sumatur. Est enim, ait Tertullianus, (*de Pænitent. cap.* 9.) quædam prosternendi, & humilificandi hominis disciplina, ac veluti per longum tempus continuata confessio. Qui enim (*de orat. cap.* 7.) veniam petit, delictum confitetur. Porro (*Trident. sess.* 14. *cap.* 5.) ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam esse. Nam Domi-

nus JESUS Christus e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia referrentur, dicens: (*Joann.* 20.) Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, ubi pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat autem, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non posse, neque æquitatem in pœnis injungendis posse servare, si in genere duntaxat, & non potius in specie, & sigillatim sua ipsimet peccata declararent: declaratio igitur peccatorum ex jure divino, & ipsa Christi institutione descendit. Sacerdotes autem in Confessione Judicum munus gerere, contra Calvinum mox probabitur. Quoad modum autem, pergit Concilium, confitendi peccata secreto apud solum Sacerdotem, (quæ Confessio ad aurem, sive auricularis dicitur) & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, quum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulto humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde quum a sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu, secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio sancta Ecclesia usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus in Lateran. Concilio congregatis initium habuisse, docere non verentur.

2. Antiquitatem hanc, & constantem usum auricularis confessionis rident nostri temporis hæretici, & nupertime Germanus quidam Jurisperitus author liberculi cujusdam Anonymi de Confessione auriculari, cujus ne vestigium exstare, inquit, per octo priora sæcula. At pro Tridentini doctrina, non vestigia solum, sed firmissima exstant argumenta, & monumenta apertissima omnium sæculorum. Primus esto Clemens Romanus Apostolis coævus in 2. Epist. ad Corinthios, quæ genuina habetur: Ex toto corde ad Deum convertamur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Postquam enim hinc demigraverimus, nemo potest confiteri, aut pœnitentiam agere. Apertius Origenes, (*homil.* 2. *in Levit.*) qui secundo sæculo scripsit. Est etiam septima dura, & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum, quum non erubescat peccator Sacerdoti indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundum illud: (*Ps.* 31.) Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei... (*homil.* 3. *in Levit.*) Cuncta necesse est publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo, qui peccati accusator est, & incentor (nimi-

rum

rum a Diabolo.) Ipse enim, qui nunc ut peccemus instigat, ipse etiam quum peccaverimus, nos accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam Diaboli inimici nostri, & accusatoris effugiemus. Unde scriptum est: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris... (*homil. 2. in Ps. 37.*) Sicut enim qui habent intus inclusam indigestam escam... si vomuerint, relevantur; ita ii, qui peccaverunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur; si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris. Si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortasse & cæteri ædificari possint, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis periti Medici ipsius consilio procurandum est.... (*in fin. homil. 2. in Levit.*) Omnia, inquiens, ex quo deliqui, sive concupivi concupiscentiam sæcularem, sive quid aliud commisi, omnia ante te profero, & in orationibus meis in conspectu tuo pono.... (*homil. 17. in Luc.*) Unde si peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.... Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra, non solum Deo, sed & his, qui possunt vulneribus nostris mederi, atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Hæc omnia Origenes, quæ non aliter hodiedum in Ecclesia Catholica prædicantur, & docentur. Ex quibus constat, Confessionem olim fieri solitam non solum Deo, sed etiam homini, Confessionis materiam fuisse non ea sola peccata, pro quibus publica pœnitentia imponebatur, verum etiam singula etiam occulta, etiam mere interna, & solo verbo, aut cogitatione commissa. Constat etiam, non prius fuisse in Ecclesia Confessionem, & Pœnitentiam publicam, cui auricularis successerit; sed potius ex privata pœnitentia publicam processisse. Non enim in conventu Ecclesiæ producebantur peccata, nisi quæ Sacerdos promulgari jubebat; quando ita expedire videbatur ædificationi Ecclesiæ, & majori pœnitentis fructui. Ejusdem fere temporis scriptor Tertullianus. (*de Pœnit. cap. 9.*) Tantum, inquit, relaxat confessio peccatorum, quantum dissimulatio exagerat. Confessio enim satisfactionis consilium est; dissimulatio contu-

tumaciæ .... Satisfactio confessione disponitur; Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Loquitur autem de Confessione facta Sacerdoti. Subdit enim: (*cap.* 10.) Plerosque hoc opus tanquam sui publicationem suffugere, aut de die in diem diferre, pudoris puto magis memores, quam salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt... Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone existimatio hominis, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Quæ ad hæc reponit Kemnitius, jam dudum exsuflavit Bellarminus ostendens (3. *de Pœnit. cap.* 6.) Tertullianum loqui de Confessione homini facta, de Confessione secretissimorum peccatorum, de Confessione, si velis, publica, sed quæ auricularem, & privatam Presbyteris factam supponebat. Peccator, inquit alibi, (*in lib. extrem.*) institutam a Domino Exomologesin sciens, præteribit illam. Exomologesis autem, quæ magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, inquit idem, actus est, quo delictum nostrum Domino confitemur. Non vero Domino soli, nam alibi (*cap.* 9.) scribit, Pœnitentium esse Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, imo (in publica pœnitentia) omnibus fratribus in Ecclesiam introeuntibus legationes deprecationis suæ injungere .... Nam quum se ad fratrum genua prosternunt, Christum contrectare, & Christum exorare se credunt. Quod adeo frequens erat apud primores Christianos, ut inde nata fuerit Paganorum calumnia, Christianos Parentum suorum, id est, majorum, seu Presbiterorum suorum adorare naturam. Actiones autem istæ publicæ pœnitentiæ supponebant judicium, & consilium privati Sacerdotis, & spiritualis Medici; qui quæ in publicum proferre, expedire, quæ non, secundum personam, tempus, & locum, aliasque circumstantias arbitrabantur ad ædificationem Ecclesiæ, & majorem pœnitentis utilitatem, ut ab Origene dictum est. Irenæi Tertulliano coævi testimonium luculentissimum infra dabimus.

3. Tertulliano paulo posteriorem Cyprianum adnectimus in ep. 16. lib. 3. Nam quum in minoribus delictis ..... pœnitentia agatur justo tempore, & Exomologesis fiat, inspecta vita ejus, qui pœnitentiam agit, nec ad Communionem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita, quanto magis in his gravissimis, & extremis delictis caute omnia, & moderate secundum Domini disciplinam observari oportet..... (*auth. sermon.* 5. *de laps.*) Quanto fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo Sacrificii, aut libelli facinore constricti, tamen quoniam de hoc vel cogi-

gitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ suæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt. Scientes scriptum esse: Deus non deridetur. Rideri, & circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi: plus imo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit. En Confessionem apud Sacerdotem: Confessionem de omnino occultis, imo mere internis, qualis est cogitatio: Confessionem non voluntariam, & solius super erogationis, sed ex mandato Dei necessariam ad salutem. Non enim pœna criminis evaditur, inquit, quia non palam crimen admittitur. Habemus ergo auricularem, & privatam confessionem, qualem hodie servat Ecclesia.

4. In quarto sæculo Lactantius, ut veram Christi Ecclesiam ab cœtibus Hæreticorum distinguat, sciendum est, inquit, (*in extremo lib. 4. div. Inst. cap.* 17.) illam esse veram Ecclesiam Christi, in qua est Pœnitentia, & Confessio peccatorum, quæ peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat..... (*eod. lib.*) Porro Circumcisionem Deus, inquit, a carne mortali ad animam transtulit. Volens enim nostræ saluti pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiam nobis in illa Circumcissione proposuit, ut si cor mundaverimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur.... Quod si nondum soluta sunt vincula, inquit Athanasius, (*Serm. ad illa verba Profecti in Pagum &c.*) trade te discipulis JESU. Adsunt enim, qui te solvant pro potestate, quam a Salvatore acceperunt dicente: Quæcumque ligaveritis &c. Nam peccata necesse est, inquit Basilius, (*In brevior. regul. regula* 288.) iis confiteri, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est..... Omnino autem (*reg.* 289.) in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum corporis. Ut enim vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sunt, tenent, ita etiam peccatorum fieri debet, apud eos videlicet, qui ea curare possunt. Idem qu. 110. quærit, an dum soror Presbytero confitetur, adesse debeat Magistra, aut domus Rectrix? Item: (*Epist. ad Amphilochium Can.* 34.) Adulterio, inquit, pollutas mulieres, & confitentes (privatim) ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem majores nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus. Sed eadem causa mortis per leges civiles erat in homicidis, in sicariis, in furibus, incendiariis, & aliis hujusmodi, ut patet: ergo ad Confessionem publicam suorum scelerum adigendi non erant. De confessione igitur

ar-

arcana Basilius loquebatur, de qua eadem Greg. Nyssenus ejus frater: (*homil. in eos, qui alios acerbe judicant.*) Audacter, inquit, ostende illi, quæ sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera Medico retege. Ipse honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit... (*Epist. ad Letojum. cap.* 4.) Qui sua sponte scelerum suorum occultorum accusator esse voluerit, in minoribus pœnis versabitur... (*cap.* 6.) Qui latenter sibi usurpavit alienum.... si per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, & propria pauperibus largietur.... Imitemur igitur mulierem Samaritanam, ait Chrysostomus, (*homil. de muliere Samaritana.*) & ob propria peccata non erubescamus. Qui enim homini detegere peccata erubescit; neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illo, non coram uno, aut duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducentur. Si vis justificari, inquit Ambrosius, (2. *de Pœnit. cap.* 6.) confitere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. Loquitur autem de confessione homini facienda, nam exhortans ad maturandam pœnitentiam: Nescis, ait, (*cap.* 8.) an possis pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata tua. Hieronymus vero: (*Epist.* 1. *ad Heliodor.*) Absit, inquit, ut de Sacerdotibus quicquam sinistrum loquar.... qui claves Regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant. Augustinus autem ipsamet Ambrosii citata verba transcribit hom. 41. Additque alibi: (*hom.* 48.) Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa datæ sunt claves Ecclesiæ Dei. Frustramus Evangelium Dei: frustramus verba Christi.... (*hom.* 50.) Id agat pœnitens, quod non solum illi prosit ad veniam, sed etiam cœteris ad exemplum, ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, ne læthali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Publica igitur Pœnitentia sæpius post arcanam, & privatam agebatur judicio prudentis Confessoris, quod ex Origene supra dictum est. Confessor enim pro officio suo, inquit Hieronymus, (*in* 16. *Mat.*) quum peccatorum audierit varietates, scit, quis ligandus sit, quis solvendus. Causæ quippe pensandæ sunt, ait Gregorius, (*hom.* 26. *in Evang.*) & tunc solvendi, & ligandi potestas exercenda. Videndum, quæ culpa præcesserit, aut quæ pœnitentia sequuta sit. Hinc rursus Hieronymus: (*in* 10. *Eccl.*) Si quem serpens Diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam,

tiam, nec vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister, qui habet linguam ad curandum, facile & prodesse non poterit. Si enim erubescit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. Ergo quum peccator ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen Medicinæ sententiam, ait Augustinus, (*Serm.* 351. *alias homil.* 50. *cap.* 4.) veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, quem nimirum sive in privata, sive in publica pœnitentia tenere debeat.

5. Ex quinto sæculo habemus S. Leonem, cujus luculentissimum est testimonium ex Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ibi: Illam etiam contra Regulas Apostolicas præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De Pœnitentia, scilicet, quæ ita a fidelibus postulatur, ut de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, quum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen non omnium hujuscemodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare. Removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti...... Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Ergo postulare, aut exigere a pœnitentibus publicam, & dearticulatam suorum criminum confessionem est contra Regulam Apostolicam præsumptio, est illicita usurpatio, est improbabilis consuetudo, atque adeo numquam de hac fuit aut divinum præceptum, aut Canon Ecclesiasticus, aut Ecclesiæ consuetudo. Præterea: hoc se, Leo dicit, nuper agnovisse in Campania usurpari: ergo in tota Ecclesia Occidentali præter angulum Campaniæ non erat in praxi publica occultorum criminum Confessio, sed secreta solum, & auricularis, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti. Item ergo Leo, sicut Tridentinum Concilium non improbat publicam Confessionem ex zelo, ac devotione pœnitentis, aut ex suasione, & jussu Pœnitentiarii susceptam, quando Ecclesiæ Antistiti ad publicum scandalum reparandum expedire videatur, laudat potius plenitudinem fidei, quæ propter timorem Dei non veretur apud homines erubescere. Nec improbat Pœnitentiam publicam, quæ semper fuit in Ecclesia, & hodie dum non est infrequens,

quens, quum etiam propter occulta crimina publice actiones Pœnitentiæ exercentur, ita tamen ut in delicti naturam, aut quandoque etiam in personæ cognitionem devenire non possit plebs, ut & de bono opere ei detur exemplum, & ne pœnitenti infamiæ, aut alicujus temporalis periculi incommodum immineat, causa remaneat secreta. Sed de his late alibi (*prop.* 5. *huj.*) adversus Morinum. Interea habemus ex quinque prioribus sæculis privatæ confessionis firmissima argumenta. Immo quotcumque veterum Patrum scripta sunt, quot Conciliorum decreta, quotquot antiquissimi, & multiplices Canonum Pœnitentialium, & Ritualium libri, quibus pœnitentiæ modus indicitur, totidem Confessionis arcanæ firmamenta, ac monimenta retinemus. Jubent antiquissima Patrum, & Ecclesiæ consulta, Lapsos pro peccatorum gravitate plecti, & ab Antistibus, & Sacerdotibus pœnitendi leges, & conditiones accipere, ut eorum causa cognita, & prudenter æstimata, levioribus illos, gravioribusve pœnis coerceant. Quis nisi insanus aliter id administrari putet, quam si peccata sua ille ipse, qui admisit, exponat? Confessione igitur, aut declaratione aliqua opus est. Verba sunt Petavii in not. ad Epiphanium.

6. Neque solum ex veterum monumentis doctrinam hujus rei habemus, sed etiam factorum exempla apertissima. Iræneus antiquissimus Pater, & Apostolis, aut eorum discipulis fere suppar de quibusdam fœminis a Marco hæretico circumventis: Hæ, inquit, (*lib.* 1. *cap.* 13. *alias cap.* 9.) sæpissime ad Ecclesiam Dei conversæ confessæ sunt, se ab eo corruptas, & veluti cupidine inflammatas valde illum dilexisse. De alia item, inquit: (*ibid.*) Hanc quum fratres magno labore convertissent, nunc tempus in Exomologesi consummavit, plangens, ac dolens eam, quam passa fuerat, ab eo mago corruptelam. Cerdo, inquit alibi, (*lib.* 3. *cap.* 4.) sæpe in Ecclesiam veniens, & Exomologesin faciens, sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo Exomologesim faciens. Exomologesis vero, uti diximus, vel significat Confessionem, vel adjunta opera Pœnitentiæ, confessione supposita. Nunquam enim Exomologesis significat opera Pœnitentiæ sine Confessione. Loquitur ergo Pater de Confessione, & Pœnitentia privata. Nam publica nec de occultis erat, nec nisi semel fieri poterat. Paulinus Ambrosii discipulus, qui ejus vitam scripsit, de Ambrosio eodem: Quotiescumque aliquis, inquit, ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos apud se confitebatur, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. Eusebius (6. *Hist. cap.* 34.) Philippi Cæsaris confessionem laudat, item (*cap.* 9.) Confessionem unius

ex

ex accusatoribus Narcissi Hierosolymitani, item (*cap.* 43.) confessionem unius ex Ordinatoribus Novati. Mulieres adulteras confitentes ob pietatem memorat Basilius. At qua confessione? Nam eas etiam quomodocumque convictas publicari prohibitum erat a Patribus, ut Basilius idem testatur supra. (*Epist. ad Amphiloch. cit.*) Idem meminit arcanæ Confessionis sororum, aut sanctimonialium fœminarum cum Presbyteris. Habetur apud Socratem, (*lib.* 5. *hist. cap.* 19.) & Sozomenum (*lib.* 7. *cap.* 16.) historia notissima mulieris illius, quæ accedens ad Pœnitentiarium Presbyterum, delicta post baptismum a se perpetrata particulatim confessa erat. Nam, inquit Sozomenus, quum in petenda venia, peccatum necessario confiteri oporteat, grave, ac molestum jure merito visum est Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine crimina sua evulgare. At quo jure ad veniam necessaria est peccati confessio, nisi jure divino? Quomodo vero per confessionem peccata ad Sacerdotum notitiam devenirent, nisi publice evulgarentur, aut privatim iisdem revelarentur. Primum vero grave, ac molestum jure merito visum est Sacerdotibus, neque ulla humana lege præcipiendum, ut Tridentinum loquitur: (*Sess.* 14. *cap.* 5.) Solum esgo restat, ut peccata Sacerdoti per privatam, & auricularem confessionem innotescerent, & hæc illa est pœnitentiæ ratio, quam ab initio tenuit, & nunc etiam prudentissime servat Ecclesia Dei. Itaque per singulas Ecclesias, quod de Constantinopolitana narrat Sozomenus, (*loc. cit.*) ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur.

7. Ex hujus autem mulieris historia ita argumentatur Kemnitius, (*in* 2. *p. Examen.*) ut probet, nullum Confessionis genus ex jure divino, sive ex Christi institutione descendere. Nam vel privata, vel publica? Publicam sustulerunt Episcopi, ut Socrates (*loc. cit.*) narrat. Postquam enim, ait, Novatiani se ab Ecclesia sejunxerunt, eo quod cum illis, qui in Deciana persequutione lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore Episcopi Pœnitentiarium Presbyterum albo Ecclesiastico adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur. Privatam autem sustulit Nectarius, ut idem narrat Socrates. (*ibid.*) Quum enim nobilis illius fœminæ confessionem narrasset, mox subdit: Pœnitentiarius Presbyter præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus vacaret, quo scilicet cum peccatorum confessione, opus etiam pœnitentiæ, & satisfactionis ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est Ecclesiæ, videlicet, Diaconum

cum ipsa strupi consuetudinem habuisse. Id quum dixisset, (in publicum) Diaconus quidem ab Ecclesia ejectus est; populus vero graviter commoveri cœpit. Neque solum propter scelus, quod patratum fuerat, indignabantur, verum etiam eo, quod labes haud mediocris, atque infamia hoc facto videbatur adspersa Ecclesiæ. Quum igitur Ecclesiastici homines eam ob causam dicteriis appeterentur, Nectarius Eudæmonis Presbyteri suasu, Pœnitentiarium Presbyterum expunxit, unicuique vero pro arbitrio suo, & pro animi conscientia ad Sacramentorum communionem accedere permisit. Hic, inquit Calvinus, (3. *inst. cap.* 4. §. 7.) hic asini isti arrigant aures. Si ex jure divino est auricularis, & privata confessio; quî ausus est Nectarius eam refigere, & convellere? Si autem est de jure divino publica confessio, quî potuit ab Episcopis abrogari post schisma Novatianum. Nulla igitur Pœnitentialis Confessio est de jure divino, sed ex humana institutione descendit. Confirmatur adversus Valdensem, & alios, qui Nectarium ea in re graviter peccasse, censuerunt. Nam Nicolaus Papa in Epistola ad Photium, quæ habetur in Syn. 8. vocat Nectarium Expugnatorem Hæreticorum, & Ecclesiæ defensorem. Hanc autem laudem non meruisset, qui gravissimo crimine institutam a Christo Confessionis legem sustulisset: ergo. Confirmatur item: Nam Joannes Chrysostomus vir sanctissimus, & immediatus Nectarii successor (*hom.* 2. *in ps.* 50.) factum ejus non probavit solum, sed etiam sæpissime commendavit. Inquit enim: Peccata tua dic, ut doleas. Si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobat, dicito Deo, qui curat ea.... (*hom. de Pœnit. & Confes.*) Nunc enim neque necessarium est præsentibus testibus confiteri... (*homil.* 5. *de incompreh. nat. Dei.*) Non te in theatrum duco conservorum tuorum, non hominibus peccata tua detegere cogo.... (*homil.* 31. *in epist. ad Hebr.*) Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses.... (*homil. de Pœnit. & Conf.*) Absque teste fit hoc judicium. Solus te Deus confitentem videat.... (*homil.* 31. *in epist. ad Hebr.*) Ante Deum confitere peccata tua. Apud verum Judicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.... (*homil.* 4. *de Lazaro.*) Cave homini dixeris, ne tibi exprobret..... (*homil.* 8. *de Pœnit.*) Intus in conscientia tua, adstante nemine, præter eum, qui cuncta videt, Deum reforma, quod deliquisti...... (*ibid.*) Non reveles ulcus tuum, non in commune theatrum accusationem producas, non delictorum testes statuas. Et his similia multa. Quem sequutus Cassianus. (*coll.* 20.) Si verecundia, inquit, retrahente, revelare coram hominibus erubescis, illi, quem latere non

pos-

possunt, confiteri jugi supplicatione non desinas, qui & absque ullius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit.

8. En argumentum ex humana, & Græca historia, nec probatissimorum Scriptorum, nec satis sibi consentientium petitum, cui quum fidem omnem abnegaveris, in tuto eris. Nec enim probare cogimur; aut cum recta fide componere quidquid Græcia mendax scribit in Historiis. Facti tamen admissa veritate, hoc est invictissimum ex Patribus Tridentini argumentum. Christus JESUS hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent, verba sunt Leonis; (*ep.* 91.) sed actio competens pœnitentiæ dari non potest, neque salubris satisfactio ad purgationem imponi, nisi commissa post baptismum scelera aliquomodo Sacerdotibus innotescant: nam qui abscondit scelera sua, non dirigetur, & quæ ignorat Medicina, non sanat: aliqua ergo peccatorum confessio de jure divino necessaria est ad effectum divinæ institutionis; sed de publica confessione nullum est Dei mandatum, estque aliunde adeo gravis, atque humanæ rationi repugnans, ut nec ulla humana lege satis consulto præcipi possit, maxime quum peccata commissa ejus naturæ sunt, ut possint sæcularium legum constitutione percelli: ergo saltem arcana, & auricularis confessio est necessaria, per quam & pœnitentium famæ, & incolumitati consulitur, & simul sufficienter, ut plurimum morbis animi subvenitur, præter casus publici scandali, in quo publica confessio, aut pœnitentia necessaria videtur, quæ etiamnum in Sancta Christi Ecclesia salubriter usurpatur. Ergo Kemnitiani Syllogismi utraque pars minoris negatur. Nego, Episcopos tempore Decianæ persequutionis Pœnitentiam publicam sustulisse. Nego, Nectarium sustulisse Confessionem auricularem, & privatam. Nam I. Pœnitentiarius ille Presbyter constitutus fuit ab Episcopis pro his, qui in Decii persequutione lapsi fuerant; sed Lapsi in persequutione Idolis sacrificando, fidem negando, aut libellum obtinendo, erant publicæ, & non solum privatæ pœnitentiæ addicti: ergo. II. Ille dicitur Præpositus super Pœnitentes; sed Pœnitentes simpliciter non dicebantur, nisi qui ob gravissima crimina publicam pœnitentiam agentes sub cilicio, divino fuerint altario reconciliati, ut in I. Concilio Toletano dicitur: ergo Pœnitentiarius præpositus erat Pœnitentiæ publicæ, & super ipsam agentibus invigilabat. III. Fatetur hoc ipsum Calvinus. (3. *in Instit. cap.* 4.) Is enim est, inquit, quem hodie quoque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Pœnitentiarium vocant, graviorum criminum, & quorum censura ad exemplum pertinet, Cognitorem, & Inspecto-

rem. Sed graviora crimina, & quorum censura ad publicum exemplum pertinet, non nisi publica pœnitentia purgabantur: ergo Pœnitentiarii officium erat pœnitentiam publicam imponere, atque ejusdem observationi invigilare. Quomodo ergo per ejus creationem cessavit Pœnitentia publica? Quomodo tempore Decianæ persequutionis cessavit pœnitentia publica, quum in Occidentali Ecclesia, & Orientali temporibus Basilii, Gregorii Nisseni, Ambrosii, & Augustini illam solam viguisse velitis, de eaque sola dicta horum Patrum interpretemini?

9. Nego item secundam partem minoris, nimirum, Nectarium sustulisse pœnitentiam, sive Confessionem secretam, & auricularem. Sozomenus enim (*lib. 7. Hist. cap.* 16.) diserte asserit, constitutionem Episcoporum de Pœnitentiario Presbytero Romæ potissimum accurate observari, ac deinde ritum pœnitentiæ publicæ describit, quæ Romæ suo tempore observabatur. Calvinus etiam (*loc. cit.*) fatetur, Pœnitentiarium Presbyterum ipsum esse, qui nunc in Cathedralibus Ecclesiis Pœnitentiarius dicitur; sed nunc, & tempore Sozomeni Romæ non vigebat, nisi auricularis, & secreta confessio, ut ex S. Leone patet, qui ante Sozomenum vixit, cujus verba attulimus: ergo per creationem, aut abolitionem Pœnitentiarii non est abolita secreta Confessio. II. Nullo modo fieri poterat, ut quotquot Pœnitentiæ Sacramento indigerent, Constantinopoli, aut in aliis civitatibus ad unum Pœnitentiarium Presbyterum confluerent: ergo præter illum, erant alii per singulas Ecclesias, qui peccatorum Confessionibus excipiendis incumberent. Non igitur Pœnitentiarium adire cogebantur, nisi qui propter graviora crimina, quorum censura ad exemplum pertinebat, publicæ Pœnitentiæ erant obnoxii. Erant enim hujusmodi peccata Pœnitentiario veluti reservata. Eo igitur per Nectarium expuncto, reservatio illa sublata est, non secreta Sacramentalis confessio. Tumultus enim in populo excitatus, & infamia toti Sacerdotali Ordini adspersa, non ex auriculari confessione, sed ex publica oriebatur. Unde Socrates: propter hoc facinus hoc modo patefactum Diaconus ab Ecclesia ejectus est, tumultus inde populi &c. Et similia Sozomenus. Id, quum dixisset mulier, Diaconus ab Ecclesia &c. Sed dices. Si Pœnitentiarius vir erat vitæ integritate spectatissimus, & taciturnitate, ac prudentia pollens, & mulier ipsi secreta confessione delicta sua exposuerat, quî potuit mulieris peccatum cum Diacono in publicum prodire? Dicendum, Pœnitentiarium omnia mulieris peccata secreta confessione audivisse, ex his vero juxta officium suum ei præcepisse, ut hoc, aut illud publice in Ecclesia confiteretur, quæ videbantur publica pœnitentia purganda, quod Antistites, & Sacerdotes facere solitos ex Origene, & Augustino vidimus. In ea igitur publica confes-

fessione, & actione pœnitentiæ mulier, inquit Socrates, (*lib.* 5. *cap.* 19.) longius in confitendo progressa, id est, ultra quam par erat, & præter id, quod ipsi mandatum fuerat ex indiscreta devotione progressa peccatum suum cum Diacono manifestavit. Inde tumultus populi, & Sacerdotii dedecus, expulsio Diaconi, & abolitio Pœnitentiarii, unde jure, an injuria? scandalum ortum videbatur. Dices iterum. Nectarius unicuique permisit, ut pro arbitrio, & conscientia animi sui ad Sacramentorum communionem accederet: ergo Confessionis necessitatem, & privatæ Confessionis etiam usum sustulit. Nego consequentiam. Nectarius enim quod erat juris humani sustulit, nimirum, Pœnitentiarii authoritatem, seu reservationem criminum graviorum, & publica censura eluendorum, unde eum Pœnitentes adire tenebantur. Reliquum autem Pœnitentiæ Sacramentalis negotium in eo statu reliquit, in quo ab initio Ecclesiæ fuerat, nimirum, ut probet se ipsum homo, & secundum conscientiam suam qui non se indignum inveniret, ad Sacramenta accederet, qui vero se indignum inveniret, ad ordinarium Pœnitentiæ a Christo institutæ remedium confugeret, & claves Ecclesiæ, unde est ligandi, & solvendi potestas. Et de facto quidem Nectarii satis dictum cum Bellarmino. (3. *de Pœnit. cap.* 14.)

10. Prima Confirmatio ex Epist. Nicolai Papæ non nos ferit, sed eos, qui Nectarium damnant. Et certe quidquid sit de sanctitate, & doctrina Nectarii, qui Laicus adhuc, & Catechumenus ad Episcopatum evectus est, Socrates quidem, Sozomenus, Nicephorus, Cassiodorus eum ob factum illud reprehendunt potius, quam laudant.. Sed (*Rom.* 14.) domino suo stat, aut cadit. Chrysostomus vero, de quo in 2. Confirmatione, per illas loquutiones hortatur sæpe homines ad Pœnitentiam, quæ virtus est, non ad Pœnitentiam, quæ Sacramentum est. Illa enim per se justificat, etiam non suscepto in re Sacramento, per votum solum Sacramenti, quod per ea dicta non excluditur. Ad virtutem itaque internæ Contritionis commendandam ita quandoque loquitur, ut videatur omne hominum ministerium non solum excludere, verum etiam improbare, oratorio more in contrarium extremum vergens. Non etiam de omni homine loquitur, sed de cœtu hominum, de Theatro, de testibus, de exprobrantibus, ut quum ait: Cave homini dixeris, ne tibi exprobret, nam quum publica fieret confessio, non deerant, ut ex Origene (*hom.* 2. *in Ps.* 37.) discimus, qui Confitentem exprobrabant, qui notarent, qui irriderent. Quod vero Chrysostomus non omnem hominis notitiam excluderet, patet ex hom. 4. de Lazaro: Non cogo te in medium prodire theatrum, nec multos adhibere testes: mihi soli dic privatim peccatum tuum ...... (*lib.* 2. *de Sacerdotio*.) Multa quidem arte opus est, ut qui laborant,

Chri-

Christiani sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere. Meminit etiam hom. 30. in Genes. de Confessione fieri a Christianis solita hebdomada ante Pascha, ibi: Quia ad magnam hanc hebdomadam pervenimus, nunc maxime jejunii intendendus est cursus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura confessio peccatorum. Eodem modo Cassianus intelligendus est, & nonnulli in eandem sententiam Patres.

11. Jam vero ulterius præjacta assertio ex ipsismet Hæreticorum testimoniis convincitur. Lutherus de Captiv. Babil. cap. de Pœnitentia scribit, Confessionem secretam, quæ modo in Ecclesia celebratur, sibi valde placere, utilem esse, imo potius necessariam, non tamen eàm de jure divino esse, neque omnium peccatorum esse debere contendit: Calvinus (3. *instit. cap.* 4. §. 7.) vetustissimum ejus usum esse fatetur: ergo non Innoc. III. ann. 1215. hunc conscientiis laqueum injecit, quod alibi (*in antidot. Conc. Trid.*) scripsit. Nam quis in 16. sæculo scribens vetustissimum dixerit, quod trecentos ante annos in Ecclesia cœperit observari? Interim, ait alibi Calvinus, quin sistant se oves Pastori, quoties sacram Cœnam participare volunt, adeo non reclamo, ut potius velim hoc ubique observari. Sed an præter casum Cœnæ suscipiendæ non debent homines peccatorum suorum remissionem procurare? Hinc rejicitur etiam Philippus Melanctonius, qui in Augustana Confessione scribit: (*art. de Confessione.*) Confessio apud nos non est abolita: non enim dari solet corpus Domini, nisi antea exploratis, & absolutis. Et item: De confessione peccatorum docent nostri, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quanquam non sit necessaria peccatorum enumeratio. Est enim impossibilis juxta illud: Delicta quis intelligit? Œcolampadius librum scripsit de hoc argumento: Quod non sit onerosa Christiano Confessio, tamen Confessionem non vult esse a Deo, neque ab Ecclesia præceptam nisi manifestorum criminum. Occulta igitur irremissa manebunt. Kemnitius item in 2. part. Examinis, (*cap.* 5.) ubi de Pœnitent. Privatæ, inquit, Confessionis usus apud nos servatur.... ut petatur Absolutio. Quumque non sine judicio usurpanda sit Clavis aut solvens, aut ligans; in privato illo colloquio Pastores explorant auditorum judicia: deducuntur ad considerationem peccatorum: exploratur an serio doleant de peccatis: an iram Dei fugiant, an habeant propositum emendationis: interrogantur etiam, si in certis quibusdam peccatis hærere existimantur: traditur illis doctrina, & exhortatio de emendatione, & tali Confessioni impertitur absolutio. Alibi (*loc. cit. pagin.* 1015.) Kemnitius idem: Non dissimulandum tamen, inquit, exstare præterea apud veteres multas sententias, quibus exhortantur populum, ut alia etiam peccata (præter manifesta, seu publica) Sacerdoti per con-

confessionem exponant. Considerandum est autem qua ratione, quo sensu, & in quem finem privatam illam confessionem commendarint. Nullo modo enim senserunt jure divino necessarium esse ad remissionem peccatorum omnia, in specie, & sigillatim Sacerdoti juxta omnes circumstantias enumerare .... Alias vero rationes habuerunt Sancti Patres, propter quas & servarunt, & commendarunt privatam Confessionem, quia scilicet est utilis disciplina I. ad rudiorum informationem. II. ad remedia contra futura peccata. III. ad consilium capiendum in rebus dubiis. IV. ad consolationem Pœnitentis ex privata absolutione. V. ut ipsis constet de seria Pœnitentia. Interim habemus Confessionem privatam utilissimam esse: habemus eam esse ab Antiquissimis, & sanctissimis Patribus commendatam, & ab eorum tempore etiam usu observatam vetustissimo, & constantissimo. Nihil ergo non verum apud Tridentinum dicens: Quum a sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta Confessio, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, &c. Adde demum Kemnitium confitentem pag. 1020. inveniri apud Patres sententias etiam duriores, quæ ad necessitatem confessionis inclinent. Sed iis, inquit, opponendæ sunt aliæ dissimiles aliorum PP. sententiæ. Certe, ut argumentatur Bellarminus, (3. *de Pænit. cap.* 12.) Confessio peccatorum in specie, res est in tota Christiana Religione durissima, atque onerosissima, tantæque difficultatis ut incredibile sit aut Ecclesiæ præsides ausuros fuisse legem hujusmodi ferre, aut populis persuaderi potuisse, ut ejusmodi legem acciperent, & tot jam sæculis observarent, nisi divinum præceptum, divina institutio, divina promissio accessissent. Maxime quod ante Iræneum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, nulla fuerint Oecumenica Concilia, nulla de hac re Romanorum Pontificum decreta, ab quibus initium repeti possit.

COROLLARIUM I.

12. Ex his colligitur, inquit Tridentinum ses. 14. cap. 5. oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam occultissima. Qui enim secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Quod enim ignorat Medicina, non curat. Non potest autem unum peccatum sine alio curari.

CO-

COROLLARIUM II.

13. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quasi sine illis neque ipsa peccata a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte judicare possint, & pœnam, quam oportet pro iis pœnitentibus imponere. Verba sunt Tridentini. (*loc. cit.*)

SCHOLION.

14. De circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus disputant Scholastici. Canus, & Suarezius, Tournellius cum recentioribus plerisque explicandas esse contendunt, Vasquezius (*q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2.) cum multis aliis negat, quos inter affertur D. Th. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. ibi: Non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt. Certe Tridentinum cit. sess. præmittit, se exactiorem, & pleniorem de Sacramento Pœnitentiæ definitionem traditurum. Deinde. Hæc verba præmittit: Nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigitur, nisi ut &c., & deinceps doctrinam tradit de circumstantiis speciem mutantibus: ergo quum nihil addiderit de circumstantiis notabiliter aggravantibus, signum est vel hoc ab Ecclesia non exigi, vel Concilium non plenam, & exactam de Pœnitentia doctrinam tradidisse, uti promiserat. Quod si Concilium rem apud Theologos controversam definire noluit, cur nos definiamus? Unusquisque in suo sensu abundet. Maxime quod contrariæ Scholasticorum sententiæ, descendendo ad praxim, & particulares casus, non multum discrepant, inquit Suarius, (*disp.* 22. *de integr. Confess. sectione* 3.) nam quoties circumstantia variat morale judicium, fatentur utriusque sententiæ Doctores, esse declarandam. Varietas autem moralis judicii circa morales actus infinitum quid est, & ad Metaphysicam potius, quam ad Theologiam spectans, & ex qua multum perplexitatis, & obscuritatis in conscientias offunderetur. Judicium item morale Confessoris non ad peccati absolutionem, cujus species cognoscitur, sed ad imponendam satisfactionem requiritur, qui finis secundarius est Sacramenti, non primarius.

COROLLARIUM III.

15. Confessionem Sacramentalem inter absentes perfici non posse. De hoc quidem late disputatum est ab Scholasticis ante Clem. VIII. definitionem an. 1605. Exstatque antiquus canon apud Gratianum dist. 1. de Pœnit. cap. Quæ pœnitet, qui decerptus dicitur ex Augustino in libro de vera, & fals. Pœnit. ibi: peccata confitenda sunt corporali præsentia, non per Nuncium, neque per scriptum: Sic enim præcepit Christus. Sed librum illum Augustini non esse, certius est. Favet etiam D. Thom. in 4. dist. 17. qu. 2. art. 4. inquiens: in casu extremæ necessitatis utilius esse confiteri laico præsenti, quam Sacerdoti absenti; sed confessio facta Laico præsenti non est Sacramentalis ut ipse D. Thomas docet: (*qu.* 8. *Supplem. art.* 2. & 3.) ergo minus confessio facta Sacerdoti absenti. Rationem vero ex Sacramenti natura petitam assignare difficile est. Sufficit universæ Ecclesiæ praxis, quæ optima est legum interpres, quam confirmavit Clem. VIII. decretum 2. Jul. ann. 1602. ubi hanc propositionem, scilicet, licere per litteras seu per internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem accipere, tanquam falsam, temerariam, & scandalosam damnavit. Nec dici potest, Pontificem non confessionem absenti fieri prohibuisse, sed eam solam, ex qua sequatur Sacramentalis absolutio. Utrumque enim divisim se proscripsisse Pontifex declaravit, itemque Paulus V. qui eam Suarezii interpretationem expungi jussit ex tom. 4. in 3. p. disp. 21., sect. 4. Sed urget Morinus, (6. *de Pœnit. cap.* 25.) & more suo quodcumque paradoxum invenit, pro antiqua Ecclesiæ disciplina accipiens multa exempla profert absolutionis absentibus datæ, ut Serapioni, Roberto Cenomanensi, Potamio Bracarensi, Thomæ Cantuariensi ab Alex. III. Episcopo Lincolniensi, Episcopo Leodiensi, Alphonso Regi ab Greg. VII. Hildebaldo ab Hincmaro. Sed hæc, inquit Tournelius, (*qu.* 6. *de Pœnit. art.* 4. 2. *conclus.*) viris oculatis, & perspicacibus decretoria visa non sunt. Non enim distinxit Morinus inter absolutionem a peccatis, sive Sacramentalem, & Canonicam, sive Indulgentialem, a censuris, & a pœnis. Nam merito, inquit idem Morinus, (*lib.* 10. *cap.* 22.) Pontifices licet absentes, licet confessionem non audierint, peccata dicuntur absolvere, aut remittere, quum Indulgentias concedunt, cujus virtute Pœnitentia canonica expungitur. Hincmarus Hildebaldum hortatur, ut præter illam generalem confessionem, quidquid se commisisse cognoscat, specialiter, & singillatim Deo, & Sacerdoti satagat confiteri. Alex. III. Thomam Cantuariensem monet, ut si quid commisit, de quo eum propria remor-

deat conscientia, illud provido, & discreto Sacerdoti confiteatur: Ergo neque Gregor. VII., nec Alexandr. III. neque Hincmari absolutio Sacramentalis fuit, & similiter dicendum de Roberto. Potamius autem nec a Concilio Toletano absolutus fuit, sed continuo depositus, & duræ pœnitentiæ subjectus. Dices: Paulus absens (2. *Corinth.* 2.) incestuosum Corinthium absolvit. Respondeo a peccato, nego; a pœnitentia imposita, ex Indulgentia, concedo. Refert item Morinus (*sect.* 5. *tit.* 3.) ex Hermenopulo, Episcopum quemdam sub Luca Patriarcha, militi cuidam homicidæ, intra breve tempus absolutionem per scriptum misisse. Et apud Antoninum (3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. *&* *tit.* 17. *cap.* 12.) PP. Basiliensis Concilii interrogati de absolutione data ab Sacerdote non habente jurisdictionem, responderunt posse illum, impetrata jurisdictione, pœnitentem, ubicumque fuerit absolvere. Sed hi casus factum quidem probant, si veri sunt; jus autem, quo facta sunt, non probant, nec Lucas Patriarcha, nec Basileenses PP. dicuntur illud approbasse. Quod si Basileenses PP. approbarunt, illud *ubicumqoe fuerit*, ita intelligendum est, non etiam si fuerit absens; sed ubicumque sibi occurrerit etiam extra territorium Episcopi approbantis. Adde hæc aliis multis, quæ circa Morini assertiones, & probationes alibi diximus.

COROLLARIUM IV.

16. Personam Complicis manifestare non licet, nisi quum ad peccati speciem pertinet, maxime si præceptum urget. Si enim non urgeat, consultius est adire Sacerdotem, cui persona Complicis nota non sit, ut & famæ complicis consulatur, & integritas confessionis servetur. Ad propriam autem pœnitentis, aut complicis utilitatem, quamvis illius peccatum manifestare non sit illicitum, in praxi tamen sæpe non expedit. Ita Tournellius. (*qu.* 6. *art.* 4.) Possent enim facile Sacerdotes in violati sigilli suspicionem venire, aut complices prætextu Confessionis improborum calumniis patere.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Sacerdos per verba: Ego te absolvo &c. vere remittit peccata, etiam ante expletam Pœnitentiam.

1. SIngula verba totidem continent Catholicæ doctrinæ dogmata. Dixi *Sacerdos*. Quia nullus præter Sacerdotem est, sive ordinarius, sive extraordinarius hujus Sacramenti Minister. Nullus enim Catholicus dubitat, inquit Morinus, (*lib.* 8. *cap.* 23.) authoritatem absolvendi a peccatis ad solos Presbyteros pertinere. Sic enim est a Concilio Tridentino definitum: (*Sess.* 14. *cap.* 6.) Declarat enim Sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii alienas doctrinas omnes, quæ ad alios præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt. Jus enim hoc solis permissum est Sacerdotibus, nec peccata aliis aperienda sunt, quam illis, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Ita est namque divinitus institutum, ut indulgentia Dei non nisi Sacerdotum supplicationibus obtineri possit, ut Hieron. (*in Math.* 18.) Basilius, (*in reg. brev.*) Leo, (*epist.* 91.) & quis non Patrum?

2. Contra hanc tamen nubem testium, & decretoriam authoritatem Morinus idem nodum in scirpo quærens, & aliquid, quod recens Ecclesia innovaverit, invenire cupiens, hanc thesim probandam suscipit lib. 8. cap. 23. Diaconis confessionem in extremo periculo audire, & pœnitentes reconciliare a multis Latinis, & multorum sæculorum spatio permissum. Deinde ut huic παραδοξῳ fidem adstruat, duo alia adnectit παραδοξοτερα: Diaconis, inquit cap. 24. hoc privilegium a nonnullis Ecclesiis fuisse concessum minus mirabitur, qui duo consideraverit. Primum: ipsam sacrificandi prærogativam Diaconis a pauculis Ecclesiis quibusdam permissam, aut certe conniventibus illis Ecclesiis temere a Diaconis usurpatam. Secundum: plurimos absolvendi a peccatis facultatem in extremo periculo Laicis concessisse. Ex his autem primum jam impugnavimus supra, (*lib.* 15. *prop.* 7.) quum de Ministro Eucharistiæ. Probabitur quidem Diaconum quandoque celebrare tentasse, sicut passim nunc Laici plures, sed Sacramentum confecisse, aut privilegium sacrificandi, aut prærogativam, aut facultatem habuisse, nunquam probabitur, nec unquam ex permissu, aut conniventia Ecclesiarum id tentasse, quod erat probandum. Jam vero quod ad præsens attinet, negamus, unquam Diaconos, aut Laicos confessionem Sacramentalem audivisse, aut absolutionem a peccatis dedisse. Nego, eam unquam, absente Presbytero, de ejus delegatione, aut jussu dare potuisse. Nego, unquam Prælatos Ecclesiæ id permisis-

 se:

se. Nego, id unquam permittere, aut delegare potuisse. Dictum autem Cypriani in Ep. 12. ad Presbyteros: Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim delicti sui facere possit, ut manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace ad Dominum transmittantur. Hæc, inquam, verba, quibus consonant multæ aliæ Conciliorum, & Authorum Ecclesiasticorum sententiæ intelligenda sunt non de absolutione remissiva peccati, sed de reconciliatione Canonica Pœnitentium, quam per manuum impositionem dare solum poterant ordinarie Episcopi, & quæ erat omnino necessaria, ut Pœnitens ad Sacramentorum participationem admitteretur, de qua Concil. Illiberitanum, (*cap.* 32.) & Eboracense, (*an.* 1194.) & Londinense, (*an.* 1200.) & Alcuinus, (*de Div. offic. cap. de jejun.*) quanquam nemo ex his locis, Diaconos, ex delegatione absolvere a peccatis posse somniaverit. Unde Morinus ipse ad calcem cap. 24. itaque, inquit, nulla est istius Confessionis necessitas; nullus ex opere operato effectus; sed si fiat pio quodam, & voluntario humilitatis affectu, vim omnem, & efficaciam ex Pœnitentis devotione, & humilitate mutuabitur; e Sacramenti virtute nullam. Idem in admonitione ad lectorem de Recognitione operis sui: Quæ, inquit, de absolutione ab Diaconis, aut ab Laicis dicta sunt, moneo non esse intelligenda, nec intelligi posse de Absolutione Sacramentali .... Itaque non potest esse illa absolutio nisi quædam Cæremonia, sive Sacramentale aliquod a quibusdam Ecclesiis institutum in absentia veri Sacramenti, & impotentia adipiscendi institutum, & ab Ecclesia Catholica tunc non improbatum, quo morientis, aut gravissime periclitantis votum Sacramenti, & interior dispositio monstrabatur, atque excitabatur, & per quam Pœnitens a Deo precibus Ecclesiæ Sacramenti effectum promerebatur, & non nuda majoris Excommunicationis absolutio &c. Duo ergo illa Capita lib. 8. pro non scriptis habeantur. Siquidem duo, vel tria continent Antiquæ Disciplinæ capita, quæ nunquam fuerunt.

3. Dixi item: Per hæc verba: *Ego te absolvo*, quod est dicere: Formam hanc absolutionis indicativam, qua post quingentos abhinc annos Latina Ecclesia utitur, optimam esse, & congruentissimam Sacramenti Pœnitentiæ formam, nec aliam adhiberi jam posse. Explicatur per partes singulas primum proposita Assertio. Absolutio enim fieri potest per verba deprecativa: Absolvat te Deus: absolve Domine famulum tuum &c. per verba Imperativa: Absolvatur servus Christi: absolutus esto, vel denique per verba Indicativa proposita. Et quidem Græca Ecclesia usque ad præsentem diem semper forma deprecativa usa est, quamvis Arcudius, (4. *de Pœnit. cap.* 3.) & Goarius, (*in notis ad EuchＯlog. Græcor.*) quos habemus in ritibus Græcorum

rum

rum explicandis peritissimos sub ea deprecativa Indicativam nostram, & sub nostra Indicativa illorum deprecativam implicite contineri dicant, ut utramque Ecclesiam in concordiam adducant. Sed hæc pro utraque Ecclesia concilianda benevolentius sunt dicta, quam verius. Ipsi enim hi authores fatentur, in Græcorum Euchologiis, Ritualibus, & Pœnitentialibus præsertim antiquis nullam formam exprimi nisi deprecativam. Porro de Latina Ecclesia majus est dubium. Morinus (8. *de Pœnit. cap.* 8. *& seqq.*) contendit in primis duodecim sæculis Ecclesiæ Latinæ formam fuisse deprecativam. D. Thomas contra in Opusculo singulari (23. *cap.* 1.) de hoc argumento, & alibi (3. *p. q.* 84. *art.* 3.) putat, absolutionem deprecatoriam nunquam fuisse sufficientem, atque adeo semper in usu fuisse indicativam. Hinc cuidam doctori opponenti formam indicativam vix ante annos 30. usurpari occæpisse, & anteriores omnes usos fuisse deprecativa, D. Thomas (*opusc.* 23. *cap.* 5.) respondet, eum de omnibus testimonium perhibere non posse, qui omnes non vidisset; at certe, inquit, plusquam mille, & ducenti anni sunt ex quo dictum est Petro: (*Math.* 16.) Quodcumque solveris &c. Deinde quum sibi opponeretur authoritas Guillielmi Altisiodorensis, Guillielmi Parisiensis, Hugonis Cardinalis &c., respondet D. Thomas, (*cap.* 2.) sibi de eorum sententia non constare. Sed etiamsi nunc viverent, inquit, præjudicare non possent sententiæ Magistrorum Parisiis Regentium, qui contrarium sentiunt decernentes, absque his verbis *Ego te absolvo* absolutionem esse nullam per solam deprecativam orationem. Ita D. Thomas more suo, contra ac Recentiores Theologi, juri semper insistens, & a quæstionibus facti præscindens.

4. Quia tamen in disciplina, atque ritu Sacramentorum magnam etiam habent authoritatem facta piorum scriptis Doctorum confirmata, optandum erat, ut D. Thomas aut facta factis opposuisset, aut factorum rationem congruam, aut interpretationem attulisset. Porro dubitari non potest, quin ætate Augustini, quinto nimirum sæculo, ignota fuerit in Africana Ecclesia, & consequenter in aliis occidentis partibus forma illa indicativa. Augustinus enim non solum ea non utebatur, sed etiam improbat, ac veluti hæreticam rejicit in hom. namque 23. de muliere peccatrice, quum Christus ei dixisset: Remittuntur tibi peccata tua, & Judæi dixissent: Quis est iste, qui etiam peccata dimittit, observat, Christum non reposuisse: Ego sum Deus. Ego sum filius Dei. Non hoc dixit, inquit, sed in eo, quod putabant, merum hominem Eum esse, eos manere permittens solvit quæstionem, & motus eorum dicens mulieri: fides tua te salvam fecit. Vade in pace. Quasi diceret, ait Augustinus: Isti, qui dicunt Quis est hic, qui etiam peccata dimittit, qui me hominem putant; ho-

hominem putent, fides tua te salvam fecit.... Medicus enim bonus non solum præsentes ægros sanabat, sed etiam futuros prævidebat. Futuri quippe erant homines, qui dicturi erant: Ego peccata dimitto, Ego justifico, ego santifico. Ex ipso numero isti sunt, qui dicunt: Noli me tangere &c.... Sed in eo melior Pharisæus, quia quum putaret hominem Christum, non credebat ab homine posse peccata dimitti.... Dicebant ergo Judæi: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Audet sibi homo hoc usurpare? Quid contra Hæreticus: Ego dimitto: Ego mundo: Ego sanctifico. Respondeat illi, non ego, sed Christus. O homo: quando ego a Judæis putatus sum homo, remissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, respondet tibi Christus: O Hæretice: Tu quum sis homo, dicis: Veni mulier, ego te salvam facio. Ego quum putarer homo, dixi: vade mulier, fides tua te salvam fecit. Quî vero posset hoc reprehendere Augustinus, & Hæreticorum jactantiæ tribuere, si ipse quotidie, & Sacerdotes reliqui in causa simili iisdem verbis uterentur? Sed quid hæc longinqua commemoro? Sancto Thoma adhuc juvene, aut paulo ante Episcopus Parisiensis erat Guillielmus, antea in eadem Academia Professor. Guillielmus autem ubi de Sacramento Pœnitent. cap. 19. Neque more Judicum forinsecorum pronuntiat Confessor: Absolvimus te, condemnamus te; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem, & remissionem, & gratiam sanctificationis tribuat... In absolutione confitentium non consueverunt dicere Sacerdotes: Dimittat tibi Deus peccata, quæ confessus es mihi; sed dimittat tibi Deus omnia peccata tua: ergo tempore Guillielmi, & juniore S. Thoma adhuc forma deprecativa in usu erat. Guillielmo suppar fuit, & familiaris Alexander Alensis, quem etiam D. Thomam audiisse perhibent. Alex. autem in 4. parte Summ. memb. 2. art. 2. Absolutio, inquit, Sacerdotis, quæ fit cum expressione horum verborum: Absolvo te, vel Dominus absolvat te, magis exprimit &c. Tempore igitur Alexandri Alensis, & D. Thomæ utraque forma promiscue adhibebatur. Hinc ortum, ut variantibus Theologorum sententiis, pro majori securitate utraque formula conjungeretur, mixta nimirum deprecativa, & indicativa. Unde idem Alensis: In hujus rei signum, inquit, in forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum, quod iisdem verbis Alexandri scribit Bonaventura (*in* 4. *dist.* 18. *p.* 1. *art.* 2. *qu.* 1.) item D. Thomæ coævus. Nunc etiam, quamvis sola forma indicativa essentialis, & sufficiens habeatur, tamen in praxi utraque forma adhibetur. Præmittitur enim oratio: Misereatur tui &c. Deinde datur absolutio deprecativa: Dominus noster JESUS Christus te absolvat, denique Indicativa primum a censuris: Et ego authoritate

ipsius te absolvo ab omni vinculo &c., tum a peccatis: Deinde eadem authoritate ego te absolvo &c. Denique adhuc 50., & amplius post D. Thom. annos Franciscus Mayronis scribit (*in* 4.*dist.* 14.*q.*1.) formam hanc mere deprecativam: Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, & Sp. Sanctus in usu fuisse in Provincia Provinciæ, sed improbata fuit, inquit, ista forma, prævalente jam nimirum sententia D. Thomæ, & Magistrorum Parisiensium nullam esse absolutionem per solam deprecativam orationem, ut D. Thomas loquitur.

5. His igitur Historice prælibatis ex multis, quæ affert Morinus, (8. *de Pœnit. c.* 8.9. *& aliis.*) dicendum videtur I. Ex Institutione Christi nullam fuisse determinatam formam hujus Sacramenti. Si enim aliquam determinate instituisset, eam Apostoli Ecclesiæ tradidissent, atque adeo apud omnes Ecclesias eadem invariabilis perstitisset. Item: Si deprecativam tradidisset: ergo non posset Latina Ecclesia uti indicativa, quia esset contra Christi institutionem; si Indicativam: ergo nunquam licita, aut valida fuisset forma deprecativa. Utrumque autem falsum esse patet. Nam Ecclesia Latina ætate Augustini deprecativa, nunc Indicativa utitur. Imo eodem hoc tempore Latina Ecclesia Indicativa; Græca Deprecativa utitur, nec unquam Latina Ecclesia id in Græcis reprehendit, imo positive permittit: utraque forma sufficiens, & valida pro tempore, & consuetudine est habita. Minor ultima patet ex Constitutione Clementis VIII. de ritibus Græcorum. Jubet enim, ut Græci, quum in casu necessitatis Latinos absolvunt, utantur formula absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma absolutionis dicere tantum consueverunt: ergo pro forma absolutionis Græcorum permittit Ecclesia, ut forma illa tantum deprecativa utantur, atque adeo formam illam ad Sacramentum sufficere concedit.

6. Dicendum II. formam Indicativam, qua Latina Ecclesia utitur ab sæculo decimotertio optimam, & congruentissimam esse, & solummodo necessariam. Ita definitum jam est in Conciliis Florentino, & Tridentino. Docet enim Sancta Synodus ses. 14. cap. 3. Pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c., quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Ratio autem decissionis est: Nam præcipuum munus Sacerdotis in administratione Pœnitentiæ est solvere, quæ solvenda sunt, & retinere, quæ retinenda sunt: hoc vero satis exprimitur per ea verba: Ego te absolvo a peccatis tuis: ergo hæc est vera, & sufficiens forma Sacramenti. Nam neque Pœni-

nitens aliud ab Sacerdote quærit, nec Deus aliam potestatem Sacerdoti contulit, quum dixit quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Confirmatur: Nam quamvis absolutio Sacerdotis, inquit Tridentinum, (*ses.* 14. *cap.* 6.) alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed est ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut judice sententia pronuntiatur. Unde can. 9. Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem Sacerdotis, anathema sit; sed sententia judicis proprius, aptius, & communius exprimitur verbis indicativis, quam verbis deprecativis: Nam deprecari, & intercedere apud Judicem pro absolutione rei, quilibet potest, quamvis absolvendi, & ligandi potestatem non habeat, ut per se patet: ergo forma Indicativa multo aptior, & congruentior forma deprecativa est. Etsi forma deprecativa aliquando valuit, aut valet, ideo est, quia implicite actum judicialem, & sententiæ prolationem involvit. Nam quamvis intercessio, aut deprecatio personæ privatæ mera deprecatio sit; at intercessio, aut deprecatio inferioris Judicis apud Judicem supremum non mera deprecatio est, sed animi sui declaratio. Nam Prætor, aut Provinciæ Præses, qui authoritate Regia potest reum absolvere, quum Regem precatur, ut absolvat, jam quantum in se est, exercite absolvit, aut absolutione dignum judicat, quasi diceret, inquit Arcudius, (4. *de Pœnit. cap.* 3.) Ego quidem remitto, & ignosco delictis ejus; sed majestatem tuam deprecor, ut velis Domine eum absolvere, vel judicium hoc meum ratum habere, & in hoc sensu fortasse D. Thomas (3. *p. q.* 84. *art.* 3.) veterem illam formam deprecativam accepit, quum negavit, validam unquam fuisse ad perfectionem Sacramenti solam orationem. Putavit enim, eam deprecationem Sacerdotis implicite involvere sententiam judicialem Ministri.

7. Dices vero: Quum forma illa hunc sensum habere posset, essetque longissimo Majorum usu confirmata, & omnium fere antiquorum Patrum testimoniis fulcita, & aliunde magis videretur Ecclesiasticæ modestiæ conformis, quæ eam authoritatem dimittendi peccata non nisi precariam, & ministerialem habet ex concessione Christi, cui (*Joann.* 5.) Pater omne judicium dedit, & quum Christus ipse indicativam formam nunquam adhibuerit, ut est apud Augustinum, ut Ministros suos jactantiam omnem fugere, & modestiam sectari doceret. Quum hæc, inquam, ita sint, cur Ecclesia hanc novam induxit formam? Respondetur: Ecclesiam non novam formam induxisse, nec quicquam proprie in praxi immutasse. Usque in præsentem enim diem in Ritualibus suis formam deprecativam præmittit, quum di-

dicere Sacerdotem jubet: Misereatur tui &c., deinde iterum: Dominus noster JESUS Christus te absolvat &c. Solum ergo explicuit, quod in antiqua forma implicite continebatur: Declaravit, quid in ea forma esset de Essentia Sacramenti, nimirum actum judicialem Sacerdotis, quid ad decentiam pertineret. Ut autem Donatistarum jactantiam reprimeret, quam Augustinus reprehendit, non a se, sed a Christo ipso authoritatem se habere protestatur dicens: Et ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo, &c. Deinde eadem authoritate absolvo te a peccatis tuis. Distinxit sapientissime duplex Sacerdotis officium. Est enim & intercessor pro peccatore apud Deum, & sic ab Deo gratiam reconciliationis impetrat; & est constitutus a Deo peccatorum judex, & sic nomine, & vice Dei absolutionem largitur. Sed illud primum non in Sacramento solum exercet Sacerdos, sed etiam extra Confessionem: officium autem Judicis solum in Sacramento exercet, atque ideo ad Sacramenti essentiam proprie spectat. Item illud primum omnibus Ecclesiæ membris est commune; secundum autem non est omnium, sed eorum, quibus dictum est: (*Math.* 16.) Quorum remiseritis peccata &c.

8. Occasio autem hujus declarationis, & praxis in decimotertio sæculo esse potuit. Nam quum in Concilio Lateranens. IV., ineunte eo sæculo, anno Domini 1215. celebrato, præceptum confessionis annuæ impositum fuerit, aut saltem denuo majore rigore inculcatum, factum fuit, ut crescente Pœnitentium numero, ea, quæ ad Sacramentum Confessionis spectant, & prædicarentur, atque in sermones hominum venirent crebrius, & apud doctos discuterentur diligentius. Florebat ea tempestate Petrus Lombardus Magister Sententiarum dictus. Hic autem cum aliis multis ejus, & sequentis sæculi Theologis in ea fuit opinione, ad obtinendam in Sacramento remissionem peccatorum necessariam esse perfectam Contritionem. Quum autem per Contritionem perfectam omne peccatum deleatur etiam extra Sacramentum, consequenter dicere tenebatur ante absolutionem remissa jam esse peccata, atque adeo per absolutionem non remitti, sed remissa declarari. Sacerdotibus, ajebat, concessit Christus potestatem ligandi, & solvendi, id est, ostendendi, aut declarandi ligatos, aut solutos .... (4. *Sent. dist.* 18.) Hi ergo peccata dimittunt, vel retinent, dum dimissa a Deo, vel retenta judicant. Contra hanc autem assertionem, quæ videbatur ansam præbere errori necessitatem, & utilitatem Confessionis negantium, & clavium potestatem, multi item Theologi contra tenuerunt, quod & postea Tridentinum definivit, absolutionem Sacerdotis non esse nudum ministerium, aut declarationem peccatorum jam dimissorum. Consequenter asserebant per absolutionem vere, & proprie peccata remitti, atque adeo eam esse a-

ctum judicialem Sacerdotis. Formæ igitur deprecativæ, quæ non tam proprie, & stricte actum judicialem, sive sententiæ pronunciationem exprimit, formam etiam Indicativam addiderunt per ea verba: Et ego authoritate ipsius te absolvo a peccatis tuis. Eorumque opinionem communi Theologorum consensu roboratam Ecclesia in Florentino, ac Tridentino Conciliis postmodum confirmavit. Non enim tantum Concilia, aut Pontificum decreta leges absolvendis peccatoribus præscribere possunt, quarum prævaricatio irritam faciat absolutionem, sed etiam id potest consuetudo, Ecclesia non improbante, secundum responsa prudentum legitime inducta, ut recte adnotavit Morinus lib. 8. c. 8. num. 2.

9. Hic author ejusdem libri Capitibus 20., 21., 22. multa congerit, ut formam deprecativam aptiorem, & congruentiorem esse ostendat. His enim ille cuniculis, quando aperte non licet, Ecclesiæ latus petere consuevit. Protestatur sœpius se Ecclesiam præsentem, vivam, loquentem audire, & sectari, tamen quot potest argumenta congerit pro confirmandis vetustis ritibus, ac disciplina, eaque miris modis extollit, atque exaggerat: contra vero quæ pro præsenti ritu, aut disciplina faciunt argumenta, minuit, ac deprimit, unde Lectoribus hodierna veteribus comparata vilescant. Non equidem dicam ipsum hoc animo scripsisse; sed ita rem contingere affirmo, & mecum affirmabit quicumque indigestum, spissumque opus legendi patientiam habuerit, & maxime tria citata de præsenti argumento capita. Unum est Augustini testimonium supra allatum, quod posset negotium facere. Dicendum vero Augustinum, sicut & Chrysostomum, cujus eadem est sententia, (*homilia* 37. *in Joan.* 50. *in Matheum & aliis.*) non phrasim indicativam, sed intellectum, & sensum phrasis, ut ea Donatistæ utebantur, arguere. Sæpe enim ea, quæ dicere, aut facere licet, vel etiam expedit, ob hæreticorum, aut impiorum hominum perfidiam, omittuntur, ne videamur eorum errori patrocinari. Porro sicut ad deprimendum fastum, & jactantiam Donatistarum de Clavium authoritate gloriantium, congruens erat forma deprecativa, per quam Minister nihil sibi, sed totum Deo tribuit, præter deprecandi humilitatem, ita ad correctionem Recentiorum Hæreticorum, & quorundam Catholicorum, qui nimis demisse, atque humiliter de Sacramentali absolutione opinabantur, congruens visa est forma Indicativa, per quam Minister authoritate sibi a Christo concessa credat se ligare, & absolvere, & de facto liget, solvatque. Nec metuendum est, ne sibi, suisque meritis authoritatem clavium tribuant Catholici, sicut olim Donatistæ, quum in ipsa absolutionis forma testentur se authoritate Christi ferre sententiam, nec nomine suo, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde

de Augustinus idem in loco citato sibi opponit: Respondent quidam, & dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falsum est, quod ait Christus: Quorum remiseritis peccata, eis remissa erunt in cœlo. Respondet Augustinus, Christum hoc dixisse, quia daturus erat hominibus Spiritum Sanctum, cujus virtute peccata dimitterent, unde non sequitur, ut dicere possint: Ego peccata dimitto. Spiritus enim, inquit, est, qui dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum: Quid estis vos? Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Deus ergo habitat in templis suis, id est, in Sanctis fidelibus suis: in Ecclesia sua PER EOS dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere præter hominem. Concedit ergo Augustinus Spiritum S. in Sacramento per homines peccata dimittere. Recte igitur dicere possunt: Ego te absolvo in nomine Patris, & Filii, & Sp. S. Ipse enim dimittit, quia Minister est Dei, & ipse non dimittit, quia non proprio nomine, atque authoritate dimittit, sed nomine, & authoritate Dei.

10. Ex his autem satis jam apparet tertium illud nostræ assertionis caput, in quo dicitur: Sacerdos per absolutionem vere remittit peccata. Est autem hæc assertio contra Wiclefum partim, & Recentiores Hæreticos, partim contra priscos nonnullos Scholasticos. Priorum fundamentum est, quia Ecclesia non habet facultatem remittendi peccata. Negant enim Pœnitentiam verum esse Sacramentum. Catholici autem, quamvis verum Pœnitentiæ Sacramentum esse fateantur, dicebant tamen, absolutionis effectum non esse remissionem peccatorum, quia hæc jam supponuntur remissa per contritionem perfectam, sed augmentum gratiæ, aut remissionem pœnæ temporalis. Hæc autem opinio vel directe, & expresse damnata est per Tridentinum, ut cum aliis putat Vasquius, (*q.* 84. *dubio* 2.) vel fere expresse damnata, ut Suarezius loquitur. (3. *p. disp.* 19. *sect.* 2.) Si quis enim dixerit, absolutionem Sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata .... anathema sit. (*Sess.* 14. *cap.* 6. *c.* 9.) Nec solum assertionem, sed etiam ejus rationem, & fundamentum evertit Tridentinum, ut supra tactum est. Ait enim: Contingere aliquando contritionem esse charitate perfectam, eamque Deo hominem reconciliare, priusquam Sacramentum actu percipiat; sed dispositiones necessariæ ad actum aliquem non desumuntur ex his, quæ aliquando contingunt, sed ex iis, quæ ordinario, & regulariter, sive ut plurimum ipsum præcedunt: ergo contritio perfecta non est ordinaria, & necessaria dispositio ad effectum Sacramenti percipiendum: ergo neque necesse est, ut homo accedat ad Sacramentum peccatis jam remissis; sed plerum-

que contingit, ut homines accedant ad Sacramentum cum sola contritione imperfecta: ergo plerumque peccata non remittuntur nisi virtute clavium per absolutionem Sacerdotis. Unde Concilium Florentinum definit, effectum præcipuum hujus Sacramenti esse absolutionem a peccatis, alias illius effectus non esset ex opere operato, sed ex dispositione operantis: nec esset Sacramentum mortuorum, sed vivorum. Confirmatur ex paritate Baptismatis, vi cujus formæ non declarantur peccata remissa, sed vere remittuntur: ergo & per hanc formam: Ego te absolvo vere a peccatis absolvimur, non solum absoluti declaramur. Nec videretur, inquit Estius, (*in* 4. *dist.* 18. §. 3.) gravitas præcepti confessionis, quod est in Christiana lege gravissimum, satis compensari per solam declarationem peccati aliunde remissi. Nam cui fit ista declaratio? Non Deo, quia ea non indiget, & qui justificat impium. Non Ecclesiæ, quum absolutio in secreto plerumque fiat, nec ad forum externum ullo modo spectet. Non ipsimet Sacerdoti, quia ea declaratione non indiget, nec nisi ridicule declararet sibi, quod declaratum vellet. Non denique Pœnitenti, quia quum peccatum non remittatur nisi vi internæ contritionis, hanc multo melius potest Pœnitens per intimum sensum cognoscere, quam Sacerdos per externa signa: ergo &c.

11. Confirmant eandem assertionem Patrum testimonia gravissima. Dedit enim Christus Apostolis suis, inquit Eligius Noviomensis, (*homil.* 4.) nobisque eorum successoribus potestatem ligandi, & solvendi in cœlo, & in terra, quam potestatem vocat Apostolus ministerium Reconciliationis. Ideo quia vices Christi agimus, quos ille invisibiliter absolvendo, dignos sua reconciliatione judicat, nos visibiliter reconciliando per officium nostri ministerii absolvimus &c.... Quorum remiseritis, inquit, (*Eutychia P. ep.* 2.) peccata, remittuntur eis, id est, quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis janua regni cœlestis clausa erit.... Nec enim fas erat Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communione, & pace, ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent; solvi autem illic possent, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.... (*Hilarius in cap.* 16. *Math.*) O beatus cœli janitor, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo.... Præcedit enim quodammodo, ait Bernardus, (*Serm.* 1. *in Natali Apost. Pet. & Paul.*) sententia Petri sententiam cœli.... Et Sacerdotum vinculum, inquit Chrysostomus (*lib.* 3. *de Sacerdotio.*) ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque per-

pervadit, usque adeo ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet .... In cœlis Sacerdotis thronus collocatus est, & negotiorum cœlestium administratio ipsi commissa. Quis hoc dicit? Rex ipse cœlorum: Quæcumque alligaveritis super terram &c. Quis huic honori potest æquari? (*homil.* 5. *de verb. Isai.*) A terra judicandi potestatem cœlum accepit. Judex sedet in terra: dominus sequitur servum, & quidquid hic inferius judicaverit, hoc ille superius ratum habet .... Nemo contemnat Ecclesiastica vincula. Non enim homo est, qui ligat; sed Christus, qui hanc ligandi potestatem dedit, & homines fecit tanti honoris dominos .... (*Epist.* 82.) Huic enim operi, Leo inquit, incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ Ministris suis exequenda commisit .... Nec in ligandis, aut solvendis quorumcumque causis aliud ratum est in cœlis, quam quod Petri sedit arbitrio. Rursum denique Chrysostomus: (3. *de Sac. cap.* 6.) Corporis lepram purgare, imo potius non purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum Sacerdotibus licebat; Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt. His accensendi Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, quorum alibi sparsim plura in eandem sententiam attulimus. Quod si aliquando Patres dicere videntur, solum a Deo remitti peccata, justificari impios, suscitari mortuos &c. quorum plurima testimonia congerit Launojus, (*in dissertat. de mente Conc. Trident.*) intelligendi sunt per exclusionem alterius causæ aut meritoriæ, aut efficientis principalis, non per exclusionem causæ ministerialis, qualis est Sacerdos, qui non suo nomine, non sua authoritate, non sua virtute, sed tanquam os Christi, ejus nomine, authoritate, & virtute sententiam profert, sententiam nimirum Christi, sententiam Cœli, sententiam Dei. Quum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est; sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terris, erunt soluta & in cœlo. Merito ergo per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem mortuus, non nisi intus clamante Domino potest; hoc enim Dominus interius agit. Verba sunt Augustini. (*in ps.* 101.) Resurrectio enim Lazari, & aliæ omnes cœlestium, & spiritualium rerum figuræ non ita minutim accipiendæ sunt, ut mysteriorum naturæ, atque divinarum operationum indoli singulæ circumstantiæ accommodari possint, ac debeant, quum nec in parabolis ad rerum explicationem compositis, id fieri posse, admoneant sæpius Interpretes.

12. Dixi denique: Per absolutionem Sacramentalem remitti peccata,

ta, etiam ante completam Pœnitentiam. Contenderunt enim non nulli, quos inter Petrus Oxomensis, & Marcus Antonius de Dominis, abusum esse, & corruptelam hodiernæ Ecclesiæ absolutionem dare statim post Confessionem ante impletam pœnitentiam ab Sacerdote injunctam. Idem error damnatus est in prop. 87. Quesnellii. Sunt qui distinguant, ac dicant, duplicem esse absolutionem, aut reconciliationem, aliam per quam reus post privatam Confessionem, & pœnitentiam Sacramentalem absolvitur a peccato; aliam per quam reus post confessionem, & pœnitentiam publicam absolvitur a censuris, atqne ad communionem precum, & Sacramentorum cum reliquis fidelibus admittebatur: primam, ajebant, statim dari solere antiquitus, secundam vero non nisi post expletum pœnitentiæ Canonicæ curriculum. Hujus distinctionis meminit Estius, (*in* 4. *dist.* 15.) sed eam absque ullo antiquitatis fundamento, ex sola Scriptorum imaginatione natam putat. Acriter eam impugnat Morinus cap. 2. lib. 9., nec abhorrent Maldonatus & Petavius. Morinus a quæstione juris ad quæstionem facti declinans, non hoc disputat: quo tempore absolutio Sacramentalis conferri debeat, sed quo tempore antiquitus conferri soleret Pœnitentibus absolutio, aut reconciliatio in Pœnitentia publica? Huic quæsito respondet, nec plene respondet per propositiones septemdecim a cap. 3. usque ad decimum septimum. Duabus assertionibus rem totam explicabimus, si pauca prius prænotaverimus. Primum satis obvium, nimirum, Pœnitentiam tripliciter sumi posse, sive ut virtus est, & significat dolorem de peccato commisso, quæ est prærequisitum necessarium ad Sacramentum: sive ut Sacramentum est, & significat complexum ex Confessione dolorosa Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis: sive ut satisfactio est, & significat libera, honesta, & afflictiva opera, sive sponte suscepta, sive a Deo illata, sive a Sacerdote secundum canones imposita, quibus peccator peccatum suum in semet punit, ac vindicat, ut divinæ justitiæ satisfaciat, & si peccatum publicum fuerit, etiam Ecclesiæ offensæ scandalum resarciat. Prima dicatur Pœnitentia Præparatoria, secunda Sacramentalis, aut absolutoria, tertia Pœnitentia Satisfactoria. Hanc vero & partem esse Sacramenti integralem, & necessariam, sicut Confessionem, definitum est ab Tridentino, (*Sess.* 14. *can.* 4.) & ab D. Thoma dilucide explicatum in 4. cont. Gentes cap. 72. Ibi enim postquam Contritionis necessitatem explicuit, de reliquis Pœnitentiæ partibus ita philosophatur. Quia vero supra ostensum est, quod meritum Christi pro humano genere patientis ad expiationem omnium peccatorum operatur, necesse est ad hoc, ut homo a peccato liberetur, ut non solum mente Deo adhæreat, sed etiam Mediatori Dei, & hominum JESU Christo, in quo datur remissio omnium peccato-

rum.

rum. In conversione enim mentis ad Deum salus spiritualis consistit; quam consequi non possumus nisi per Medicum animarum nostrarum JESUM Christum, qui salvat populum suum a peccatis eorum. Cujus quidem meritum sufficiens est ad omnia prorsus peccata tollenda; sed tamen non omnes effectum remissionis perfecte consequuntur, sed unusquisque in tantum consequitur, in quantum Christo pro peccatis patienti conjungitur. Quia igitur conjunctio nostri ad Christum in baptismo non est secundum operationem nostram, quasi ab interiori, quia nulla res se ipsam generat, ut sit, sed per operationem Christi, qui regenerat nos in spem vivam, ideo remissio peccatorum in baptismo fit secundum potestatem ipsius Christi nos sibi conjungentis perfecte, & integre, ut non solum impuritas peccati tollatur, sed etiam solvatur penitus omnis pœnæ reatus, nisi forte per accidens in his, qui non consequuntur effectum Sacramenti, propterea quod ficte accedunt. In hac vero spirituali sanatione Christo conjungimur secundum operationem nostram divina gratia informatam, unde non semper totaliter, nec omnes æqualiter remissionis effectum consequuntur. Potest autem esse conversio mentis in Deum, & in detestationem peccati tam vehemens, quod perfecte remissionem peccati homo consequatur, non solum quantum ad purgationem culpæ, sed etiam quantum ad remissionem totius pœnæ. Hoc autem non semper contingit: unde quandoque per contritionem, amota culpa, & reatu pœnæ æternæ soluto, ut dictum est, remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa per pœnam ordinatur. Quum autem subire pœnam pro culpa judicium quoddam requirat, oportet, quod pœnitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi judicium in taxatione pœnæ expectet. Hoc autem Christus non exhibet per se, sed per suos Ministros, sicut cætera Sacramenta. Nullus autem judicare potest de culpis, quas ignorat: necessarium igitur fuit, confessionem institui quasi secundam partem hujus Sacramenti, ut culpa pœnitentis Christi Ministro innotescat. Oportet igitur, Christi Ministrum, cui fit confessio, judiciariam potestatem habere vice Christi, qui constitutus est judex vivorum, & mortuorum. Ad judiciariam autem potestatem duo requiruntur: primum authoritas cognoscendi de culpa: secundum potestas absolvendi, vel damnandi, & hæc dicuntur duæ claves Ecclesiæ, nimirum, scientia discernendi, & potestas ligandi, & solvendi, quas Christus Petro commisit dicens: Tibi dabo claves regni cœlorum &c..... Sicut ergo sine baptismo, in quo operatur passio Christi, non potest esse salus hominibus vel reipsa suscepto, vel secundum propositum desiderato, quando necessitatis articulus, non Religionis contemptus Sacramentum excludit, ita peccantibus post baptismum

sa-

salus esse non potest, nisi clavibus Ecclesiæ se submittant, vel actu confitendo, & judicium Ecclesiæ subeundo, vel saltem ejus rei propositum habendo, quod impleatur tempore opportuno....

13. Oportet autem, quod voluntas recedat a peccato per contraria his, per quæ in peccatum inclinata fuit. Fuit autem inclinata ad peccatum per appetitum, & delectationem circa res inferiores; oportet igitur, quod a peccato recedat per aliqua pœnalia, per quæ confirmetur in abominatione peccati. Nam & bruta animalia a maximis delectationibus retrahuntur propter dolorem verberum.... Tum ordo Justitiæ hoc requirit, ut peccato pœna reddatur. Ex hoc autem quod ordo servatur, sapientia Dei gubernantis apparet, qui est totius ordinis author: unde ad sapientiæ, & justitiæ divinæ manifestationem pertinet, ut peccatum pœna sequatur; sed homo per peccatum contra ordinem divinitus institutum facit, legem Dei prætergrediendo: æquum est igitur, ut recompenset in se ipso per pœnam, quod peccavit, ut ita ad debitum ordinem, unde exierat, reducatur. Per hoc ergo patet, quod postquam homo per gratiam Dei remissionem peccati consequutus est, remanet obligatus ex justitia Dei ad aliquam pœnam pro peccato commisso. Quam quidem pœnam, si propria voluntate a se exegerit, per hoc Deo satisfacere dicitur, quatenus cum labore, & pœna ordinem divinitus institutum exequitur se puniendo, quem transgressus fuerat propriam voluntatem sequendo. Si autem a se hanc pœnam non exegerit, quum ea, quæ divinæ providentiæ subsunt, inordinata remanere non possint; hæc pœna infligetur ei a Deo, nec satisfactoria dicetur, quum non sit ex electione patientis, sed dicetur purgatoria, quia alio puniente quasi purgabitur, dum quidquid inordinatum in eo fuerat, ad debitum ordinem redigatur.... Manifestum est autem, quod Minister Ecclesiæ absolvendo, aliquid de pœna temporali remittit, cujus debitor remansit pœnitens post contritionem, ad residuum vero sua injunctione obligat pœnitentem, cujus quidem obligationis impletio *Satisfactio* dicitur, & est tertia pœnitentiæ pars, per quam homo totaliter a reatu pœnæ liberatur. Ulterius debilitas naturalis boni curatur, dum homo a malo abstinet, & bonis assuescit, Deo spiritum subjiciendo per orationem, carnem domando per jejunium, ut sit subjecta spiritui, & proximos sibi adjungendo per eleemosynam. Sic igitur patet, quod Minister Ecclesiæ in usu clavium judicium quoddam exercet. Nulli autem judicium committitur, nisi in sibi subjectos: unde manifestum est, quod non quilibet Sacerdos quemlibet potest absolvere a peccatis, sed eos tantum, in quos accipit potestatem. Hæc D. Thomas, quæ tanquam totius doctrinæ Catholicæ, & nostri hujus libri compendium hic transcribere placuit. Multa adhuc in po-

stremis tribus propositionibus, ad quas doctrinam de Satisfactione, seu tertia parte Sacramenti rejecimus.

14. Prænotandum est secundo. Ex sæpe dictis omni pœnitentiæ publicæ annexam fuisse censuram quandam, qua reus pro gravitate criminum majori, aut minori tempore ab ingressu Ecclesiæ, vel saltem ab Eucharistia, aliisque Sacramentis prohibebatur, aut a publicis oblationibus, & orationibus, interea sacco, & cilicio induebantur, introeuntibus Ecclesiam adgeniculabantur, crebris manuum impositionibus submittebantur, ab uxoribus, balneis, conviviis, negotiatione, militia, aliisque hujusmodi abstinere jubebantur, pullata veste, ac detonso capite jubebantur incedere, aliisque hujusmodi afflictionibus, & corporis macerationibus, jejuniis, humicubationibus operam dare per totum pœnitentiæ tempus. Hæ autem suspensiones, interdicta, aut censuræ non subito omnes levabantur, sed gradatim, post aliquod v. g. tempus permittebatur illis in Ecclesiam introitus, sed non ad publicas oblationes, aut preces admittebantur, & sic de aliis censuris, aut pœnitentiæ oneribus. Non ergo una, aut duplex, sed multiplex erat absolutio. Prima erat Sacramentalis a peccatis, & hæc in articulo mortis petenti nunquam negata est in Ecclesia Catholica. At Canonica reconciliatio, sive absolutio a Censuris sæpe etiam in vitæ fine negata fuit, ut patet ex Concilio Illiberitano, Cypriano, Ambrosio: alia igitur erat absolutio a peccatis, alia ab censuris. Item: Iis, (*Carth. Conc. can.* 76.) qui ægrotabant, si continuo credebantur morituri, dabatur reconciliatio per manus impositionem, & infundebatur ori ejus Eucharistia: ergo supponebantur absoluti a peccatis; at non se credant absolutos sine manuum impositione, si supervixerint, & ideo in eo casu pœnitentiæ publicæ iterum subjiciebantur usque ad absolutissimam reconciliationem, per quam a Censuris, & ab omnibus pœnitentiæ oneribus solvebantur. Vides, inquit Morinus, (*lib.* 6. *cap.* 21. *n.* 8. & *p. tot.*) duplicem reconciliationem, priorem, quæ est Sacramentorum Viaticum, quæ omnibus Pœnitentibus necessario tribuitur, nisi morte præveniantur. Posteriorem, quæ dicitur Absolutissima, quæ etiam morientibus non nisi cum magno examine præstabatur. Idem etiam probat ex (*Conc. Aurel.* 3. *cap.* 24.) Conc. Barcinonens. 2. can. 4. ibi: Si quis, benedictione ad Pœnitentiam suscepta, ad sæcularem habitum, militiamve redierit, viatico concesso, usque ad exitum Excommunicatione plectatur: ergo etiam post concessum Viaticum, sive absolutionem a peccatis, restabat Excommunicatio usque ad exitum, a qua erat absolvendus. Similia habentur ex Concil. Tolet. 12. cap. 12. Deinde: Absolutio Sacramentalis, sive a peccatis, nunquam fuit jure communi Episcopis reservata; at reconciliatio publice Pœnitentium reservata semper

fuit Episcopis, ita ut, nisi Episcopo absente, aut delegante, non possent Presbyteri reconciliare pœnitentes, ut ex Cypriano, (*Epist.* 59. *ad Fid. & pass. tract. de lapsis*, *& aliis Epist.*) & multis Conciliis habetur: diversæ ergo absolutiones sunt. Præterea: Absolutio a peccatis nunquam committi potuit Diaconis, aut inferioribus Clericis: prærequirit enim Presbyteratum, ut probatum est; at reconciliatio Pœnitentium ex delegatione Episcopi, aut etiam absentia Presbyteri committi potest Diacono, imo & Hippodiacono, ut ex iisdem Conciliis habetur: distinctæ igitur absolutiones, & ministeria sunt. Socrates, inquit Morinus, & Sozomenus, Cassiodorus, Nicephorus, & post eos permulti nos hæc docent. Loquens enim de Pœnitentiario Presbytero Sozomenus lib. 7. cap. 16. ad quem, inquit, accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quod aut facere singulos, aut luere oportebat, pœnæ loco indicens absolvebat confitentes, a se ipsis pœnam criminum exacturos. Ecce confessionem secretam, pœnitentiæ injunctionem, & absolutionem Sacramentalem ante impositæ pœnitentiæ exequutionem. Ubi vero, pergit Sozomenus, præstitutus dies advenerat, tanquam debito quodam persoluto, a pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur. En absolutionem, & reconciliationem Canonicam ab censuris, & operibus laboriosæ pœnitentiæ. Hæc autem, addit, Episcopi Urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt. Hallucinatum quidem hac in re Sozomenum scribit Tournellius; (*de Pœnit. q. 7. art.* 3. 2. *conclus.*) sed vereor, ne ipse potius hallucinatus sit, quum nemo Sozomenum hac in re errasse unquam somniaverit, nec ipse Calvinus, cujus tantum intererat Romanam privatam Confessionem exterminare. Imo ipse observat, Pœnitentiarii nomen, & munus, quod usque ad diem præsentem in Ecclesiis Cathedralibus invenitur, ab antiquis illis Pœnitentiariis derivari. Certe quum Classis Pœnitentium valde numerosa, & conspicua in Ecclesia fuerit, tantumque laboraverint Antiqui Patres in designandis eorum gradibus, veste, situ, victu, cæremoniis, aliisque minutiis, qui fieri poterat, ut huic gentium classi non viros aliquos pietate, & doctrina claros præficerent, qui eorum curam gererent, qui eis invigilarent, qui denique ad Episcopos singula referrent gravioribus aliis negotiis occupatos. Liquet ergo ex dictis, & ab ipso Morino probatis, distinctionem absolutionis in absolutionem Sacramentalem, sive a peccatis, & absolutionem Canonicam, sive Cæremonialem, aut a Censuris, & operibus pœnitentiæ non esse in Scholasticorum cerebro natam ut Estius, & Morinus alibi contendit, sed antiquam, necessariam, & in veteri disciplina fundatam.

15. Hinc ad duplicem propositam quæstionem plana est responsio.

Ad

Ad primum enim quæsitum de Jure dicendum est: Ad Sacramenti substantiam, & integritatem nihil referre, an absolutio ante completam Pœnitentiam, an post ejus exequutionem conferatur. Ita Cardinales Osius, & Bellarminus, & supponit Suarezius, quos Recentiores plerique sequuntur. Ratio autem est, quia in his, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent, Ecclesia nullam habet interpretandi, aut relaxandi, vel mutandi facultatem, ut ex Concilio Tridentino (*Sess. 21. can. 2.*) liquet; sed in conferenda Sacramentali absolutione ante, aut post expletam Pœnitentiam indifferens fuit usus Ecclesiæ sive antiquioris, sive Recentioris: ergo. Minor de antiqua Ecclesia probatur ex multis casibus, in quibus antiquitus ante tempus præstitutum pœnitentiæ absolutio Sacramentalis conferebatur, uti quum pœnitens versabatur in vitæ discrimine ex Conc. Nicæno, (*Can.* 13.) Carthag. IV., (*Can.* 76.) & passim: quum periculum erat, ne Pœnitens ad Hæreticos, aut Schismaticos deficerent ex Cyprian. Ep. 51. de Libellaticis: quum imminebat persequutio Tyrannorum ex Cyprian. Ep. 54. quum ex Pœnitentium absolutione magnum sperabatur emolumentum Ecclesiæ proventurum, aut provenisse videbatur, ita Maximum, & Trophimum statim confessos, nulla Pœnitentia imposita, reconciliavit Cornelius Papa de quo Ep. 46. inter Cyprianicas, idemque de Lapsis, qui postmodum Christum confessi fuerant, statuit Cyprianus Ep. 16. ad consultationem Caldonii: quum Martyres pro Lapsis deprecabantur per libellos, de quo multa Cyprianus. Denique propter eximium fervorem Pœnitentium, ut habetur in can. 5. Conc. Ancyrani, & apud Gregor. Nyssenum can. 5., quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, ut est apud Leonem, (*epist.* 82. *ad Theodor. cap.* 4.) & Patres alios passim: ergo quum Ministro probabiliter constat de sincera contritione pœnitentis, potest, imo tenetur illum absolvere, ut quos Deus omnipotens per compunctionis gratiam vivificat, illos Pastoris sententia absolvat. Vera enim est absolutio præsidentis, quæ æterni sequitur arbitrium Judicis, quod ait Gregorius, hom. 26. in Evang.

16. Idem autem esse judicium, & praxim hodiernæ Ecclesiæ patet ex Rituali Romano, ubi dicitur: Videat diligenter Sacerdos quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat, (aut non statim) eos, qui hujus beneficii capaces non sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, vel proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata relinquere, & vitam emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederint, nisi publice satisfaciant &c. Ergo quum Sacerdoti de conversione sincera Pœnitentis,

tis, & proposito emendationis non constat, licet nunc, sicut olim, pœnas medicinales injungere, per quarum exequutionem experiatur dispositionem animi Pœnitentis sui, & sinceritatem contritionis, nec nisi post illud experimentum absolutionem conferre. Absolvere igitur statim audita confessione, vel post expletam injunctam Pœnitentiam, sicut antiquitus, ita & nunc relinquitur prudentiæ, & judicio Sacerdotis, qui & Judex est, & simul Medicus. Ut Judex quidem, & divinæ justitiæ vindex imponit pœnitentiam afflictivam, per quam divinæ justitiæ satisfiat, & sub hac consideratione pœnitentia refertur ad peccatum commissum. Ut Medicus autem imponit pœnitentiam sanativam, per quam debilitas naturalis boni curetur per desuetudinem malorum operum, & assuetudinem operum bonorum, & sub hac consideratione pœnitentia refertur magis ad bonum futurum, quam ad malum præteritum. Duplex ergo propositum spectat ad Sacramentum, & propositum ulciscendi in se peccatum commissum, exequendo injunctam Pœnitentiam, & propositum ulterius non peccandi, aut emendandæ vitæ. Sed hoc posterius, quum sit de natura contritionis, est magis essentiale, & magis facto necessarium quam illud primum de ulciscendo peccato. Deinde prius, & magis constare debet Ministro in absolvendo de proposito ulterius non peccandi, quam de proposito peccati ulciscendi. Illud enim primum pertinet ad sinceritatem Contritionis, quæ præcedere debet natura Absolutionem. Unde Pœnitentia Medicinalis, aut sanativa, quando necessaria est, ut Sacerdos certus esse possit de sinceritate Contritionis, præcedere debet absolutionem. Est enim præparatio, & dispositio ad illam; at exercitium Pœnitentiæ vindicativæ non est ex parte præparationis ad Absolutionem, sed effectus illius, unde non necessarium est, ut absolutionem præcedat, sed subsequi illam potest. Imo congruentius esse, ut actio Pœnitentiæ vindicativæ fiat post absolutionem, & remissionem peccati, ostenditur urgentissima ratione, quam miror non vidisse eos, qui tot congerunt testimonia PP. & Conciliorum pro antelatione Pœnitentiæ. Nam finis, & scopus Pœnitentiæ vindicativæ est satisfacere divinæ justitiæ pro peccatis commissis, seu melius pro temporali pœna ipsis debita juxta ordinem divinæ sapientiæ. Opera autem Pœnitentiæ laboriosa tanto sunt magis satisfactoria, & meritoria, quanto operans est magis gratus Deo; nemo autem est gratus Deo; nisi post remissionem peccati: ergo congruentissimum est, ut ad Pœnitentiam vindicativam præcedat remissio peccatorum per absolutionem vel re, vel voto susceptam. Nam quod vix longissima Pœnitentia, & mere de congruo impetrare posset qui est in statu peccati, accepta remissionis gratia justus brevissima, & de condigno impetrat, ut apud omnes constat. Ex occasione hujus duplicis Pœnitentiæ vindicativæ, & Medi-

dicinalis respondet Suarezius (*disp.* 38. *sect.* 7.) huic quæstioni: An Confessor obligare possit Pœnitentem ad exequendam Pœnitentiam ante absolutionem? Dico, inquit, si sermo sit de satisfactione tantum, ut est vindicta, non posse Sacerdotem hoc facere per se loquendo, quia ad hoc nullum jus habet, nec habet causam differendi absolutionem, si pœnitens acceptat Pœnitentiam, & nulla est ratio existimandi illam non impleturum .... At vero si propter curationem, & medicinam judicet Confessor id expedire, poterit id præcipere, & Pœnitens tenebitur obedire, quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro temporali pœnâ. Nec illud tam est novum præceptum, quam declaratio obligationis, quam Pœnitens habet, ut possit de illius dispositione, & proposito vitandi peccata moraliter constare. Hæc Suarezius, quo in intimis actuum moralium perscrutandi recessibus, nemo subtilior.

17. Atque inde etiam patet responsio ad secundum quæsitum de facto, quo, nimirum, tempore absolutio Sacramentalis dari soleret? Dicendum nimirum ex præcedentibus: Secundum diversas temporum, & personarum ciscumstantias aliquando ante completam Pœnitentiam, aliquando completo Pœnitentiæ tempore dari solitam, ut ex casibus supra adductis patet. In universum autem ex Ritualibus, Pœnitentialibus, Euchologiisque antiquis argumentum hujus rei desumi non posse. Hujusmodi enim libri scribebantur, ut Ecclesiastici Ministri dirigerentur in externis actionibus, cæremoniis, & ritibus; ritus autem in foro interno, & Sacramentali omiserunt, aut strictim tetigerunt, quum Pœnitentium publica reconciliatio nihil haberet necessario cum privata reconciliatione commune, ut ipse fatetur Morinus lib. 7. cap. 1. n. 13. Ille autem cæremoniarum apparatus necessarius erat in Pœnitentibus, quorum delictum publicum erat, & vulgatum, quod totam Ecclesiam commoverat, ut Conc. Carthag. 3. loquitur. cap. 32. Et hoc etiamnum Catholica servat Ecclesia in publicis peccatoribus, qui nisi publice satisfecerint, non absolvuntur, aut reconciliantur, sive ad communionem Sacramentorum admittuntur. Jure igitur proscriptæ sunt theses illorum, qui a publica Pœnitentia ducto argumento, de Sacramentali absolutione loquentes asseruerunt: Pœnitentes non esse absolvendos nisi peracta Pœnitentia injuncta: Per illam praxim mox absolvendi, ordinem Pœnitentiæ esse inversum: nec haberi ab Ecclesia pro usu, sed pro abusu. Fateamur, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia semper fuisse, atque esse, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate ma-

magis expedire judicaverit. Fateamur, hac potestate non nisi raro, & summa cum deliberatione, ac prudentia, atque invocato divini Spiritus auxilio Ecclesiam usam fuisse. Fateamur denique contra hodiernos Veteris disciplinæ instauratores, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos neque contemni, neque pro libito sine peccato omitti, aut in novos alios per quencumqne Ecclesiarum Pastorem posse mutari. Nunc vero quæ ad tertiam partem Sacramenti, sive Satisfactionem spectant, residua explicanda.

PROPOSITIO V.

Sæpe remissa culpa, & pœna æterna, remanet reatus pœnæ temporalis, per Pœnitentiam abluendus.
D. Th. Qu. 86. *art.* 4. *&* 5.

1. Loquimur de peccatis post baptismum commissis. Nam per baptismum omnis pœna remittitur, ut supra (*lib.* 15. *prop.* 4.) dictum est. Diximus sæpe, quoniam Contritio, aut dolor de peccatis commissis ita perfectus esse potest, ut omnis per ipsum pœna remittatur. Sic autem exposita conclusio adversus Calvinum, & Recentiores Hæreticos probatur I. Scripturarum testimoniis, & exemplis. Primum desumitur ex Numer. libro, (*cap.* 14.) ubi quum Israelitæ contra Deum, & Moysem obmurmurassent, Dominus Moysis oratione placatus: Dimisi, inquit, juxta verbum tuum. Verumtamen omnes homines, qui viderunt, majestatem meam, & signa quæ feci, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum. II. desumitur ex lib. Exodi, (*cap.* 32.) ubi quum similiter dimisisset Deus populo scelus adorationis vituli ad preces Moysi, tamen Ego in die ultionis, inquit, visitabo & hoc peccatum eorum. III. desumitur ex 2. Regum, (*cap.* 12.) ubi Davidi adultero, atque homicidæ dictum est: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini .... filius, qui natus est tibi, morietur .... Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum .... eo quod tuleris uxorem Uriæ Hethæi &c. IV. desumitur ex lib. eod. (*cap.* 24.) ubi quum David vanitatis, & superbiæ causa populum numerari jussisset, pœnituit eum gravissime, & ait: Peccavi valde in hoc facto; sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui. Et tamen Gad ad David: Trium tibi datur optio, elige unum, aut septem annos famis, aut tres menses infausti belli, aut tres dies pestilentiæ. Culpa ergo remissa, remanere potest reatus pœnæ temporalis luendæ. Confirmatur ex iis locis, in quibus præ-

ter

ter animi dolorem, & pœnitentiam de peccatis commissis commemorantur etiam corporis afflictiones, atque externa Pœnitentiæ signa. Nam Job vir justus, & simplex, ac timens Deum, ago, inquit, (*cap. ult.*) Pœnitentiam in favilla, & cinere. David, posui, inquit, (*Ps.* 68.) vestimentum meum cilicium .... (*Ps.* 34. *&c.*) Humiliabam in jejunio animam meam .... (*Job* 16.) Facies mea intumuit a fletu ..: (*Ps.* 101.) Potum meum cum fletu miscebam ... (*Joel.* 2.) Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu .... (*Jon.* 3.) Vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de via mala .... (*Mat.* 11.) In cilicio, & cinere Pœnitentiam egissent. Unde Joannes iis, quos baptizabat, facite, ajebat, (*Luc.* 3.) fructus dignos Pœnitentiæ .... (*hom.* 20. *in Evang. Gregor.*) Aliud est autem facere Pœnitentiam, aliud facere fructus dignos Pœnitentiæ. Ut enim de dignis Pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quod quisquis illicita non commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque opera pietatis faciat, ut tamen si voluerit, ea, quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, aut quod gravius est, in adulterium, tanto ab se etiam licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse .... (*Chrys. in Mat. hom.* 10.) Dignos itaque fructus Pœnitentiæ faciemus, si utique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti: Incipe donare jam propria. Longo tempore es fornicatus: a legitimo quoque usu conjugii suspendere, & perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel opere cuipiam, vel verbis fecisti: Refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te nunc officiis, nunc quoque beneficiis placare contende. Deliciis antea, ac temulentia defluebas: jejunio, & aquæ potu utrumque compensa .... Nimirum detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores, inquit Pacianus, (*Epist.* 3. *ad Simpron.*) actus proprii Pœnitentium sunt.

2. Probatur secundo Propositio ex Patribus sæpe etiam sanctos, & justos, ac justificatos homines ad Pœnitentiæ labores adhortantibus. Veritatem, inquit Augustinus, (*in Ps.* 50.) dilexisti. Id est: Impunita peccata, etiam eorum, quibus ignoscis, non dereliquisti. Sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti, sed semetipsum punienti, sic misericordia servatur, & veritas .... (*Greg.* 9. *Mor. cap.* 27.) Delinquenti enim Dominus nequaquam parcit, aut enim ipse homo in se delictum pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. In quantum igitur pœnæ nostræ non pepercerimus, in tantum Deus parcet, ait ex Tertulliano Pacianus. (*in Paren. ad Pœnit.*) Scriptum est enim: (1. *Corinth.* 11.) Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur ... Et quomodo, in-

inquies, a me ipso ratione vivendi, & supplicium exigam? Largos lachrimarum effunde fluvios, laboribus, ac vigiliis te ipsum afflige, quod est apud Chrysost. (*homil.* 42. *in Math.*) Augustin. (*in Comm. cap.* 11. 1. *ad Corinth. apud Bedam*.) Hinc Cyprianus, (*lib.* 1. *Epist.* 55. *ad Cornel.*) de iis, qui non præmissa digna satisfactione pacem pœnitentibus dabant, opera, inquit, datur, ne satisfactionibus, & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrimis abluantur.... (*lib.* 3. *epist.* 14.) Hæc autem qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros. Ut qui possunt agere veram Pœnitentiam, ac Deo precibus, & operibus suis satisfacere, seducantur, ut magis pereant.... (*Sermon. de oper. & eleemos.*) Non autem haberet fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas quid faceret, nisi iterum pietas divina subveniret, justitiæ, & misericordiæ operibus ostensis viam quamdam tuendæ salutis aperiret, ut sordes quascumque postmodum contrahimus, eleemosinis abluamus. Dictum est enim: Eleemosynis, & fide delicta purgantur. Non utique illa delicta, quæ fuerant ante baptismum contracta. Nam illa Christi sanguine, & satisfactione.... (*Serm. de laps.*) Dominus itaque orandus est. Dominus nostra satisfactione placandus.... Orare oportet impensius, diem luctu transigere, vigiliis, & fletibus noctem ducere, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari.... Quis sic Deo satisfecerit, qui Pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipso peccati sui dolore conceperit, exauditus, & adjutus a Domino, quam nuper contristraverat, lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur; sed coronam. Hæc Cyprianus, ubi inter Baptismum, & Pœnitentiam discrimen assignat. Nam ante baptismum nulla a nobis exigitur satisfactio, quum Christi sanguine plenissime applicato, purgentur peccata omnia non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam alterius vitæ tam æternam, quam temporalem. Post baptismum autem necessaria satisfactio est, & quidem nostra, non quidem per exclusionem satisfactionis Christi, ex qua virtutem habet Sacramentum, sed cum illa, & per illam, quæ operatur quidem in Sacramentali absolutione ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, pro quibus solus Christus satisfacere potuit, non autem semper ad remissionem totius pœnæ temporalis, ne homini daretur laxamentum peccandi, si nullo proprio labore misericordiam inveniret, ac veniam, nec occasio superbiendi, si propria ejus opera independenter a Christi meritis possent ad æqualitatem Deo satisfacere.... (*Aug. epist.* 56. *ad Maced.*) Nihil ergo agit ille, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod male fecit, impunitum esse non sinat, eo quippe modo sibi non parcens, ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit. (*Ps.* 84.) Misericordia

ergo

ergo & veritas obviaverunt sibi: Justitia & pax osculatæ sunt... Misericordia est, quæ ignoscit peccato, justitia, & veritas, ut peccatum puniat. (*in Ps.* 50.) Quid ergo? Quæris misericordiam? Impunitum peccatum remanebit? Respondeat David, respondeant quotquot cum Davide lapsi sunt: Non erit impunitum peccatum meum, sed ideo nolo, ut Tu punias, quia egomet peccatum meum punio. Ut autem ego puniam, atque ut levibus & momentaneis hujus vitæ cruciamentis, atque afflictionibus purgare illud possim, gratiæ tuæ, ac misericordiæ effectus est, & fructus sanguinis Christi tui, ex quo opera nostra, quæ sunt & munera tua, vim habent ad flectendum, & propitiandum temetipsum nobis.... Æquale enim malum esset nobis, quod ab Nazianzeno dictum est, (*Orat. in Sancta Lumina.*) & dimissio sine castigatione, & castigatio sine venia. Primum enim illud segnes redderet, ac desides, totasque ad peccatum habenas laxaret; alterum vero nimium restringeret, atque in desperationem adduceret...... Utrumque quippe beatum dixit David, & cujus remissæ sunt iniquitates per lavacrum (aut per Pœnitentiæ Sacramentum) & cuju soperibus bonis tecta sunt peccata. Qui enim Pœnitentiam agit, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere superiora delicta, ut non ei imputetur peccatum, ut scribit Ambrosius in 2. de Pœnit. (*cap.* 5.) His affinia sunt plura PP. dicta, quos per omnia sæcula ab exordio Ecclesiæ usque ad undecimum congessit Bellarminus. (4. *de Pœnit. cap.* 9.)

3. Probatur III. conclusio ex perpetuo usu & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ quum Græcæ, tum Latinæ, quæ semper, aut ante, aut post absolutionem Sacramentalem, laboriosa aliqua, atque afflictiva opera Pœnitentibus imposuit. Quod adeo aperte constat ex Patribus, Conciliis, Euchologiis, Pœnitentialibus, Sacramentariis, & Ritualibus, ut eorum mole Calvinus oppressus dixerit: (2. *inst. cap.* 4.) Parum me movent, quæ de satisfactione in veterum libris passim occurrunt. Video enim eorum nonnullos, (simpliciter dicam, fere omnes, quorum libri exstant) aut in hac parte lapsos esse, aut nimis aspere, ac dure loquutos. Sed contra hunc Patrum, & totius Ecclesiæ Aristarchum definitum est in Concilio Tridentino sess. 14. (*can.* 13.) Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri, pœnis vel a Deo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, vel etiam sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, aut aliis pietatis operibus, anathema sit. Cujus decisionis rationes optimas, & in Patrum universorum doctrina fundatas adducit ipsummet Concilium, (*cap.* 8.) quum ex parte divinæ justitiæ, quæ postulat, ut aliter in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint;

aliter vero qui scientes, templum Dei, quod est Ecclesia, violaverunt; tum ex parte divinæ clementiæ, ne scilicet peccata leviora reputaremus, si absque ulla satisfactione dimitterentur; tum ex parte nostri, quorum vitiosi habitus contrariis virtutum actionibus sanantur, & tolluntur; tum ex eo, quod satisfactio imminentem a Deo pœnam avertat; tum denique ex conformitate, quæ inter Christum, nosque esse debet. Sicut enim oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, ita & nos oportet Christo conformes fieri, si tamen compatimur, ut & glorificemur. Rom. 8. Quo loco Tridentinum tria pœnarum genera distinguit, quibus nos Deo satisfacere posse æque definit I. pœnas a Deo inflictas, & a nobis patienter toleratas. II. pœnas ab Ecclesia, aut ab Sacerdote Ecclesiæ Ministro injunctas. III. pœnas sponte susceptas. Et primo quidem per patientem tolerantiam earum pœnarum, quæ a Deo nobis infliguntur, posse hominem mereri, ac Deo satisfacere, patet exemplo Job, & David in morte filii, & pestilentia populi, & Moysis in morte obita ante ingressum in terram promissam, quæ ipsi ob peccatum in monte Oreb, quamvis dimissum, indicta fuerat, & ultro fatentur Adversarii, Melanctonius, Kemnitius. II. per pœnas sponte assumptas posse homines Deum placare, & iracundiæ suæ flagella prævenire, atque avertere, patet exemplo Job ajentis: (*cap. ult.*) Insipienter loquutus sum: idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. Quis Davidem coegit, ut poneret vestimentum suum cilicio, (*Ps.*68.) ut humiliaret in jejunio animam suam, (*Ps.* 34.) ut lacrymis stratum suum rigaret, & similia in psalmis multa? Quis coegit Achab, ut cilicium ad carnem adhiberet, ut jejunaret, ut in sacco dormiret? An vero sine fructu hæc fuerunt? Vidisti, ait Deus ad Eliam, (3. *Reg.* 21.) humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. Quid Ninivitæ? Nonne (*Jonæ* 3.) sponte suscepta pœnitentia, urbis suæ excidium averterunt? Quid Tyri, & Sidones? Nonne (*Math.* 11. *&* *Luc.* 10.) si in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, Deum placassent, atque suæ gentis conversionem movissent? III. denique per pœnas Christi, & Ecclesiæ authoritate a Sacerdote injunctas posse hominem Deo satisfacere pro pœna temporali peccatis debita, patet de Ecclesia quidem. Quoniam illa ex Christi institutione habet potestatem legislativam, ut alibi (*lib.* 11. *prop.* 9.) ostensum est; sed potestas legis ferendæ esse non potest sine potestate transgressores puniendi: potest ergo Ecclesia suarum legum publicis transgressoribus pœnam imponere. Pœnæ autem Ecclesiasticæ non sunt nisi Medicinales, non in destructionem, sed in ædificationem; non in malum delinquentis, sed in bonum, ut convertatur a viis suis, & vivat, ut

Deum

Deum sibi propitium reddat, ut non gravius a Deo puniatur sive in hoc sæculo, sive in futuro: homines ergo per pœnas sibi ab Ecclesia injunctas Deum sibi promereri possunt, & pro pœna temporali satisfacere. Quod autem de Ecclesia, idem de Ministris dicendum est, qui Christi, & Ecclesiæ authoritate peccata solvunt, aut ligant, remittunt, aut retinent. Sunt enim illi constituti judices: ergo possunt pœnam imponere delinquentibus. Medici sunt: ergo possunt congruum adhibere remedium morbum suum, & vulnera aperientibus. Hoc autem munus competere Sacerdotibus non ex ipsius Pœnitentis arbitrio, tanquam Consiliariis, non ex charitate, sicut cuilibet fraterne corrigenti, sed ex potestate Clavium ipsis commissa testis est Cyprianus inquiens: (*serm. de Laps.*) Contra Evangelii vigorem, contra Domini legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanctitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.... Mediator enim Dei, & hominum, inquit Leo, (*ep.* 91. *ad Theod.*) hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.... Afflictio enim pœnitentiæ, ait Gregorius, (*lib.* 3. *in* 1. *Reg. cap.* 7.) ad delenda peccata idonea est, quum Sacerdotis fuerit imperata judicio, quum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis. Confirmatur id ipsum ex innumeris Conciliorum Canonibus, ut ex Nicœni canone 12., Carthag. IV. canone 76., Arausicani I., canone 3., Moguntini sub Rabano canone 26, itemque ex Grecis in Collectione Martini Bracarens. cap. 83., ex Pœnitentiali Theodori Cantuarensis, & aliis apud Morinum, ubi singulis peccatis pœnæ injungendæ describuntur, quas, aut eis æquivalentes, Pœnitentibus Sacerdotes imponerent.

4. Inter opera autem satisfactoria tria commemorat ibi Tridentinum Concilium, nimirum Orationem, Jejunium, Eleemosynam, ad quæ cætera omnia pietatis opera reducuntur. Tria enim sunt bonorum genera, quæ Deo offerre possumus eorum authori, nimirum bona animi, & hæc Deo damus per Orationem; bona corporis, & hæc Deo sacrificamus per jejunium, sub quo omnis maceratio carnis continetur; bona externa, quæ Deo cedimus per Eleemosynam. Item per hos actus omnia mortificantur, & cohibentur vitia. Quidquid enim in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Per jejunium concupiscentia carnis; per eleemosynam concupiscentia oculorum, sive avaritia, & externarum rerum visibilium cupiditas: per orationem autem superbia vitæ coer-

cetur. Unde hæc item tria connexuit Raphael ad Tobiam dicens: (*cap.* 12.) Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. Hæc autem singula accepta esse, Deoque gratissima, innumeris patet Scripturarum testimoniis, Patrum sententiis, & Sanctorum omnium exemplis.

5. Utraque autem Pœnitentia, vel Satisfactio, nam hic pro eodem sumitur, fieri potest, sive a Sacerdote injungatur, sive sponte suscipiatur, vel publice, vel privatim, ut per se patet. Privatum autem, & publicum non desumenda sunt ex actibus ipsis, qui a Pœnitente fiunt, sed ex animo, & circumstantiis, quibus fiunt. Nam quum quis Romam, aut Assisium, aut Compostellam peregrinatur, dum sacco, & cilicio indutus incedit, dum ad fores Ecclesiæ se gemebundus prosternit, hi actus Pœnitentiæ publici sunt, sed tamen hæc videns, scire non potest, an hæc demissionis, ac devotionis causa facias, an in commissi sceleris pœnitentiam, & compensationem. Non ergo omnis actio publica pœnitentiæ est pœnitentia publica, sed ea tantum, quæ fit cum publica protestatione delicti, pro quo quis se satisfacere testatur, & populi scandalum tollere. Publica item pœnitentia dividitur in solennem, & non solennem. Videt hanc distinctionem Joannes Morinus (*lib.* 5. *cap.* 25.) dicens, Scholasticos hujus distinctionis condendæ occasionem sumpsisse ex diversis, & sibi primore fronte adversantibus Conciliorum, & Patrum sententiis. Nam quum legerent, Pœnitentes ob sua crimina irregulares haberi, ad Ordines non esse promovendos, negotia sæcularia capessere non posse, nec matrimonium contrahere, neque contracto uti, Clericis Pœnitentiam publicam non esse imponendam, & Laico impositam non esse iterandam &c. quod ex Gratiani decreto habere poterant: quum item apud eundem legerent canones multos his contrarios asserentes, Clericos post actam pœnitentiam dignitati restitui, Laicos ad Clericatum promoveri, utrosque negotia sæcularia capessere, matrimonia iniri, initis uti, pœnitentiam publicam iterato crimine iterari &c. duplicem publicam Pœnitentiam animo conceperunt solennem aliam, cui priora convenirent; publicam aliam, sed non solennem, cui posteriora congruerent, contrarios canones ita conciliari posse existimantes. Non enim, inquit, animadverterunt (rudes nimirum, & stolidi homines, omnes scilicet primores Scholastici) hæc uni, & eidem Pœnitentiæ publicæ pro varietate temporum, & Regionum convenire. Ab errationis istius causa non postrema fuit Gratiani in discernendis authoribus, eorumque ætate cæcutientia eruditorum nemini ignota. At, bone Morine, scimus omnes, & optime sciebant Scholastici veteres illam pœnitentiam, de qua prisca Concilia, Canonesque, & Pœnitentiales libri loquuntur & solennem fuisse, & publicam, sicut scimus omnes, Sortem & hominem esse, & animal. Sed sicut, licet idem

Sor-

Sortes sit homo, & animal, non est tamen eadem ratio hominis, & ratio animalis, quia latius patet animal, quam homo. Omnis enim homo est animal, non tamen omne animal est homo; ita licet antiqua illa pœnitentia esset eadem solennis, & publica, non tamen est eadem ratio, qua solennis est, & ratio, qua publica est. Latius enim patet publicum, quam solenne. Omnis enim solennis pœnitentia publica erat, estque etiamnum; sed non omnis publica pœnitentia est solennis. Solennis est quippe, quæ imponitur solenni eo ritu, & cæremoniis, de quibus Agath. Concil. relatum cap. in capite dist. 50., & mox explicabitur. Publica est, quæ fit quomocumque in facie Ecclesiæ illis solennitatibus non servatis. Ut enim, exemplo utar notissimo, peregrinatio injuncta Henrico II. Angliæ Regi cum exercitis in Syriam ab Alex. II. & similes multæ, quæ decimo, atque undecimo sæculo injungebantur, publicæ erant, non tamen solennes, & has in exemplum adducit Hostiensis in tit. de Pœnit., & Remiss. Canonistæque omnes, ac Theologi. Non igitur Canonum priscorum ignoratio eam distinctionem peperit: non Gratiani cœcutientia Scholasticos in errorem adduxit, sed rei ipsius natura, & praxis diversa Ecclesiarum. Criticorum igitur partes sint, Epochas figere, Chronologiam, & chorographiam Ecclesiasticam investigare, prisca MSS. evolvere, ac de iis dijudicare, testimonia congerere, facta conglobare, sed strictim definiendi, exacte dividendi, presse, & acuminatim ratiocinandi, artem, ac Logicum methodum Scholasticis relinquant in Dialectica, & Metaphysica versatis.

6. Dividatur ergo Pœnitentia cum Hugone, cum Raimundo Pennafortio, cum D. Thoma, cum Guillielmo, cum Hostiensi Cardin., cum Durando, cum Paludano, ac sequentibus Theologis, & Canonici juris interpretibus in solennem, publicam, & privatam. Solennis est, inquit Raimundus, quæ fit in Capite Quadragesimæ cum solennitate, quæ habetur dist. 50. in Capit. Dicitur etiam solennis, licet non proprie, quando quis invitus ad Pœnitentiam agendam in Monasterium detruditur.... Publica dicitur quandoque, quæ supra Solennis dicta est. Non distinxit ergo Raimundus, non distinxerunt Scholastici solennem Pœnitentiam a publica, quum cognoverint, eandem quam ipsi vocant Solennem, dictam esse publicam, ideo, inquit, quia publice fit; sed distinxerunt rectissime publicam ab solenni, quia non omne publicum est solenne, sicut omne solenne est publicum. Publica ergo proprie dicitur illa, quæ fit in facie Ecclesiæ non cum prædicta solennitate a jure præstituta, sicut quum cui injungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & scapulari, vel alia veste consueta. Igitur Pœnitentia hæc debet publica authoritate injungi, & publice fieri cum denuntiatione delicti, id est, ita ut populo non so-

lum

lum constet de actibus pœnitentiæ, quos videt fieri, sed de culpa, seu delicto, in cujus satisfactionem fiunt. Nam si aliquis actus publicos Pœnitentiæ exerceat ut peregrinationem, genuflexiones, eleemosynas &c., vel ex propria devotione, vel etiam jussu Sacerdotis, ita tamen ut Ecclesiæ non constet illa in satisfactionem, & Pœnitentiæ causa fieri, non erit illa publica, sed privata Pœnitentia, quamvis agatur publicissime.

7. De illa publica, & solenni pœnitentia sic legitur in Conc. Agath. In capite Quadragesimæ omnes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt Pœnitentiam ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultu in terram demisso, reos se esse ipso habitu, & vultu protestantes. Ibi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri, Presbyteri Parochiarum, & Presbyter Pœnitentium, qui eorum pœnitentiam, & conversationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus injungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero septem Pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione (juxta id, quod Canones jubent) manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu, & crebris suspiriis denuntiet eis, quoniam sicut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia ejiciuntur. Postea jubeat Ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant, & Clerus eos prosequatur cum Responsorio: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, ut videntes sacram Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non parvipendat pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum Decanis, & Prerbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur. Stationes porro, aut gradus Pœnitentium, de quibus hic Concilium loquitur, quatuor habentur ex antiquis authoribus, & prisca disciplina, nimirum Fletus, Auditio, Substratio, & Consistentia, qui referuntur, uti ex Pœnitentiali Epistola Gregorii Neocæsariensis desumpti in Canone (11.) eidem Epistolæ adnexo, ubi sic singuli describuntur: Fletus, aut luctus est extra portam Oratorii, id est, sacræ Ædis, ubi Peccatores oportet fideles ingredientes orare, ut pro se deprecentur. Addit Basilius: suam iniquitatem pronuntians, can. 56. Ex eodem Basilio constat, hanc stationem per triennium, & quadriennium prolatam juxta criminis modum can. 56., & 73. Auditio, inquit Gregorius, (*can. cit.*) est intra portam in Narthece. Narthex autem dicebatur ædificiolum oblongum, & valde angustum Ecclesiæ adnexum, quasi ipsius vestibulum. Ναρθηξ enim Græce, Latine dicitur ferula, at-

atque ad ferulæ similitudinem quidquid oblongum, & angustum est.... Ibi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, id est, usque dum dimittantur Catechumeni, & illinc (cum eis) egredi. Audiens enim Scripturas, & doctrinam ejicitur, & præcatione, id est, sacrificii oblatione indignus censetur. Tertius gradus dicebatur substratio, de qua in cit. Can. Subjectio, aut substratio est intra portam templi, a porta nimirum usque ad Ambonem, & substrati cum Catechumenis egrediebantur. Substrati vero, & Subjecti dicebantur, quoniam toto istius Stationis tempore frequenter super eos preces ab Episcopo, & Presbyteris cum manuum impositione fundebantur. Denique quarta erat statio, seu gradus Consistentium, qui ad totum Missæ mysterium admittebantur in eodem cum aliis fidelibus Ecclesiæ loco; sed eorum oblationes ad Altare non deferebantur. Vide multa de his gradibus late disserentem Morinum toto fere lib. 6.

8. Porro circa hanc sive solennem dicamus, sive Canonicam, & publicam Pœnitentiam sciendum est I. non omnia mortalia peccata canonica illa, & solenni pœnitentia punita fuisse, sed tria duntaxat, nimirum Apostasiam a fide, homicidium, & adulterium. *Apostasiam*, dixi, a *fide* per Idololatriam, aut aliquid Idololatriæ simile, ut esus Idolothytorum &c. Id convincitur. I. ex Tertulliano ajente. (*lib. de Pudic. cap.* 12.) Primam hanc regulam de authoritate Spiritus Sancti dederunt Apostoli ad eos, qui jam ex nationibus adlegi cœperant. Visum est, inquiunt, nullum amplius vobis pondus adjicere, quam eorum, a quibus necesse est abstineri, ab sacrificiis, & fornicatione, & sanguine.... Interdictum enim sanguinis, multo magis humani intelligimus. Porro qualia volunt Apostoli videri crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt? Quæ sola necessario abstinenda præcipiunt? Non quod alia permittant, sed quod hæc sola proponant, utique non remissibilia, nisi per luctuosam pœnitentiam, & quidem perpetuam. Nam dicere, peccatum aliquod simpliciter Ecclesiæ authoritate remitti non posse, error fuit Tertulliani. Probatur secundo ex Canone 2. Conc. Illiberitani; ibi: Flamines, qui post fidem lavacri sacrificaverint, vel geminaverint scelera accedente homicidio, vel triplicaverint cohærente mœchia, nec in fine (vitæ) accipiant Communionem. III. ex Conc. Ancyrano, cujus primi novem Canones de Idolatria sunt, 17. de peccato nefando, 20., 21., 22., 23., & 24. de Adulterio, atque Homicidio sunt. Ea igitur tria solum peccata Ancyrani Patres luctuosa pœnitentia mulctarunt. IV. ex Paciano in Paræn. ad Pœnitentiam. Ibi enim, quum præmisisset verba Apostolorum: Ut abstineatis vos ab Idolothytis, & sanguine, & fornicatione, hæc subdit: Reliqua peccata meliorum operum compen-

sa-

satione curantur; hæc vero tria crimina ... supra modum metuenda sunt. V. ex Greg. Nysseno in Epist. ad Letojum (*Can. 6.*) ubi tria distinguit in anima, rationem, concupiscentiam, Iram. Et inter ea, quæ rationem afficiunt, ponit Idololatriam. Ex parte Concupiscentiæ ponit scortationem. Ex parte iræ ponit homicidium, hisque solum criminibus pœnitentiam per Canones determinatam assignat. De avaritia autem nescio, ait, quomodo absque ulla pœnæ medela a Patribus prætermissa est. Basilius item Nysseni frater: (*Epist. ad Amphil.*) De his, qui rapiunt, inquit, canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus, ut tribus annis sint extra Orationes. Augustinus (*epist.* 64.) ad Aurelium queritur: Quum Apostolus tria genera vitiorum detestanda, & vitanda quodam loco posuerit dicens: Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione .... unum horum, quod secundo loco posuit, acerrime in Ecclesia vindicatur; primum, & ultimum tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri poterit, ut nec vitia esse putentur. Idem alibi. (*l.* 83. *qq.* 26.) Sunt alia peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ .... Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad Pœnitentiam luctuosam, & lamentabilem, (quam Scholastici dixerunt solennem), quamvis peccata fateantur, & quibus nulla speranda sit salus, nisi sacrificium Deo obtulerint spiritum contribulatum per Pœnitentiam, acerbam nimirum, luctuosam, Canonicam, nam spiritus contribulatio per internam pœnitentiam pro omni gravi peccato necessaria est. Denique ipse Augustinus in lib. de fid. & operib. (*cap.* 19.) Qui opinantur, ait, cætera peccata eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, Idololatriam, homicidium. Similiter hæc assertio colligitur ex Cæsario Arelatensi, Gennadio, Alcuino, quos in hujus rei confirmationem adducit Morinus lib. 5. cap. 1.

9. Sciendum est II. Luctuosam illam, & solennem Pœnitentiam nunquam fuisse impositam nisi vel postulantibus, vel de gravissimis illis delictis denunciatis, convictis, & confessis. Verbo: Propter peccata mere interna nunquam Canonica pœnitentia imposita est. Propter delicta ita occulta, ut solum per confessionem Sacramentalem innotescere potuerint, nulla unquam imposita est pœnitentia Canonica, nisi sponte ei se subjicientibus. Prima ex his assertionibus certissima est. Ut enim alibi (*lib.* 8. *prop.* 12.) cum Suarezio, & communi Doctorum diximus, Actus mere internus per se occultus est Ecclesiæ, & ideo omnino est extra jurisdictionem, & potestatem vindicativam ipsius. Actus vero exterior, licet per accidens occultus

sit,

sit, tamen secundum se non est extra objectum potentiæ illius, nimirum vindicativæ, & ideo sæpe punitur per leges. De secunda assertione quidam propterea aliter opinantur, nimirum & antiquitus, & etiamnum pro peccatis occultissimis publicam, & solennem illam pœnitentiam impositam. Ita Joannes Morinus lib. 2. ab c. 5. Natal. Alexander diss. 6. ad sæculum tertium duo asserit. I. Sex primis sæculis peccatis etiam occultis Pœnitentiam publicam inflictam fuisse. II. asserit, morem illum imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, septimo sæculo exolevisse. Nimirum sententiam illam, seu pronunciatum, aut axioma: peccata publica publice corrigenda; occulta occulte, paulo ante ann. 700. vulgari cœptum, ait Morinus. Latet autem hic parum Dialectici hominis æquivocatio. Non est enim idem dicere; pro peccatis occultis solum occulte pœnitendum. Possum enim, & laudabiliter possum de occulto meo peccato publice pœnitere, nec de hoc agitur. Aliud est dicere: peccatum occultum non esse publica castigatione, correptione, aut Pœnitentia mulctandum; quod usque ad ann. 700. Ecclesiam fecisse, vult Morinus. Sed id nec fecisse Ecclesiam, nec facere potuisse contendimus. Quid enim est: si peccaverit in te frater tuus, nisi quia tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, quum corrigis, quod peccavit. Nam si solus nosti quod peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.... Ergo illa corripienda sunt coram omnibus, quæ coram omnibus peccantur; illa vero corripienda secretius, quæ peccantur secretius. Sic agamus, & sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed quando ita peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publice arguere, prodamus delinquentem. Et fortasse quod tu scis, ego etiam scio, sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus, plerunque zelantibus, aliquando mariti salutem quærentibus. Nos non prodimus in palam, sed in secreto arguimus. Hoc semper ex Aug. serm. 16. de verbis Domini, & ex omnium PP. communi doctrina ante ann. 700. tenuit, ac servavit Ecclesia, docetque Tridentinum: Quando ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit.... huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet.... Manifesta enim peccata non sunt occulta correctione purganda cap. 1. de Pœnit., & Remiss.

10. Ut autem suam propositionem confirmet, duo præmittit Morinus. (*lib.* 1. *cap.* 9.) Primum: Ab incunabulis Ecclesiæ non modo omnia fidelium peccata sive occulta, sive publica Tribuna-

nali, Ecclesiastico ex æquo subjecta fuisse, atque in utraque Ecclesiam pro prudentia sua semper animadvertisse, verum etiam lites omnes, causasque civiles, controversias, & quidquid rixarum in mutuis Christianorum commerciis accidere poterat, eidem tribunali fuisse subjecta, nec ad profanos Judices deferri licuisse, Apostolica authoritate id prohibente, ubi dicitur: (1. *Corinth.* 6.) Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? Nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia? Ne igitur disceptationes vestras Gentiles cognoscant, neque ad dicendum contra vos testimonium adhibeantur, nec ab eis judicemini, quod habetur in 2. cons. Apostolicar. (*cap.* 46.) Hinc fideles inter se disceptantes non debere Gentilem Judicem experiri, inquit Cyprianus ad Quirin. in 3. test. adv. Judæos cap. 44. Sed hoc non est ad rem. Nam vel loquitur de foro Sacramentali, ad quem causæ, civilesque controversiæ non pertinent. Vel loquitur de Foro Judiciali, & ad hunc ex natura sua non pertinent nisi causæ mere Ecclesiasticæ, aut si etiam civiles, & Laicæ, de quibus Paulus, Clem., & Cyprianus loquuntur, id ex concessione Christianorum Principum, ut Constantini, Theodosii, & aliorum, de quorum legibus supra (*lib.* 12. *pr.* 12.) dictum est, non ex propria authoritate, & Apostolica traditione, ac disciplina Ecclesiastica. Nec Ecclesia enim, nec Paulus unquam prohibere potuit, quin civiles causæ ad civiles Judices deferrentur. Vindex enim Dei est in malum, nec sine causa gladium portat. (*Rom.* 13.) Neque dixit: Vis non timere Magistratum, Christianus esto; sed bonum fac, & habebis laudem ex illo: Paulus ergo Clemens, Cyprianus, aliique Patres ita loquuti, non Christianos a potestate, jurisdictione, & foro Sæculari, qua tales exemptos esse volunt, quod erroneum est, solumque innuunt, ut ea, quæ inter Christianos occurrunt disceptanda, potius arbitrio virorum prudentium, maxime Prælatorum Ecclesiæ, amice, ac fraterne componantur, quam ad civiles Magistratus deferantur, maxime Paganos, quales eo tempore erant. Ubi autem res amicabiliter componi non poterat, Paulus idem in causa mere Ecclesiastica, sive Religionis, ubi de vita agebatur, Cæsarem appellavit, non ut causæ Judicem, neque enim Cæsar de resurrectione mortuorum quicquam definire poterat, sed ut personæ protectorem, qui accusatorum suorum audaciam compesceret, de quo alibi (*lib.* 12. *prop.* 12.) dictum est. Denique hæc fori Ecclesiastici antiquitus extensio, atque amplitudo nunquam talis fuit in causis criminalibus. Nunquam enim potuit Ecclesia sive in foro Sacramentali, sive in Judiciali, reum aliquem morti addicere, aut a pœna mortis per leges statuta liberare convictum. Sed pœni-

nitentia illa luctuosa, quam nos solennem dicimus, imponi non poterat, nisi propter ea peccata, quæ publicata suos authores humano faciunt condemnari judicio, ut ait Prosper, (*in* 2. *de vit. cont. cap.* 7.) nisi quæ per legis regulam morte mulctanda sunt, (*Greg. lib.* 10. *ep.* 13.) nisi unde per mundanas leges mori poterat, inquit Cæsar. Arelat., (*hom.* 42) & universim probat ipse Morinus, (*lib.* 5. *cap.* 5.) hoc Patribus veluti axioma fuisse, solum depositione mulctandum Clericum, aut pœnitentia publica Laicum propter crimina, quæ leges sanguine vindicant. Tota ergo doctrina de antiqua fori Ecclesiastici amplitudine, & extensione, ad rem, de qua agitur, nimirum publica pœnitentia, nullo modo spectat.

11. Secundum Morini principium non minus ruinosum tale est lib. 2. cap. 9. Antiquitus peccata occulta pleraque publice in pœnitentiam enuntiata fuisse. Nam dum Pœnitens peccata sua occulta, & nemini cognita Sacerdoti in Sacramentali confessione aperiebat, sæpe admonebatur, ea per se ipsum publice fateri, & in omnium aures evulgare. Non quidem omnia, sed ea tantum, quorum confessione judicabat Sacerdos Ecclesiam ædificatum iri. Cætera tegebantur, ne eorum evulgatio esset Ecclesiæ scandalo, aut etiam confitenti crearet periculum. Semper enim in Ecclesia prohibitum fuit, ne peccata secreta promiscue publicarentur, & universim ne ex Confessione, aut pœnitentia Ecclesiastica grave aliquod incommodum, nedum mortis periculum pœnitentibus immineret. Hæc Morinus. Nos vero id aliquando factum non negamus. Sed factum id more Ecclesiastico, & Ecclesiastica consuetudine, quod Morinus ait num. 5., sed id factum ex disciplina Ecclesiæ, ex Ecclesiæ authoritate, sed id factum ex Patrum approbatione, & doctrina, id, inquam, falsum esse contendimus. Nam si semper in Ecclesia prohibitum fuit, ne secreta peccata promiscue publicarentur, qua authoritate, qua Patrum doctrina nixi Sacerdotes illi Pœnitentes adigere poterant, ut sua peccata in omnium aures evulgarent? Ea maxime ex quorum publicatione periculum confitenti iminere poterat, qualia erant peccata, pro quibus Pœnitentia Canonica imponebatur? Si ab initio Ecclesiæ odiosum visum est Sacerdotibus, quod Sozomenus scribit, (7. *Hist. cap.* 16.) tanquam in Theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronuntiare, quî poterat esse Origenis, Prosperi, Augustini, Socratis, Cæsarii Arelatensis, Tertulliani, Cypriani, Paciani, Ambrosii, Irenæi, Cornelii, Eusebii, Epiphanii doctrina, ut peccata secreta publica confessione divulgarentur? Nimirum quod hi omnes Patres docuerunt, quos Morinus adducit, id semper fuit in Ecclesia prohibitum? Nimirum docuissent Sancti omnes, ut Idololatriam, Adulteria, Homicidia, & latrocinia sua, ob quæ secundum humanas leges capitali supplicio plecti

cti poterant, coram universa Ecclesia panderentur. Scimus ergo id aliquando in Ecclesia factum, sed non ideo Ecclesiæ sanctissimæ disciplinam, sed cum Leone præsumptionem, illicitam usurpationem, abusum omnino submovendum, & improbabilem consuetudinem appellamus. Sancti Leonis hæc verba sunt in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ: (*cap.* 2.) Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De Pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur, ut de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, quum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare. Removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possunt legum constitutione percelli.... Etsi enim Christus non vetuerit, quin aliquis in suorum scelerum vindictam, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Hæc Tridentinum. (*Sess.* 14. *cap.* 5.) Nunquam ergo viguit Ecclesiastica consuetudo peccata publice confitendi, & multo minus Christianos ad publicam secretorum scelerum confessionem adigendi, nec aliud colligitur ex facto Nectarii, nisi Pœnitentiarii abusus, atque imprudentia, propter quam jure fuit ab officio dejectus.

12. Opponit Morinus (*lib.* 2. *cap.* 9.) Origenem ajentem: (*hom.* 21. *in Ps.* 37.) Si intellexerit, & prævíderit (spiritualis Medicus) talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, ex quo fortasse cæteri ædificari poterint, & tu ipse facilius sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito Medici consilio, procurandum est. Et Augustinum: (*Homil.* 50. *inter.* 50.) Si hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset. Sed Origenes, & Augustinus, qui, ut notavit Morinus, fere Origenis verba transcribit, loquuntur quando peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum.... quando multi noverunt, sed documentis deseruntur, ut ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quædam enim, & si vera sint, non tamen facile a Judice credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur....

quan-

quando crimen ejus naturæ est, ut latere non possit, quamvis probari non possit. Verba sunt Augustini, (*loc. cit.*) quæ bene vidit Morinus, & rectissime intellexit dicens: Peccatorum occultorum, sicut & publicorum gradus multi sunt. Occultum enim dicitur I. quod nemo novit. II. quod duo, tres, aut plures noverunt. III. quod multi sciunt, sed tamen probari non potest, vel quia est admodum difficile, & nemo hanc probationem vult instituere, vel quia nullus reperitur testis, qui viderit, sed crimen perpetrasse constat fama quadam, cui fides a multis adhibetur, ipso reo credendi occasionem præbente... Delicta igitur occulta secundi, & tertii generis ea erant, quæ Patres publice fateri consulebant, ut de illis postea Pœnitentia ageretur publica. Ergo ex Origene, & Augustino citatis, aliisque in toto 9., & 10. capite non probatur assertio posita. Propositio enim hæc erat: Peccata secreta, nemini cognita, dum secreto Pœnitens Sacerdoti aperiebat, (nimirum in Sacramentali confessione) sæpe admonebatur, ea per se ipsum publice fateri, & in horum aure evulgare. Sed bonus hic author, quæcumque apud antiquos scriptores facta legit, ad veteris Ecclesiæ disciplinam pertinuisse putavit. Sic alibi (*Tract. de Confirmat. cap.* 16.) asseruit, Diaconos Chrismandi facultatem olim habuisse. Alibi (*lib.* 8. *cap.* 24.) Diaconos consecrandi potestatem sibi usurpasse. Alibi (*ibid. & cap.* 23.) Diaconos Sacramentaliter absolvisse. Alibi (*lib. cit. cap.* 25.) Sacramentalem Confessionem, & absolutionem absenti olim datam, & hujusmodi multa, quæ passim occurrent ei, qui spissum illud, & indigestum opus habuerit legendi patientiam. Eandem Origenis explicationem, & consequenter Augustini, & Patrum aliorum adduxit Bellarminus in 3. de Pœnit. cap. 14., & habetur in Enchiridio Concil. Coloniensis tit. de Confes. per hæc verba: Confessionem in Græca, & Romana Ecclesia Episcopi, & Sacerdotes privatim audiebant, sed cum quodam peccatorum discrimine. Nam si crimen aliquod manifestum, ac tale unde læsa esset (id est scandalum passa) Ecclesia, offendissent, erat in eorum potestate, non tamen sine magna discretione, ac deliberatione, ut Origenes ait, hoc crimen in conventu totius Ecclesiæ exponere, & publicare aut saltem publicam delinquenti pœnitentiam injungere, qua ... qui deliquit, non proderet speciatim crimen suum, tamen ipso facto confitebatur, ac declarabat Ecclesiæ, se graviter peccasse. Ex quo duo colligimus; I. ex Origene ad eam publicam confessionem non fuisse adactum neminem, nisi ob peccatum manifestum, & quod in Ecclesiæ scandalum, & offensionem fuisset. II. neminem adactum, ut crimen suum speciatim proderet, dicens; adulterium, aut homicidium feci, sed generatim ut se ob sua pecca-

ta

ta eam pœnitentiam meruisse fateretur, aut sine ea protestatione per ipsammet exequutionem pœnitentiæ se peccatorem esse monstraret.

13. Porro caput ipsum controversiæ aggreditur Morinus, & de tribus primis sæculis Natalis Alexander ut probent, etiam pro peccatis occultis luctuosam illam, & solennem pœnitentiam fuisse injunctam. Probat id primo Morinus (5. *cap.* 8.) ex sententiis Theologorum Ruardi Tapperi, Lindani Ruremundensis, Perronii Cardinalis, Adami Tanneri, Petavii, Albaspinæi, Baronii Cardinalis, Suarezii. Probat II. (*cap.* 9.) tribus argumentis ex antiqua disciplina erutis, & variis S. Aug. testimoniis. Probat III. (*cap.* 10.) ex Leone, Innocentio, Basilio, Isidoro, & Eligio. Probat. IV. (*cap.* 11.) ex antiquis Canonibus, & Orientalium Pœnitentialibus, & antiquis exemplis. Probat V. (*cap.* 12.) ex Tertulliano, & Paciano. Probat VI. (*cap.* 13.) ex Cypriano. VII. (*cap.* 14.) Ex Origene, Ambrosio, & Ancyrano Concilio. Hæc autem tota argumentorum moles ex ignorata pœnitentiæ publicæ ratione procedit, eaque probe cognita evanescit. Sic enim statuo.

L E M M A.

Austeritates, aut quævis pietatis opera publice facta non constituunt Pœnitentiam Publicam.

14. Lemma hoc patet. Nam possum ex devotione, possum ex fervore contritionis, possum ad avertendam iram Dei ab populo Christiano, possum ad privatarum mearum passionum, & vitiosarum inclinationum victoriam eas austeritates exercere publicissime, eleemosynas largiri, saccum, & cilicium induere, flagellis, jejunio corpus meum macerare, ad januas genuflexus, interdiu noctuque orare, sacras ædes, Hospitalia, carceres visitare &c. Atqui hæc pietatis, & austeritatis opera publice facta non arguunt Pœnitentiam publicam. Siquidem & Antonius, & Macharius, & Hilarion, & Petrus de Alcantara, & Dominicus Loricatus, & mille alii viri sanctissimi hoc fecerunt, & faciunt etiamnum omnium Ordinum Regularium, & item Sæcularium plurimi, qui nunquam Pœnitentiæ publicæ subjecti fuerunt. Non ergo illæ publicæ austeritates, & piorum operum publicum exercitium constituunt pœnitentiæ publicæ rationem, atque statum. Nam ut ipsimet dicitis, ab anno 700. cessavit in Ecclesia consuetudo injungendi pro occultis delictis pœnitentiam publicam; sed post annum 700. usque ad præsentem diem permanet in Ecclesia consuetudo imponendi etiam pro peccatis occultissimis peregrinationes

nes ad limina Apostolorum, in Palæstinam, in Picenum, Assisium, Compostellam, visitationes Ecclesiarum, Confessiones, Communiones, Eleemosynarum largitiones, Carcerum, & Hospitalium visitationes, & sexcenta hujusmodi, quæ non nisi publice fieri possunt: ergo hæc, & hujusmodi multa ad pœnitentiam publicam pertinere minime putatis. Sed quum sint opera satisfactoria, & sæpe non ex devotione, sed jussione sacerdotis imposita; cur non hanc Pœnitentiam publicam dicitis, sed potius ab septimo sæculo eam cessasse asseritis? Vidistis enim, & quidem recte, ad Pœnitentiam publicam non satis esse opera laboriosa, luctuosaque publice exercere, quum id quivis facere possit non publice Pœnitens. Vidistis, non satis esse, ut hujusmodi opera jussu Sacerdotis fiant, quum etiam nunc fiant, & jussu Sacerdotis fiant, & tamen Pœnitentiam publicam cessasse dicatis. Quam ergo Pœnitentiam publicam esse dicitis, explicate. Sed facilius Hircum mulgeas, aut laterem laves, quam ab hujusmodi recentioribus definitionem aliquam, aut exactam divisionem extorqueas. Hæc enim omnia nugas, & Scholasticas subtilitates vocant. Capite 1. libri 1. hæc divisio facienda fuisset pœnitentiæ in publicam, & privatam. Sed remissa est ad librum septimum, cujus hoc est argumentum: Explicatur Pœnitentiarum varia praxis publica, & privata &c. Sed aliis curis distentus author nec in toto eo libro, nec in tribus sequentibus Publicæ, aut privatæ Pœnitentiæ naturam explicuit. Sic ergo habeto: Publica pœnitentia est, quæ in foro externo, & Judiciali Ecclesiæ imponitur ab Superiore legitimo, reis sponte confessis, aut convictis publice peragenda in satisfactionem dati scandali, & ipsius delinquentis remedium. Hæc, si ex præscripto ritu, & certis cæremoniis fiat, de quibus supra, dicetur Solennis, sin autem dicetur simpliciter publica. Quod si in foro Sacramentali imponatur secrete confesso, quamvis publice peragenda, ita ut Ecclesiæ quamvis constet de bonis operibus, quæ videt, non constet de causa ex qua fiunt, & an sponte, an de Sacerdotis jussu fiant, ea non publica, sed privata pœnitentia dicenda est. Hinc ad omnia argumenta Morini una est, atque eadem planissima solutio: Pro delictis occultis injuncta est aliquando Pœnitentia publica, id est, publice peragenda, concedo; pœnitentia publica, id est, in foro externo, & publico imposita, ad quam Reus per censuras, & pœnas externas cogi possit, nego, aut subdistinguo: propter delicta occulta, quæ vel Reus sponte fuerit in foro externo confessus, vel de quibus fuerit denuntiatus, & confiteri coactus, concedo; propter delicta simpliciter occulta, id est, soli Confessori cognita, nego. Hac una solutione ex decem Morini libris, quinque inutiles restant, & ex quinque residuis

erant

erant multa, quæ demere possis, ut ea omnia, quæ ad Rabbinorum doctrinas, moresque spectant, ac ritus.

15. Sciendum est III. Pœnitentiam illam luctuosam, & solennem semel tantum antiquitus impositam fuisse, non desperatione salutis, ut est apud Augustinum, (*epist.* 54. *ad Macedon.*) id est, non quia de ejus salute, qui in eadem crimina etiam, atque etiam recidisset, desperaret Ecclesia, in qua semper ad Pœnitentiam patet aditus vere ac sincere Pœnitentibus, & lugentibus; sed rigore disciplinæ, quæ semel, atque iterum concessa vilesceret, unde merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, inquit Ambrosius in 2. de Pœnit., (*cap.* 1.) quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent Pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.... (*Aug. epist.* 154. *cit.*) In tantum enim aliquando iniquitas hominum progreditur, ut etiam post actam Pœnitentiam, post Altaris reconciliationem vel similia, vel graviora committant; & tamen Deus facit etiam super tales oriri lumen suum, nec minus tribuit, quam ante tribuebat largissima munera vitæ, & salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.... Caute autem, & salubriter provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus est contemptibilis. Huic rationi alias adnexuit D. Thomas in 4. sent. dicens, id fieri etiam propter significationem. Nam in solenni impositione Pœnitentiæ Reus ab Ecclesia ejiciebatur, quod significat expulsionem hominis de Paradiso, quæ semel tantum facta est. Item, quia solennizatio est quasi quædam professio Pœnitentiam perpetuo conservandi, & ideo iteratio solennitati repugnat. Si tamen iterum quis peccaverit, non clauditur ei locus Pœnitentiæ; sed Pœnitentia solennis non est iterum injungenda.... Ipsa enim solennitas, ait Alensis, importat quandam confirmationem, & excellentiam propter quod repugnat, ut quatenus solennis est, iteretur. Dices, quod ad Epiphanium notavit Petavius: (*ad hæres.* 59.) ergo mitius se gerit Ecclesia cum recidivis, quam cum primo lapsis. Nego assumptum. Nam quocum mitius agit Medicus, cum eo, quem ferro, & flamma curat, an cum eo, quem ut insanabilem a se repellit? Dices: ergo recidivi salus desperata est, & ejus peccatum irremissibile, quod Novatianum est. Dicet enim quod ille apud Augustinum: (*epist. cit.*) Aut date mihi iterum pœnitendi locum, aut permittite jam desperato, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non pro-

hi-

hibeor . . . Vel dicite, quid mihi prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrarum blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita, & concessa subtraxero? Huic dicendum: Si iterum, & septuagies septies recidisti, confitere Sacerdoti peccata tua, & fac fructus dignos Pœnitentiæ. Licet enim Ecclesiæ severitatem flectere non possis, ut te Judiciali sententia absolvat, & exterius pacem, & communionem tibi concedat, at Deum internis hostiis contritione, dolore, gemitu, piisque operibus promereri potes, ut tibi peccata remittat, atque ejus nomine, & authoritate Sacerdos. Ecclesia in Judiciali, atque externo foro functa est jam munere suo, nihil habet ultra quod faciat, curavimus, inquit Babilonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Ejus clementia in foro Sacramentali eosdem habet limites, quos meritum infinitum passionis Christi, quod per Sacramentum nobis applicatur, ut dictum est L. 15. pr. 1.

16. Invehitur hic suo more in Scholasticos Morinus, qui antiquam disciplinam ignorantes, & primævæ Ecclesiæ praxim ex usu sui temporis metientes docuerunt.... antiquitus crimina post actam publicam Pœnitentiam iterantibus, non esse per aliam publicam pœnitentiam succursum; sed per privatam, adducitque illud citati Alens. Alexandri, cui alii similia scripserunt. Non repugnat, ut iterum puniatur recidivus. Immo potius debet puniri tanta pœna, ut confusio solennis pœnitentiæ in acerbitate, & magnitudine compensetur. In iis autem semper hæret aqua Morino, quia publicæ, & privatæ pœnitentiæ rationem non satis distinxit; unde passim eodem laborat æquivoco. Dicimus autem cum Scholasticis, ei, qui post publicam pœnitentiam recidit, subveniri olim, & nunc, & semper solitum per privatam pœnitentiam, nec aliud ei superesse remedium. Pœnitentia enim est unica post naufragium tabula: ergo si publica recidivo non conceditur, privata peragenda; sed publica ab Ecclesia non imponitur recidivo: ergo unicum ipsi remedium superest in pœnitentia privata. Id autem tu idem fateris Morine. Dicis enim ad finem capitis 29. lib. ejusdem: Ingentium criminum reos post actam pœnitentiam, sanationis recuperandæ causa, misericordiæ Dei, & pœnitentiæ voluntariæ fuisse commissos, aliamque Pœnitentiam ab Ecclesia non impetrasse; sed Pœnitentia voluntaria est pœnitentia privata: ergo &c. Item cap. 3. Augustinus, inquis, ad solvendam objectionem Macedonii de iis, qui post pœnitentiam similia, aut etiam graviora committunt, non recurrit ad iteratam, sed privatam pœnitentiam. Ad quid ergo recurrit Augustinus? Ad Dei misericordiam recurrit semper, inquit, quam iterati criminis reus non modo vitiorum, sed etiam licitorum abstinentia, libidinum coercitione, carnis maceratione, atque aliis piis operi-

peribus promereri potest. Sed hæc sunt, quæ a Patribus antonomastice, & κατ' ἐξοχὴν Pœnitentiæ dicuntur, nimirum abstinentia, jejunia, chameuniæ, quæ propterea in 3. statione, seu in substrationis gradu pœnitentibus injungebantur, ut ipsemet fateris cap. 29. ejusd. libr. num. 17. Ergo Augustinus ad pœnitentiam privatam recurrit pro recidivorum remedio. Dices, te non loqui de pœnitentia privata, id est sponte suscepta, hanc enim dubio procul recidivus exercere potest, atque de se ipso vindictam sumere, tanto graviorem, quanto relapsu gravius peccavit. Sed enim quod recidivus ad flectendam divinam clementiam in se ipsum exercere potest, id ipsum prudens Pœnitentiarius ei injungere potest: ergo potest reo recidivo in Sacramentali foro jejunia, chameunias, eleemosynas, aliaque hujusmodi pietatis opera imponere. Dices, te negare pœnitentiam secundam ab Ecclesia impositam, & concessam recidivis in foro judiciali, ad cujus exequutionem Reus per Ecclesiasticas censuras cogi possit. At hæc, mi Morine, non jam privata pœnitentia, sed publica est. At de hac nunquam loquuti sunt Scholastici Doctores. Fingis ergo hostem, quem ferias, ut sæpe alias. Quum enim dicimus, Recidivo non negari subsidium privatæ Pœnitentiæ, privatam dicimus eam, quæ sponte fit ex fervore contritionis, privatam dicimus eam, quam in foro Sacramentali Pœnitentiarius, aut Confessarius quivis imponere potest sive ad scandalum removendum, si reincidentia fuerit publica, sive ad impetrandam Dei misericordiam, & vitium curandum, si fuerit occulta, quod & tu ipse fateri coactus es in citatis locis.

17. Adde aliqua etiam, non solum Sacramentali, & privata, sed etiam Judiciali, & publica pœna mulctatos recidivos. Id patet ex Epist. Siricii Pap. 1. cap. 4. Ibi enim consultus Pontifex ab Himerio Tarraconens. super his, qui, acta Pœnitentia, tanquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & volutabra revertuntur, respondet: De his, quia jam suffugium non habent pœnitendi, nimirum luctuosa illa, & solenni pœnitentia, id duximus decernendum: Ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebrationi, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correcti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Eis tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, quum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Recidivis ergo post primam pœnitentiam ex decreto Syricii, nisi in mortis articulo, communio negabatur. Et hoc quidem ex Syricii indulgentia. Antiquitus enim nec in fine vitæ ad communionem admittebantur. Nam de Adulteris in can. 3. Concilii Illiberitani sancitum est: Si post pœniten-

tiam

etiam fuerint mœchati, placuit ulterius, non esse eis dandam communionem, ne lusisse cum Dominica communione videantur. Tum Canon. 7. Si quis forte fidelium post lapsum Mœchiæ, post tempora constituta, acta Pœnitentia, denuo fuerit mœchatus, placuit, eum nec in fine habere communionem. Sed ab Eucharistiæ communione privari vel in perpetuum, vel saltem usque ad mortis articulum, durissima pœnitentia est, & quidem publica, quum fiat non solum in Lapsi correptionem, sed etiam in aliorum exemplum, ut Syricius loquitur: ergo recidivis pœnitentia aliqua publica ab Ecclesia imponebatur. Respondet Morinus, pœnitentiam antonomastice dictam esse abstinentias, jejunia, chameunias, aliaque laboriosa opera in gradu substrationis fieri solita. Merito ergo dicitur, his pœnitentiam non imponi, licet a mysteriorum communione arceantur. Sed in hac responsione Morinus sui oblitus est. In cap. enim ejusd. lib. 26. probat, Ecclesiam in hunc usque diem authoritatem castigandi peccata occultissima publicis pœnis sibi conservasse, probat autem sic numero 11. Crimina etiam occultissima castigat Ecclesia Censuris; sed Pœnæ per Censuras inflictæ sunt pœnæ publicæ, quæ latere non possunt: ergo crimina occultissima ex usu Ecclesiæ quotidiano pœnis publicis, seu publica Penitentia vindicantur. Nam Sacerdos excommunicatus celebrare non potest. Quid, inquit, de suspensione dicam, quid de depositione, de irregularitate, interdicto, degradatione?... Quid magis publicum, inquit, fingi potest? Age vero, si tibi aliquis responderet, harum rerum privationes non esse proprie pœnas. Nam per pœnas antonomastice, & κατ' ἐξοχὴν Patres non intelligunt nisi abstinentias, jejunia, chameunias, aliaque opera laboriosa; qui ita, inquam, responderet, tui ne argumenti vim eluderet? Quid vero? Non quivis Christianus jejunia, & alias carnis macerationes libenter suscipit, ne a sacra communione arceatur, sed ut ea quam primum frui liceat? Num solæ carnis afflictiones pœnæ sunt Ecclesiasticæ? Num Excommunicatio, per quam quis ab divinis arcetur, non est Pœnarum Ecclesiasticarum maxima? Unde infers, Patres non appellasse Pœnitentiam nisi jejunia, humi cubationes, & alias afflictiones carnis? Sed hunc linquamus.

18. De publicæ Pœnitentiæ, quam Solennem dicimus, Subjecto, magna est lis inter hos factorum indagatores, an Clerici pœnitentiæ publicæ subjecti fuerint. Natalis Alexander (*diss.* 11. *sec.* 3.) statuit primo: Clericos minores non secus, ac Laicos olim pœnitentiæ publicæ fuisse subjectos. Secundo: Clericos Majores, nimirum Diaconos, eisque superiores subjectos item fuisse usque ad tertium sæculum, sed non postea. Hoc postremum secunda, prius in tertia propositione statuit. D. Thomas in 4. sent., & habetur in Supplem.

qu. 28. art. 3. ait, Clericos indiscriminatim publicæ pœnitentiæ non subjacuisse propter scandalum. Additur autem ibi: Talis pœnitentia, nimirum Solennis, non debet imponi nisi propter peccatum, quod totam commoverit urbem. Publica autem, & non solennis Pœnitentia est, quæ in facie Ecclesiæ fit, sed non cum solennitate prædicta, sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & hæc potest iterari, & a simplici Sacerdote injungi, & potest etiam Clerico imponi. Tamen (notat) quandoque pœnitentia solennis accipitur pro publica, & secundum hoc authoritates quædam varie loquuntur de solenni, id est de forma, authore, materia, subjecto, & relaxatione ipsius. Sed in his, quæ magis ad Canonicam disciplinam, quam ad rem Theologicam spectant, satis, superque immorati sumus.

SCHOLION.

19. Quoniam vero solenni illa, & publica Pœnitentia mulctatis non solum imponebantur corporales pœnæ, quibus & confunderentur, & macerarentur, uti prostrationes, adgeniculationes, jejunia, chameuniæ, sed etiam pœnæ spirituales, per quas a communione Eucharistiæ, ab Sacrificii assistentia, a publicis precibus, atque ab ipso Ecclesiæ aditu prohibebantur. Hæ autem spiritualium bonorum privationes pœnæ sunt, omnium, quas imponit Ecclesia, gravissimæ, & Censuræ dicuntur. Est autem Censura triplex apud Innoc. in cap. Quærenti de Verb. Signif. nimirum Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, de quibus propterea hic agendum videretur. Sed quia hujusmodi Censuræ non jure divino, sed solum Ecclesiastico peccatis adnexæ sunt, & non nisi ad forum Judiciale, & contentiosum spectant, ut cum D. Thoma in 4. Sent. communiter docent Theologi, contentiosi autem, & Judicialis, atque externi fori consideratio ad Canonicam spectat disciplinam, hic nos ejus tractationi supersedemus, lectorem remittentes ad Canonici Juris Interpretes in titulos de Censuris, de Pœnis, de Sententia Excommunicationis, & similibus, præcipue autem ad uberrimum, & absolutissimum Francisci Suarezii Tractatum de Censuris, & Irregularitatibus.

20. Ut autem ad nostra redeamus, dicendum est contra Morinum, Van-Espenium, & hujusmodi, ut bene dixit Mamachius, arbitrariarum Epocharum depunctores, Pœnitentiam in Ecclesia sive solennem, sive simpliciter publicam nunquam omnino abolitam. Usque in hodiernum namque diem quicumque nominatim Excommunicati, Suspensi, Depositi, Degradati declarantur, ante Absolutionem publicam, ac solennem Pœnitentiæ publicæ subjiciuntur. Similiter & omnes illi, qui propter externam hæresim, aut alia gravissima cri-

crimina ad S. Inquisitionis officium spectantia publice denuntiantur, & solenniter corripiuntur, ac per publicam sententiam aut ad tempus, aut perpetuo pœnis publicis, & gravissimis subduntur. Publica autem, quamvis non solennis Pœnitentia passim exercetur in publicos peccatores de Episcoporum judicio, & sententia, per quam & viri, & fœminæ, & Clerici, & Laici vel in Monasteria detruduntur ad tempus, aut perpetuo, aut carceri addicuntur, aut pœnis aliis quum corporalibus, quum spiritualibus, tum etiam pecuniariis mulctantur, aut ab Diœcesi pelluntur, aut ad remos damnantur &c. Si qua autem mutatio facta est in hujusmodi Pœnitentiarum acerbitate, & frequentia, id meritissime, & sapientissime factum est. Obsesvare enim debent hi antiquæ severitatis amatores, qui omnem Ecclesiæ disciplinam vellent ad antiquos Canones corrigi, & reformari. Observare, inquam, debent I. Antiquitus Christianos vitam egisse cum Paganis, & Gentilibus permixtos, qui majorem Christianæ sanctitatis opinionem animo concipiebant, quum viderent crimina tam severe corrigi, atque purgari. Itaque ad hanc venerationem Extraneorum conciliandam, & eorum conversionem promovendam, congruentissima, immo omnino necessaria erat illa austeritas, & utilitas paucorum fidelium publicæ Ecclesiæ honestati cedere debuit. II. Priorum sæculorum Christiani ut plurimum erant ex Idololatria ad fidem conversi, in vitiis omnibus, & summa divinarum rerum ignoratione educati. Potius ergo timore pœnæ, quam spiritualis vitæ amore, ac dulcedine, erant ad Christianam vitam, & morum honestatem, cui assueti non erant, componendi, atque informandi. III. Illis temporibus plurima scelera non erant civilibus legibus coercita. Vis etiam coactiva, & Legislativa Ecclesiæ elumbis erat sine protectione, & auxilio sæcularium Magistratuum, immo iis exosa. Quum ergo extrinsecus omni auxilio destitueretur, immo impugnaretur, oportuit, ut interna, & domestica severitate externæ coercitionis defectum suppleret. Nisi enim per civiles leges delicta punirentur, quanto major patrifamilias in filios, & domesticos erat adhibenda severitas? IV. Quatuor prima illa sæcula tempus belli fuerunt, & crudelissimarum impugnationum. Militaris autem disciplina belli tempore rigidissima, & vigilantissima esse debet, non adeo tempore pacis, ut compertum est. Pace ergo per Constantinum Ecclesiæ reddita, antiquum disciplinæ rigorem tantisper mitescere, æquum fuit, qui tantus fuerat, ut Constantinus, & primi Christiani Imperatores gravissima etiam crimina Episcoporum, & sententiæ corrigenda, & emendanda reliquerint, ut alibi (*lib.* 12. *pr.* 12.) dictum est. Cypriani igitur verbis (*ep.* 52.) Ecclesia hos alloqui potest rigidos Censores, ac dicere: Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona, & cau-

causa purganda est, ne me existimes a priore proposito leviter recessisse, & quum Evangelicum rigorem primo, & inter initia defenderim, postea videar, animum meum a disciplina, & censura priore flexisse, ut his, qui Libellis conscientiam suam maculaverint, & nefanda sacrificia commiserint, pacem laxandam putaverim. Utrumque enim non sine librata diu, & ponderata ratione a me factum est. Nam quum prælium gloriosi certaminis in persequutione ferveret, toto hortatu, & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & Lapsorum mentes animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum sequerentur, sed & ad Martyrii gloriam provocarentur.... Persequutione autem sopita, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis Lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo, quod sibi Ecclesia clauderetur, sæcuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen censura Ecclesiastica solveretur.

21. V. In primoribus illis Ecclesiæ sæculis non tot erant subsidia promovendi in populo honestatem morum, & Christianæ vitæ sanctitatem, quæ nostris temporibus adsunt opportunissima. Multiplicabantur scelera, metu cruciatuum innumeri saltem externe thura Diis offerebant. Nullum erat efficax remedium, nisi Canonum Pœnitentialium severitas, quæ timorem incuteret delinquenti. Nunc autem multo plures sunt Sacerdotes, & Prælati Ecclesiastici super gregem Domini attentissime vigilantes, sunt Ecclesiæ plures, & Parochiæ, ubi frequentes Catecheses, crebræ Conciones, Scholæ, Academiæ, Seminaria, Libri Pii, Bonorum, & Sapientium virorum copia major, qui doctrina illustrent, atque exemplis accendant ad virtutis studium, sunt Regulares multi Ordines, sunt Virginum Monasteria, & puellarum Convictoria, quæ omnia multum ex hoc mundo fæcis exhauriunt juventutem Christianam partim bonis moribus imbuendo, partim per Religiosæ vitæ professionem ab sæculo extrahendo, partim in suorum civium, & propinquorum exemplum proponendo. Accedunt Juris Ecclesiastici constitutiones in dies meliori ordine digestæ, & magis omnibus notæ, & Principum, ac civilium Magistratuum Leges, quæ vitia omnia, si extinguere non possunt, at non sinunt invalescere, nec in publicum serpere. Itaque tanto pœnitentiæ rigore non amplius opus est, quæ præsenti Ecclesiæ statui plus inferret damni, quam lucri. VI. Plura sunt multo, & longe faciliora in præsenti Ecclesia pietatis, & bonorum operum publicæ exercitationes, per quas homines possint reatum pœnæ temporalis abluere sine dedecore, infamia, aut piorum scandalo. Frequentes nimirum festivitates, Confessiones, Comprecationes, peregrinationes, piarum Confraternitatum exercitia, Domus correctionis. Itaque, concludit Amortius, ex quo hæc ad verbum excerpsimus, sicut virga domo ejicitur li-

liberis jam adultis, & ad sanam rationem compositis, ita Ecclesia jam in optimo Legislationis, & regiminis spiritualis, authoritatis, & ordinis gradu constituta, antiqua illa, & servilis austeritas non fuit amplius omnino retinenda. Nec propterea Spiritus Ecclesiæ mutatus dicendus est. Omnium ejus quippe Legum, ac disciplinarum invariabilis hæc regula, atque anima est Charitas, qua semper & majorem Dei gloriam, & fidelium spiritualem profectum quærit, ad quem finem sanctissimum leges omnes, omnemque externam disciplinam collimare & fecit, & facit, facietque, donec sive per hanc, sive per aliam pro sæculorum, locorum, & morum opportunitate disciplinam, occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quod est apud Paulum.. (*Eph.* 4.)

PROPOSITIO VI.

Sanctorum suffragiis pœnæ temporalis remissionem a Deo obtineri posse sive in hoc sæculo, sive in futuro.

1. PRobatur I. Scripturarum authoritate, & exemplis. Sodomitæ enim, & Ghomorreitæ incendii pœnam evasissent, si quinque justi in eis reperti fuissent. Israelitæ sæpius fuissent exterminati, si non Moyses stetisset in confractione, & deinceps viri alii sanctissimi, quorum unus Jeremias: Recordare, inquit, (*cap.* 18.) quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis. Unde & improbis Sacerdotibus queritur Dominus: (*Ezech.* 13.) Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro filiis Israel. Paulo concessit Dominus (*Act.* 27.) animas omnium eorum, qui secum navigabant. In gratiam ergo Justorum Dominus temporales pœnas peccati debitas remisit, ac remittit sæpius. Idem significant & illa Pauli: (2. *ad Cor.* 1.) Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multis personis ejus, quæ in nobis est, donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.... Obsecro fratres, (*Rom.* 15.)) ut adjuvetis me in orationibus pro me a Deo, & hujusmodi multa. Quod autem de vivis, id etiam de mortuis, qui suffragiorum capaces sunt, eadem docet Scriptura. Sancta enim, (2. *Macab. cap.* 12.) & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur... (*Eccl.* 7.) Mortuo ne prohibeas gratiam.... (*Tobi.* 4.) sed panem tuum, & vinum super sepulturam justi constitue.... (*Eccle.* 38.) & non despicias sepulturam illius. Quod si suffragia vivorum mortuis non prosunt, quid faciunt, inquit Paulus, (1. *Corint. cap.* 15.) qui baptizantur pro mortuis?

tuis? id est, qui se affligunt, & carnem suam macerant pro mortuorum peccatis?

2. Probatur II. hæc veritas Conciliorum authoritate Carthag. III. cap. 29., IV. cap. 79., Tolet. XI. cap. 12., Vasens. cap. 2., Arelatens. III., c. 12., Vasens. II. cap. 4., Bracarens. I. cap. 39., Cabilonens. II. cap. 39., Aurelianens. II. cap. 15., Wormaciens. cap. 80., Epaunens., Nannetens. apud Gratia., Lateranens. sub Innoc. III. & habetur cap. ad Apostolicam de Simonia. Florentini, (*in litteris Unionis.*) ubi Græcis, ac Latinis convenientibus sancitum est, animabus mortuorum, ut a pœnis releventur, prodesse vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ institutum. Ex quibus omnibus Tridentinum definit: (*Sess.* 25. *decret* 1.) Animas in Purgatorio detentas (de quo alibi (*lib.* 18. *prop.* 3.) constabit) fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, adjuvari.

3. III. Idem probatur ex constantissima praxi, atque usu Catholicæ Ecclesiæ in omnibus locis, ac sæculis, cujus testes sunt antiquissimæ Liturgiæ, Euchologia, Canones, & Patres, Clemens Romanus in 8. Const., Eusebius, in 4. de vit. Const., Nicephorus in 8. hist. cap. 29., Athan. in epist. ad Solitar., Epiphan. ad finem Anchorati, Chrysostomus multis in locis, quum maxime hom. 41. in primam ad Corinth., ibi: Unum corpus omnes sumus. Sint licet membra alia aliis illustriora, undique tamen veniam ipsis impetrare licet, precibus pro ipsis effusis, muneribus oblatis &c. Eadem habent quum de vivis, tum de mortuis Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Ambros. Gregorius, Cyrill., Damascenus, aliique, quorum testimonia aliqua supra dedimus, quum de Missæ sacrificio ageremus. Insigne est illud, quod ex Cypriano habetur (*Epist.* 13. & 14.) de intercessione Martyrum, quorum prærogativa, inquit, apud Deum adjuvari possunt: Et item: Auxilio, ait, eorum apud Deum pro delictis suis adjuvari possunt.

4. Ratio potissima hujus assertionis desumitur ex unitate Ecclesiæ, sive Corporis mystici sub uno capite Christo Mediatore. Sumus enim unius corporis membra, ut Paulus multis inculcat scribens ad Ephesios. (*cap.* 5.) In eodem autem corpore uno membro læso (1. *Cor.* 12.) compatiuntur omnia membra, & bene valente congaudent omnia membra. Quamvis autem distinctos actus habeant, atque ad se invicem operationes suas non semper referant, exercite tamen semet juvant, dum & manus, & pedes, & oculi, & venter unumquodque suo modo ad totius corporis valetudinem, & utilitatem conspirant.

Ple-

Plenitudo igitur Christianæ Legis (*Rom. cap.* 13.) quum sit charitas, quæ ab Christo capite diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, omnia bona eorum, quorum in corde viget, communia facit. Unde dictum est: (2. *Cor.* 11.) Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Amicorum enim omnia sunt communia. Igitur sicut bonus Servus, quamvis uni domino suo serviens, tamen toti familiæ servit, in cujus utilitatem ejus famulatus redundat, & miles strenuus in totius exercitus commodum pugnat, & bonus civis, quamvis de Titio, aut Cajo non cogitet, in totius civitatis utilitatem adlaborat, ita quivis Christianus Deum sibi gratum habens toti Ecclesiæ prodest, maxime autem illis, in quorum corde regnat eadem Christi charitas, nimirum Justis, & multo magis Electis, & secundum propositum vocatis Sanctis, quibus omnia cooperantur in bonum. (*Rom.* 8.) Unde scriptum est: (*Ps.* 118.) Particeps ego sum omnium timentium Te, & custodientium mandata tua. Et hæc est participatio fructuum spiritualium, qui ex Sanctorum præcibus, afflictionibus, & quibusvis gratis Deo operibus in totum corpus Ecclesiæ derivantur ab omnium communi Capite, & fonte Christo JESU, quam Communionem Sanctorum appellamus, & in Symbolo nominatim profitemur.

5. Difficultas autem tota est in explicando, quomodo suffragiis hujusmodi adjuvemur ad satisfactionem pro pœna temporali peccatis debita. Prænotandum enim I. Satisfactionem aliam esse de condigno, quum æquale redditur ei, quod ablatum est; aliam de congruo, quum licet æquale simpliciter non reddatur, attenta tamen dantis, & accipientis voluntaria acceptatione, pro æquali habetur. Notandum II. Æqualitatem aliter considerari in justitia commutativa, & in Vindicativa. In Commutativa enim locum habet solum æqualitas Arithmetica, seu tanti ad tantum, ut si cui debebas 100. solidos, totidem reddas, vel rem equivalentem; in vindicativa autem magis attendi æqualitatem secundum proportionem quandam Geometricam, sive proportionalitatem. In obligatione enim debiti non est nisi inæqualitas justitiæ commutativæ opposita, qua unus rem alterius habet, & ideo ad satisfactionem (quæ in his dicitur Restitutio) non exigitur, nisi ut restituatur æqualitas rei, sive id, in quo alter ex alieno ditior factus est. Ubi autem est offensa, sicut in Justitia vindicativa, non solum est inæqualitas opposita justitiæ, sed etiam inæqualitas opposita amicitiæ, & ideo ad hoc, quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet quod æqualitas justitiæ restituatur per recompensationem æqualis pœnæ, sed etiam quod restituatur æqualitas amicitiæ; ut ad rem aliam dixit D. Thom. Igitur in commutativa Justitia unus pro alio satisfacere potest. Nam si mihi debes 100. &

Titius pro Te mihi totidem solvit, vel tibi dat, unde solvas, nihil a te possum repetere, aut exigere, etiam si te inscio, & me invito id fecerit. At si me offenderis, aut dedecore affeceris, personali pœna teneris, nec quisquam pro te mihi potest satisfacere, nisi me satisfactionem illam acceptante, & te in meam gratiam, & amicitiam restituente. Sed quia in satisfactione, de qua agimus, jam offensa remissa supponitur, & offensor in Dei gratiam, atque amicitiam restitutus, quæstio est, utrum alter Deo quoque charus, & acceptus possit pro peccatis, aut pœna eis debita temporali satisfacere, & quomodo?

6. Tripliciter quippe potest alter alterum ad hanc satisfactionem adjuvare. I. per modum impetrationis, aut precum, ut si pro Titio ære alieno gravato Principem exores, ut illi Præturam, aut Legationem committat, vel officium aliquod, unde habere possit, quibus suis debitoribus satisfaciat, vel mulctam injunctam exolvat, & in hoc sensu posse hominem hominum suffragiis adjuvari, ne ipsi quidem Lutherani, & Calviniani diffitentur. II. per modum absolutionis, impetrando ab creditore, ut Titii misereatur, eique omne debitum, aut pœnam sponte remittat, & hoc modo Martyres per libellos suos pro Lapsis apud Episcopos intercedebant, ut illis aut in totum, aut ex parte Canonica Pœnitentia remitteretur. Et hunc item modum impetrationis & suffragii dari homini ab homine posse non dubium est. III. per modum Solutionis, ut si Titio ex bonis tuis aliquid conferas, unde mulctam sibi impositam solvat. Quum enim omnium membrorum Ecclesiæ bona opera nostra sint per charitatem, & communionem Sanctorum, eorum quasi pretio nobis adjudicato pœnam temporalem redimimus. Nam quod per amicos possumus, per nos ipsos posse, & facere censemur. Unde quantum ad pœnæ remissionem, inquit S. Thomas, (*in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *ar.* 2. *&* *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *&* 3. *cont. Gent. cap.* 158.) unus alteri mereri potest, & actus unius efficitur alterius mediante charitate, per quam omnes unum sumus in Christo. In hoc ergo summa est Dei bonitas prædicanda, ut dicitur in Catech. Pii V., qui hoc etiam humanæ imbecillitati largitus est, ut unus possit pro alio satisfacere . . . ut qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possint, quod Deo debetur, persolvere, ex quo fit, ut quodam facto alter alterius onera portare videatur. . . Nec vero de hoc dubitandi locus cuiquam fidelium relictus est, qui in Apostolorum Symbolo communionem Sanctorum profitemur. Hæc ibi.

7. Tamen multorum Theologorum opinio est, Suffragia Sanctorum non valere viventibus per modum solutionis, aut pretii, quo a pœna debita liberentur. Pœna enim qua talis sequitur culpam, nec sine

ea

ea unquam imponi potest; sed culpa personalis est, adeo ut aliena culpa nemo reus fiat: ergo & pœna personalis esse debet. Unde dictum est: (*Galat. cap.* 6.) Unusquisque onus suum portabit... Quæ seminaverit homo, hæc & metet.... (2. *Corinth. cap.* 5.) Unusquisque opus suum recipiet, prout gessit in corpore.... (1. *Corinth. cap.* 3.) propriam mercedem accipiet secundum suum laborem...., (*Ps.* 61.) Tu reddes unicuique juxta opera sua.... (*Ezech.* 18.) filius non portabit iniquitatem Patris &c. Multi tamen alii Doctores, quos Suarezius citat, ac sequitur, (*disp.* 48. *sect.* 2.) tenent, suffragia prodesse per modum solutionis, & pretii reapse exhibiti. Sed inter hos plures existimant, id solum esse verum, quando reus per se ipsum satisfacere non potest. Qui enim satisfacere per se ipsum potest, & non vult, inquit Richardus de Mediavilla (*in* 4. *di.* 20. *q.* 3.) vere pœnitens non est, & ideo opus, quod aliquis facit pro isto, non satisfacit pro pœna istius. Alii putant, satisfacientem pro alio debere illi esse non solum charitate, sed etiam sanguinis propinquitate conjunctum, ut sicut in filio punitur Pater, ita Pater pro filio satisfacere possit, Utrumque hoc conjungit Paulus Wanus sæc. 15. Scriptor apud Amort. Paludanus, & Guido de Monte ulterius requirunt, ut satisfactio alteri sit imposita legitimi Superioris authoritate. Pœnitentia enim, inquit Paludanus, (*in* 4. *d.* 20. *qu.* 2.) quæ non est accepta, non est satisfactoria, mutatio autem pœnæ, quæ non procedit ex voluntate judicis, non est accepta. Unde licet possit unus pro alio satisfacere quando est obligatio ad pecuniam, tamen de delicto quoad pœnam corporalem unus pro alio satisfacere non potest. Guido autem (*manip. Curator. p.* 2. *tr.* 4.) hæc tria conjungit, ut reus sit impotens satisfaciendi, ut satisfaciens sit sanguine propinquus. Et credo, inquit, necessarium, ut fiat authoritate Superioris. Addit hic author, requiri ulterius, ut ille, qui pro alio satisfacit, faciat plus quam ille, pro quo satisfacere debet, ut si ille, inquit, obligatus erat ad unum jejunium, hic amplius jejunare teneatur. Has autem conditiones quatuor communiter alii Doctores rejiciunt, ex iis etiam, qui suffragia per modum solutionis prodesse arbitrantur. Ut igitur certa ab incertis distinguamus, dicendum est I. Suffragia valere per modum impetrationis, quatenus amicorum suorum precibus, ac meritis exoratus, & placatus Dominus aut nobis auxilia largitur, quibus cooperantes pro nobis satisfaciamus, aut gratis sine ulla ulteriore satisfactione pœnam dimittit, sive a reatu nos absolvit. Utrumque enim est possibile, quamvis hoc secundum in præsenti rerum providentia nunquam fieri probabilius sit, ut allegata Scripturæ loca probare videntur, & bene admonuit Suarezius, (*disp.* 48. *de suffr. sect.* 2. *n.* 9.) nam satisfactio, inquit, universalis Christi sine proprio opere non applicatur nobis extra Sacramenta...

Dicendum II. Fieri posse, ut neque cooperantibus, neque poscentibus; aut scientibus nobis, aliorum suffragia prosint per modum solutionis, & pretii, maxime si persona, quæ pro nobis patitur, aut sanguine, aut officio, & munere ita conjuncta sit, ut nostri cura ad eam pertineat, ut si Pater pro filio, uxor pro marito, Pastor pro grege, Rex pro populo satisfaciat. Una enim persona censentur. Unde sicut morte filii punitus est David pater, & morte populi punitus est David Rex, ita pro Patre filius, aut pro populo Princeps satisfacere potest. Tamen in his casibus non tam operatur ad satisfactionem (sicut nec ad punitionem) effectus passionis alienæ, quam effectus compassionis propriæ. Non enim mors filii, aut populi fuit pœna Patris, aut Regis, sed dolor de morte filii, aut de interitu populi. In aliis igitur non ita conjunctis, ut malum unius in alterum redundet, ut aliquis pœna sua pœnam alterius redimat, duo videntur necessaria. I. ut satisfaciens opera sua bona aliunde non debita applicet sponte, ac dirigat ad me a pœna liberandum. II. ut Judex ea bona opera accepta habere velit. Et in hoc sensu loquuti sunt Guido, & Paludanus supra adducti. Non enim, quum agitur de reparatione injuriæ, tenetur offensus, aut Judex interpellatus acceptare satisfactionem Titii pro Cajo, nisi Titius se sponte offerat ad satisfaciendum pro Cajo, & offensor eam satisfactionem acceptare velit, eaque sit contentus. Ratio autem est, quia per satisfactionem tolli debet offensa præcedens, sive inæqualitas opposita amicitiæ: oportet ergo talem esse modum satisfactionis, qui competat ad tollendam offensam: offensæ autem ablatio est amicitiæ restitutio; & ideo si aliquid est, quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam inter homines satisfactio esse non potest, ait D. Thomas: (*in supplem. q.* 13. *ar.* 2.) sed per bona officia in me Titii, quamvis mihi gratissima, quamvis æqualia, quamvis multo majora sint, quam ea, quæ exigo a Cajo, non teneor Cajum ab reatu pœnæ absolvere, & in meam amicitiam restituere, nisi sciens, prudensque Titii satisfactionem, ut sufficientem acceptavero: ergo acceptatio illa absolute est necessaria, ut satisfactio Titii pro Cajo apud me valeat. Pœna autem ita acceptata aut offensi voluntate, aut Judicis authoritate, (quæ in Deo sunt idem, nam idem est offensus, & offensæ suæ Judex, & vindex) offensorem ab omni reatu pœnæ liberum esse, compertissimum est; sive satisfaciens conjuncta persona sit, sive non; sive majus faciat, sive non; sive offensor possit per semet satisfacere, sive non possit.

8. Quoniam vero offensus, sive homo sit, sive Deus, non tenetur satisfactionem unius pro alio acceptam habere, nec Deus, an satisfactionem Titii pro Cajo acceptam (Corol. I.) habuerit, revelet, patet, satisfactionem unius pro alio non esse apud nos certam, atque infalli-

bi-

bilem, quum possit non acceptari, vel an acceptata fuerit, aut non fuerit, Ecclesia scire non possit. Patet II., satisfactionem unius pro alio nunquam esse posse ex stricta justitia. Nulla enim hominis ad Deum stricta justitia est, ut alibi (*lib. 6. prop.* 10.) dictum, nec Deus alicui tenetur, nisi ex pacto, aut promissione, vel acceptatione gratuita. Quod si acceptatio gratuita est, jam non ex justitia stricta est. Aliter enim fit recompensatio per pœnitentiam, aliter in vindicativa justitia, quod est apud D. Thomam. (3. *p. q.* 90. *art.* 2.) Nam in justitia vindicativa fit recompensatio secundum arbitrium Judicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensi. Sed in pœnitentia fit recompensatio secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur, quia hinc non quæritur sola redintegratio æqualitatis justitiæ, (sicut in justitia vindicativa) sed magis reconciliatio amicitiæ; quod fit, dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus, quem offendit. Deus autem neque tenetur acceptare satisfactionem unius pro alio; neque unquam eam se acceptaturum promisit, nisi illam Christi, quem constituit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: ergo solius Christi satisfactionem, & merita tenetur Deus acceptare, & non aliam. In universum enim ex generali lege divinæ justitiæ statutum est, ut anima, quæ peccaverit, ipsa moriatur, nisi per se ipsam Deo satisfecerit, ut juxta mensuram delicti sit & plagarum modus, ut quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum detur illi tormentorum, & luctus. Nam quod Suarezius, & alii Doctores contendunt, eam legem divinæ justitiæ intelligendam sub disjunctiva conditione, ut nimirum anima, quæ peccaverit, ipsa puniatur, nisi satisfecerit vel per se, vel per alium, verum quidem est, sed neque ratione ostendi potest, inquit idem Suarezius, quum hoc pendeat ex divina voluntate, nec etiam habeamus testimonia Scripturarum, quibus id sufficienter probetur, nam quæ in superiori sectione adduximus, possunt in rigore declarari de intercessione per modum impetrationis, aut per modum meriti de congruo. Verum est ergo, unum posse pro alio satisfacere. Sed non est æque verum, omnem satisfactionem esse per modum solutionis. Verum est, aliquando esse per modum solutionis, sed non est æque verum, esse per modum solutionis infallibiliter, de condigno & ex rigore justitiæ, ita ut obliget Judicem, aut personam offensam ad eam acceptandam, quæ sunt verba Suarezii. (*Sect.* 3. *n.* 4.) Patet III. satisfactionem unius pro alio nunquam de condigno mereri, ut pœna alii remittatur. Ut enim ipse adnotavit Suarezius ibidem, dupliciter dici potest satisfactio condigna, primo quia fit secundum æqualitatem rei ad rem, ut si pro me facias totum illud, quod a me exigitur, aut multo amplius. Sed hæc condignitas operis non est ad rem. Quia potes pro me facere mul-

to amplius, quam quod a me exigitur, & tamen non satisfacere pro me de condigno. Nam si a me exigantur decem Jejunia, & tu pro me jejunes centies, non ideo satisfactio condigna erit, ita ut Deus eam pro me acceptare teneatur, quia ut ipsemet Suarezius fatetur, non obstante condignitate operis, posset Deus non promittere mercedem respectu operis meritorii, aut remissionem pœnæ respectu operis satisfactorii: ergo quamvis opus ab alio positum sit æquale, aut æquivalens, vel etiam excedens, non ideo est de condigno satisfactorium, nisi accedat libera voluntas Dei, pactum, aut promissio de remittenda pœna sub conditione talis operis, de qua libera Dei voluntate, sive acceptatione non constat. Secundo modo, inquit, dici potest satisfactio condigna, quia non solum est sufficiens, & æquivalens, sed etiam intrinsece, ac necessario includit actualem solutionem debiti, ita ut obliget judicem, aut personam offensam ad illam acceptandam. Sed hæc etiam condignitatis explicatio est insufficiens I. quia vel judex, aut persona offensa pœnam taxavit, quam Titius pro Cajo subire debet, & tum sive ex natura sua sit æquivalens, sive multo gravior, aut mitior, quam delictum exigebat, tamen semper condigna est, & omnem reatum extinguit, ita ut offensus eam acceptare teneatur, & nihil ultra a Cajo possit exigere. Quod si judex, aut persona offensa pœnam non taxavit, neque consensit, ut Titius pro Cajo satisfaceret, nulla Titii pœna sive major, sive æqualis intrinsece, ac necessario secum habet actualem solutionem debiti, ita ut judicem, aut personam offensam obligare possit. Unde iste modus condignitatis, aut justitiæ, inquit Suarezius idem, inter Deum, & hominem locum non habet nisi ex suppositione pacti, aut promissionis Dei de remittenda pœna sub conditione talis, aut talis operis. At vero tale pactum præcedens, & promissio Dei, talis determinatio, aut taxatio pœnæ, quam Cajus pro se, aut alter pro illo solvere debeat, neque ratione ulla ostendi potest, neque aliquod de ea habetur in Scripturis testimonium, ut ipse Suarezius fatetur sect. 2. præc. n. 6. Ratio autem hujus rei est, quam D. Thomas tetigit: quando enim agitur non de reparatione damni, sed de reconciliatione amicitiæ, condignitas satisfactionis non attenditur secundum valorem intrinsecum, seu quantitatem operis, quod fit, sed secundum voluntatem personæ offensæ. Offensus autem potest & minima pœna contentus esse, & non esse contentus maxima.

9. Sed opponit Suarezius multa, ut probet satisfactionem unius pro alio semper esse per modum solutionis, & pretii. Certissimum est enim, inquit sect. 2. num. 5. potuisse Deum decernere, ut qui peccasset, sui peccati pœnam subiret sub hac conditione disjunctiva, nisi vel per se, vel per alium satisfecerit; sed in eo casu utraque illa sa-

satisfactio condigna esset, ita ut alterutra posita, Deus ab reo nihil amplius posset exigere, sed acceptare teneretur, quod est cedere in solutum: ergo tam propria, quam aliena satisfactio potest in solutum cedere, sive talis esse, ut eam Deus acceptare teneatur stante tali voluntate, ac decreto. Totum verissimum, & supra a nobis statutum. Subsumit nunc; sed existit tale decretum, & voluntas Dei de remittenda pœna, si offensor vel per se, vel per alium satisfecerit: ergo de facto utraque illa satisfactio est vera, & propria debiti solutio. Subsumpta hæc minor, quamvis, inquit, nec ratione ostendi possit, nec ex Scripturis habeatur, probatur multiplicitér. I. ex communi sensu, & perpetua traditione Ecclesiæ, quæ ita videtur intellexisse articulum de Sanctorum communione, ut patet ex Catechis. Pii V. ubi dicitur: hoc Deum imbecillitati humanæ donasse, ut unus possit pro alio satisfacere. II. ex testimoniis Scripturarum, quæ indifferenter loquuntur, & ideo omnem modum possibilem satisfactionis comprehendunt. III. ex unanimi Theologorum confessione statuentium, unum posse pro alio satisfacere. IV. ex ipso satisfactionis nomine, quo Sancti, & Theologi communiter utuntur; satisfacere enim in proprietate, inquit, & rigore sermonis non est impetrare alteri remissionem pœnæ, sed est debitum solvere, & in hoc sensu nomen satisfactionis in hac materia usurpatur. Nam beati possunt nobis impetrare remissionem pœnæ, & etiam viatores, quamvis mortalis culpæ rei, & tamen non dicuntur pro nobis satisfacere, neque possunt. V. Est in Ecclesia thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum; frustra autem hic thesaurus esset, nisi posset Ecclesia eo uti ad redimendos fideles a suis debitis, & ab reatu pœnæ temporalis, & nisi ea merita essent verum pretium, quo ab dictis pœnis redimeremur: ergo &c. VI. Modus impetrationis non est sufficiens: ergo si suffragia Justorum nobis prosunt, uti certum est, necesse est, ut prosint per modum solutionis, & pretii. Antecedens probatur: I. Nam homo homini potest impetrare a Deo remissionem culpæ non solum venialis, sed etiam mortalis, & tamen nullus pro culpa satisfacit: ergo modus impetratorius non est sufficiens ad satisfactionem. II. Remissio pœnæ temporalis impetrari potest dupliciter, primo quidem mediate, impetrando nimirum auxilia, quibus Cajus reus cooperans, dignos fructus pœnitentiæ edat, ac Deo satisfaciat per opera sua, & hic modus non est sufficiens. I. Quia hoc non est satisfacere pro Cajo, sicut qui impetrat a divite, ut det Cajo pecuniam ad satisfactionem sui debiti, non satisfacit pro debito Caii. II. Quia potest vir sanctus impetrare a Deo auxilia, quibus convertatur, & obtineat remissionem culpæ, & tamen non dicitur satisfacere pro culpa. III. Quia suffragia vivorum prosunt & mortuis; sed animabus in Purgato-

torio detentis non possunt impetrari auxilia, quibus cooperantes obtineant remissionem pœnæ, quum sint extra statum merendi, aut demerendi: ergo &c. Item potest quis alicui impetrare flectendo, & movendo judicem per obsequia sibi grata, ut Titio reo pœnam remittat, ipso etiam non cooperante, immo inscio. Sic enim in humanis Judices in gratiam propinquorum, civium, amicorum, in Natali Principum, in communi gaudio populi, in honorem magnæ solennitatis &c. pœnam remittunt reis, nullam ulteriorem satisfactionem exigentes, liberaliter, & gratuito. Sed hunc modum impetrationis secundum legem ordinariam a Deo statutam impossibilis est, inquit Suarezius. I. Quia nemo potest hanc sibi remissionem pœnæ a Deo impetrare, quando aliunde potest satisfacere Deo: ergo minus eam poterit alter alteri impetrare. Nam impetratio pro alio minus est efficax, quam impetratio pro se ipso. II. Quia quum Cajus pro Titio possit satisfacere, non est ratio cur gratuitam remissionem exposcat cum dispensatione legis divinæ. III. Quia ipsemet Christus non obtinuit nobis remissionem pœnæ, nisi pœnam sustinendo. Quod si dicatur, posse impetrari a Deo, ut satisfactionem Christi, & merita applicet Cajo, & eorum virtute peccati pœnam remittat, reponit Suarezius, hoc esse contra legem ordinariam, quia satisfactio Christi ultra proprium opus operantis non applicatur nobis extra Sacramenta, sacrificium, & Indulgentias, per solam petitionem, aut intercessionem nostram. Alioqui posset quis impetrare a Deo propter merita Christi, ut peccatori culpa, aut pœna æterna remitteretur absque aliqua sua cooperatione, aut Sacramento, quod absurdum est.

10. Ad hoc argumentum negatur plane subsumpta minor, nimirum, esse aliquam Dei promissionem, aut decretum, quo se obligaverit ad remittendam pœnam propter bona opera ab alio facta pro reo. Ad primam autem probationem dicitur, doctrinam Ecclesiæ de Communione Sanctorum hanc esse, ut credamus preces, & merita Sanctorum cunctis Ecclesiæ membris prodesse, quandoque quidem per modum deprecationis, & orationis, quandoque per modum meriti de congruo, quandoque etiam per modum satisfactionis, aut realis solutionis, si sua bona opera pro nobis offerant, & Deus in solutum acceptare dignetur. Nec alius est sensus Scripturarum ad 2. quandocumque in eis dicitur Deum aliquibus in aliorum gratiam parcere, aut pepercisse. Imo fatetur ipse Suarezius supr. eod. n. 5. Scripturas de intercessione per modum impetrationis, aut meriti de congruo posse in rigore declarari. Theologi vero, quum dicunt, alium posse pro alio satisfacere, non sibi constant in modo satisfactionis explicando. Alii enim solum per modum impetrationis, alii per modum meriti de congruo, alii per modum pretii suffragia valere existi-

stimant. Sed nemo antiquorum, quod memini, dixit valere semper, necessario, infallibiliter, ita ut Deus teneatur ex pacto, ex promissione, ex justitia acceptare in solutum satisfactionem alienam, sicut tenetur ex promissione acceptare propriam. Ad quartum dicitur, afflictiones, & laboriosa justorum opera ex se quidem esse satisfactoria; sed non erunt satisfactoria pro aliis, nisi quum ea Deus in solutionem pœnæ aliis debitæ acceptare liberalissime, & clementissime dignatur. Unde non dicunt Theologi semper, necessario, infallibiliter esse satisfactoria, sed esse posse, quia talis naturæ sunt, ut a Deo clementissimo acceptari possint, quandocumque voluerit. Beati autem quamvis possint a Deo impetrare per orationes suas, non tamen per passiones suas, quum nihil jam pati possint. Unde non possunt dici satisfacere. Satisfacit enim pro alio, qui opus alii injunctum, aut æquivalens facit, & a Deo impetrat, aut a Judice, vel a persona offensa, ut ea compensatione contenti, a vendicatione desistant. Peccatoris autem oratio, quum sit execrabilis, & opera mortua, non possunt acceptari a Deo in recompensationem pœnæ alteri impositæ, & ideo, quamvis aliquando a Deo exaudiantur, & aliquid impetrent, non tamen Deo satisfaciunt. In quinto argumento agitur de Thesauro Ecclesiæ, & ejus applicatione, aut ejus usu, de quo infra (*prop. seq.*) agendum est, unde ad rem præsentem solutio eruetur.

11. Ad sextum negatur assumptum, ad cujus primam probationem est discrimen. Nam culpa non remittitur nisi conversa voluntate ex bono creato, quod amavit, ad bonum incommutabile, quod contempsit; unde necessario exigit actum internum pœnitentis, qui non potest per alium fieri; at pœna remitti potest per solam voluntatem offensi, sine ullo actu interno offendentis; offensus autem flecti potest ad miserendum, vel satisfactione ab ipso reo oblata, vel precibus, & officiis amicorum, ut per se patet. Et ideo hi dicuntur suffragari reo ad satisfaciendum pro pœna, non autem pro culpa. Ad secundam probationem dicitur utrumque modum esse sufficientem, ut quis dicatur pro alio satisfacere. Nam ad primam probationem, qui impetrat a Rege, ut Cajo pecuniam tribuat, aut munus, unde suis creditoribus satisfaciat, vere dat illi modum satisfaciendi, quamvis non actualem satisfactionem. Nam neque Rex, qui Petro pecuniam largitur, ut satisfaciat, actu pro ipso satisfacit, quum possit Petrus pecuniam sibi datam in alios usus convertere, ut planum est. Ad secundam probationem nuper assignatum est discrimen apertissimum. Ad tertiam dicendum, animabus defunctorum non posse impetrari auxilia, quibus ipsæ, aliter quam per taxatam pœnam Deo satisfaciant; posse tamen precibus, & meritis Sanctorum Viatorum fieri, ut brevior pœna iis taxetur a Deo, eorum suffragia prævidente,

& in solutum acceptante, ut alibi fusius explicabitur. Rationes autem, quibus Suarezius probat non posse obtineri a Deo, ut gratis, & sine ulla satisfactione pœnam remittat ex pura misericordia, non videntur efficaces. Nam quod homo facere possit, Deus non possit? Nemo quidem potest pro se, aut pro altero Deum deprecans dicere: Precor te Domine, ut mihi, aut Titio hoc peccatum remittas, & nullam a me, aut ab Titio satisfactionem exposcas. Hæc enim oratio improba esset, ac tentans Deum, quia contritio, aut dolor de peccatis commissis secum importat satisfactionem in voto, id est, animum, ac propositum satisfaciendi, unde illa explicita voluntas nugatoria esset. De cætero autem sine tali explicita voluntate, quotidie Deum deprecamur, ut nos & a peccatis omnibus exuat, & a pœnis, quas pro his meremur, eripiat, ut flagella suæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, avertat, ut liberet nos a malo, id est, ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ. Quid? nonne Deo adjuvante adlaborare debemus, ut vehementissimum in nobis de peccatis dolorem excitemus? Atqui per actum contritionis, & charitatis vehementissimum non solum æternam, sed etiam omnem temporalem pœnam remitti indubitatum est. Quamvis ergo Deo, quantum possumus, satisfacere parati esse debeamus, tamen Deum precari possumus, ut per suam clementiam ab omni, quam debemus, pœna liberemur, & absolvamur. Atque id ipsum potest pro nobis quivis petere, quamvis alioqui bona sua opera sponte offerre Deo pro nobis possit, quæ ab eo pro pœnarum nostrarum remissione acceptentur. Non enim una voluntas cum alia pugnat. Ad secundam probationem dicitur, (*Act.* 3.) oportuisse Christum pati, & ita intrare in gloriam suam; sed illius passionem non fuisse necessariam simpliciter ad Redemptionem humani generis. Potuisset enim aliis modis nos redimere, ut alibi (*lib.* 10. *prop.* 19.) dictum est, & omnes fatentur; fuisse tamen congruentissimam, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & Resurrectionis consortia mereremur, ut copiosior, & superabundantior esset Redemptio. In eo item solo posuit Deus iniquitates omnium nostrum, & constituit eum propitiatorem per fidem in sanguine, ut nemo nisi per ipsum, & cum ipso, & in ipso quicquam aut sibi, aut alteri impetrare possit ad salutem spectans, mereri, aut solvere. Posset ergo quis impetrare a Deo, ut per merita Christi pœnam omnem alii remitteret. Sed nimirum merita Christi, ait Suarezius, ultra proprium opus Pœnitentis non applicantur nobis nisi per Sacramenta, sacrificium, & Indulgentias. Sed nunquid Indulgentiam, per quam applicantur nobis ultra meritum satisfactiones Christi potest extra Sacramentum Ecclesia concedere, Deus non potest? Possumus ab Ecclesia obtinere; ab Deo non possumus? Et illa igitur In-

dul-

dulgentia est, & illud impetrare, est impetrare indulgentiam a Deo, qui, ut sæpe docet D. Thomas, non ita alligavit virtutem suam Sacramentis, ut non possit sine illis effectum Sacramentorum conferre.

12. Rationes vero, quibus idem author, & alii probare conantur, satisfactionem unius pro alio esse de condigno, valere infallibiliter, esse de stricta justitia &c. quum omnes innitantur promissioni, aut pacto Dei præsupposito, facile ex dictis diluuntur. Superest, ut de conditionibus ad Suffragii valorem requisitis nonnulla dicamus. Dicendum porro primo. Omnes viventes posse adjuvari suffragiis, quæ fiunt per modum orationis, & precum, uti quum de Oratione ageretur, (*lib.* 6. *prop.* 13.) dictum est. Neque ad hoc requiritur, ut is, qui suffragatur, aut is, cui suffragatur, sit in statu gratiæ. Dicendum II. Non omnes defunctos esse suffragiorum capaces; sed ii solum, quorum animæ adhuc purgantur, ut supra dictum est, & latius infra (*lib.* 18. *prop.* 3.) explicabitur, quum de Purgatorio sermo erit. Dicendum III. Ut Suffragium valeat ad satisfactionem per modum solutionis, & pretii ex parte ejus, cui suffragatur, requiritur I. ut aliquo reatu pœnæ teneatur. II. ut culpa, pro qua pœnæ reus est, sit jam remissa. III. Ut sit in statu gratiæ, sive omni alia mortali culpa careat. Non enim potest pro una culpa quis vel pro se, vel pro alio satisfacere, stante alia. Nam per satisfactionem reparatur æqualitas amicitiæ, ut ex D. Thoma dictum est: ergo si aliquid sit, quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam apud homines nulla est satisfactio; sed omnis culpa mortalis impedit amicitiam hominis ad Deum: ergo stante conscientia peccati mortalis, nemo potest neque per se, neque per alium pro pœna peccati remissi satisfacere. Qui enim in uno peccat, quod ad amissionem divinæ amicitiæ spectat, factus est omnium reus. Ex parte autem suffragantis tres aliæ conditiones exiguntur, I. ut sit in statu gratiæ, non enim potest quis aut pro se, aut pro alio satisfacere, nisi Deo aliquid gratum offerat, atque acceptum. Nam quomodo placasse iram Dei credatur, qui hanc ex proprio reatu meretur? Cuncti enim liquido novimus, quia quum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, uti scribit Gregorius in Pastor. (*cap.* 11.) II. conditio est, ut opus, quod facit, sit æquivalens, & proportionatum ad satisfaciendum. Hæc autem æquivalentia, seu proportio magis attenditur secundum voluntatem personæ offensæ, quam secundum operis ipsius valorem, & quantitatem. III. conditio est, ut suffragans intendat per illud suum opus alteri subvenire. Nam quando opus satisfactorium pro alio non offertur, soli prodest operanti; quando vero pro alio offert, veluti jus suum in alium transfert, ut quod ipse a Deo impetraturus erat, alter obtineat. Unde

hæc conditio ad rationem proprii suffragii necessaria est, inquit citatus Suarezius. (*disp. cit. sect.* 8.)

PROPOSITIO VII.

Per Ecclesiasticas Indulgentias pœna temporalis remittitur.

1. PRo hujus rei explicatione recolendum est ex supra dictis (*prop.* 5.) I. Post absolutionem Sacramentalem, per quam culpa, & pœna æterna remittitur, superesse quandoque pœnam luendam temporalem, per quam divinæ justitiæ satisfiat per opera & peccati præteriti punitiva, & futurorum præservativa. II. Hæc opera satisfactoria suscipi posse vel sponte ab ipso Pœnitente, vel ex Sacerdotis taxantis arbitrio, attenta gravitate, & natura delicti, & dispositione Pœnitentis, & hoc solum in foro Penitentiali, vel arbitrio Prælatorum Ecclesiæ, quando quis de delicto est publice denuntiatus, & convictus, & hoc solum in foro Judiciali externo. Non loquimur hic autem de pœnis a Deo quandoque immediate inflictis. Nam hæ non solum Pœnitentibus, sed etiam impœnitentibus infligi possunt, neque ulli humanæ authoritati subduntur. Alia igitur dicatur Pœnitentia, aut Satisfactio Evangelica, quia ex Evangelio tenemur omnes dignos Pœnitentiæ fructus facere, & non solum præteritum peccatum detestari, sed etiam per nostri abnegationem, & carnis macerationem vitiosam cupiditatem, & spiritui repugnantem membrorum nostrorum legem cohibere, atque adversus futura peccata præmuniri, & hæc Pœnitentia Evangelica, aut obligatio ad illam nulla humana authoritate tolli, suspendi, aut commutari potest. Nam militia est vita hominis super terram, & totius est temporis crucem ferre, semet abnegare, seu desideria carnis non perficere, semet odio habere. Altera dicatur Pœnitentia Sacramentalis, de qua supra (*prop.* 5. *huj.*) dictum est. Tertia dicatur Pœnitentia Canonica, quæ uti dictum est, (*prop.* 5. *huj.*) duplex esse potest, aut publica, & solennis, aut publica, & non solennis. Neutra autem imponi poterat nisi in foro externo; & consequenter nunquam propter delictum solum in confessione Sacramentali revelatum, ut supra (*cit. pr.* 5.) explicatum est, nisi pœnitens ipse demissionis, & contritionis causa ei se sponte subjiceret. Pœnæ Canonicæ erant in alia duplici differentia, suntque etiamnum. Nam aliæ adnexum habent aliquid spirituale, ut segregatio ab Sacramentis, ab Sacrificio, ab Ecclesiæ suffragiis &c. Aliæ non habent nisi incommodum temporale, ut incarceratio, detrusio in Monasterium, expulsio ab Diœcesi, damnatio ad Triremes. Aliæ etiam de utroque participant, ut jejunia, chameuniæ, sive humicuba-

ba-

bationes, eleemosynæ, quæ non mere punitivæ, sed & medicinales sunt. Pœnitentia autem dupliciter Canonica dici potest. Alia, quæ fit secundum solennitatem, & ritum externum ab Canone præscriptum, & hæc est solennis, & antonomastice Pœnitentia Publica. Alia, quæ fit secundum quantitatem pœnæ a Canone præscriptæ, sed non secundum ritum, & solennitatem præscriptam in Canone. Dicitur enim Pœnitentia Canonica, ut bene adnotavit Bertholdus Chiemensis Episcopus, non quia sit inventa, aut introducta Jure Ecclesiastico. Juris quippe divini, immo quodammodo naturalis est, ut anima, quæ peccaverit, ipsa puniatur, & qui aliquem offendit, justam satisfactionem exhibeat, si ad offensi gratiam redire velit. Sed dicitur Canonica, quia Ecclesia, & ejus Rectores judicaverunt talem pœnam non solum conformem, & proportionatam esse divinæ misericordiæ, sed etiam divinæ justitiæ, quæ omnino exigit de jure naturæ ab homine pro commissis peccatis vindictam, & pœnam. Quia ergo huic, aut illi peccato homicidio v. g., aut adulterio in lege nova Deus nullam pœnam particulatim taxavit, aut designavit in præsenti vita, relictum est judicio prudenti, ac determinationi Ecclesiæ.... Et sic condiderunt Canones Pœnitentiales, non quasi tandem satisfactionem divinæ justitiæ debitam adinvenerint, sed ut scirent Confessarii circiter, qualis pœnitentia divino judicio per Ecclesiam determinato conformis, atque imponenda esset. Canones igitur, & Libri Pœnitentiales aliud non erant, quam Directoria, quibus Episcopi in solenni, & publica pœnitentia, & Confessores in secreta, & Sacramentali instruerentur, ut scirent, quæ pro peccatis singulis Pœnitentia imponi prudenter posset, nisi quod in solenni omnia exacte ad normam Canonum perficienda erant; in privata autem Confessoris arbitrio, & prudentiæ relinquebatur, ut juxta conditionem, & contritionem pœnitentis aut eandem Canonum pœnam, aut aliam proportionatam culpæ, & Canonicæ æquivalentem ei imponeret. Canonum horum Pœnitentium libellum in Concilio Africano Cyprianus edidit, ut ipse scribit ep. 52. sed injuria temporum periit. Exstant illi Gregorii Neocæsariensis, qui vixit sæc. tertio, Basilii in 4. sæc. Antiquum Ecclesiæ Romanæ librum Pœnitentialem edidit Halitgar. Epis. Cameracens. qui vivebat anno 833. Alium Egbertus Episcopus Eboracensis circ. ann. 731., cujus Egberti mentio fit in alio Pœnitentiali Gregor. III., qui obiit anno 741. Ediderunt quoque Pœnitentiales libros Theodorus Cantuariensis, & V. Beda, ex quibus multa Ivo, & Abbas, Regino, & Burchardus desumpserunt. Ecclesiarum Andegavens. Remens. Rothomag. Tolosanæ, & aliarum exhibet Morinus. Exstat apud eundem Pœnitentiale Dionysianum ita dictum, quoniam in Abbatia S. Dionysii Parisiensi inventus est; itemque Græ-

Græca Joannis Jejunatoris dicti, & Joannis Monachi, quod Canonarium dicitur, Thomæ Basilisci Diaconi ex Bibliotheca Barberina, Simeonis Thessalonicensis, Gabrielis Philadelphiensis, & Euchologium Allatianum ab Leone Allatio inventum. Hæc Græca. Hebraicum idem adjicit excerptum ex libro, qui dicitur ראשיתחכמה Initium Sapientiæ. Apud Eusebium Amortium habes Pœnitentiale antiquum repertum in Bibliotheca Eccl. Augustanæ primo editum ex MS. decimi sæculi. Ordinem Romanum editum a Georgio Ferrario Romæ 1591. Librum Pœnitentialem ex Scriniis Ecc. Rom. desumptum, editumque ab Sterrartio anno 1608. Item Nicolai I. Epistolam ad Carolum Episcopum Moguntinum, & ejus Suffraganeos. Pœnitentiale item aliud Romanum habes apud Antonium Augustinum. Horum lectione manifestum fiet, quod diximus, nimirum, Canones illos eo fine scriptos fuisse, ut non solum Prælati Ecclesiæ iis dirigerentur in Pœnitentia solenni, aut publica imponenda, sed etiam privati Confessores in secreta Pœnitentia, ut scilicet vel easdem imponant pœnas, vel æquivalentes alias juxta personæ, loci, ac temporis conditionem. Unde Basilius ab Joanne Jejunatore citatus, (*in lib. Pœnitent.*) hæc omnia scribimus, inquit, ut Pœnitentiæ fructus probemus. Non enim omnino, secundum tempus talia judicamus, sed ad modum Pœnitentiæ attendimus. Is quippe, cui Dei clementia ligandi, atque solvendi facultatem commisit, authoritatem habet humanius, & clementius agendi, & pœnæ acerbitatem, ac diuturnitatem minuendi, quum viderit confessionis, & pœnitentiæ excessum. Quod idem Cyprianus, & Patres docent, & Concilium Nicænum (*can.* 5.) tradit alibi citandum. Nec propterea, subdit, erit Sacerdos damnationi obnoxius. Etenim ex ipsa divina historia docemur eos, qui majori cum afflictione, ac labore peccata sua confitentur, celerius a Deo misericordiam consequutos.

2. His igitur statutis, & probe cognitis, quæ circa Indulgentias Ecclesiasticas controversiæ sunt sive cum Hæreticis, sive inter Catholicos Theologos non difficile explicantur. Indulgere autem est connivere, vel clementius agere, & quando agitur de reparatione injuriæ, vel omnem omnino satisfactionem remittere, vel minore, ac levissima satisfactione contentus esse. Per reparationem autem injuriæ restituitur æqualitas amicitiæ, quæ per injuriam sublata erat. Amicitia autem non restituitur, nisi offensor promptum se exhibeat ad tale aliquid faciendum, unde offensus teneatur ad illum in suam gratiam restituendum, & hoc est proprie satisfacere, facere satis, ut illum tibi amicum, ac benevolum reddas, quem offendisti. Non facis autem satis, nisi obsequium in reparationem injuriæ factum gratum sit, & acceptum offenso. Non erunt vero grata obsequia, si ei sis ex alio capi-

pite inimicus, & ille hoc sciat. Deo autem, qui est cordium Scrutator, id ignotum esse non potest. Non igitur facis satis, ut Deum tibi amicum reddas, nisi omne illud, quo ipsum offendisti, detesteris, quod fit per pœnitentiam, quæ est virtus, ut alibi (*pr.* 2. *huj.*) dictum est. Non est autem vera Pœnitentia, ubi non est animus præparatus ad omne illud, quod a te offensus exigit, & sub qua conditione in gratiam suam te recipit, ac restituit. Deus vero non aliquem de lege ordinaria in gratiam suam restituit, nisi votum satisfaciendi, quod in ipsa detestatione peccati inclusum est, ad effectum deducat, aliquid pro Deo patiendo, & hæc obligatio, quam sibi iniquus fecit peccando, & quam profitetur pœnitendo, dicitur reatus pœnæ. Reatus autem, qui per peccatum erat pœnæ æternæ, per pœnitentiam factus est temporalis pœnæ. Remissa ergo culpa, & pœna æterna, remanet reatus pœnæ temporalis, quod supra (*prop.* 5. *huj.*) ostensum, cujus necessaria est satisfactio. Jam vero carnis maceratio, aut opus quodcumque afflictivum, & laboriosum neque per sese gratum est, nec satisfactorium nisi per charitatem. Nam (1. *Corinth. cap.* 13.) si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, & si distribuero pauperibus omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; charitas ergo ex sese multo est gratior Deo, quam omnia laboriosa, & afflictiva opera, quæ ex ea procedunt, aut ab ea imperantur: ergo si adeo sit viva, vehemens, ac perfecta charitas, aut dolor de commissis, qui ex ea procedit, ut paratum hominem reddat ad quamcumque pœnam, laborem, infamiam pro Deo sustinendam, omni operi satisfactorio æquivalet apud Deum, qui novit corda omnium, atque adeo per actum ferventissimum contritionis, & charitatis omnem pœnam temporalem remitti, & in ea decedentem ad cœlum evolare, Ecclesiæ dogma est, constantissimo Martyrum cultu confirmatum.

3. Porro in justitia vindicativa, per quam restituitur æqualitas justitiæ, (3. *p. q.* 90. *art.* 2.) fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensi. In Pœnitentia autem non tantum quæritur redintegratio æqualitatis justitiæ, sed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit, dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus, quem offendit .... (*in* 4. *sent. dis.* 15. *q.* 1. *art.* 3.) In satisfactione igitur, quæ fit per pœnitentiam, oportet, quod amicitia restituta, etiam justitiæ æqualitas restituatur, cujus contrarium amicitiam tollit, ut dicitur in 9. Ethic. Æqualitas autem in satisfactione ad Deum, qui simul est & offensus & offensæ suæ vindex, non est secundum æquivalentiam, quia nihil homo Deo æquivalens reddere potest, sed magis secundum acceptationem ipsius .... Dependet igitur ab divino arbitrio quodnam genus pœnalium operum, & qua mensu-

sura, & quomodo exigere velit in compensationem injuriæ sibi per peccatum factæ: Deus autem in hac vita nullam taxavit, aut assignavit pro singulis peccatis pœnam, sed tantum in Purgatorio quoad pœnam temporalem. Concessit autem nobis per Mediatorem JESUM Christum, ut opera nostra satisfactoria essent pro pœnis Purgatorii, atque ea se per Christum acceptare promisit. Oportet igitur, ut Ecclesia, quæ vice Christi fungitur sicut remittendi peccata, aut retinendi potestatem habet, ita ligandi, aut solvendi potestatem habeat; non ligat autem Ecclesia per reatum culpæ, nam hæc est voluntarius actus peccantis: ergo ligat solum per reatum pœnæ. Ecclesia igitur potest authoritate Christi pœnas pro peccatis singulis statuere, & taxare, & statutas ab hoc, aut illo peccatore, secundum ejus confessionem sive judicialem, sive Sacramentalem exigere, illam quidem per publicum judicium, & sententiam; hanc autem per privatum, & secretum. Statutis autem Ecclesiæ, quæ sunt Juris naturalis, aut divini determinativa, parere in conscientia tenemur, & Ecclesiam habere potestatem determinandi ea, quæ jure naturæ, aut divino determinata non sunt, dubitari non potest, ut determinationem festorum dierum, & ritum externum colendi Deum, & solennia jejunia, & suscipiendorum quorundam Sacramentorum tempora, & Decimas, atque alia bene multa, quæ Protestantes ipsi in suis pseudo-Ecclesiis æmulantur: est ergo, fuitque semper in Ecclesia potestas statuendi, & taxandi pro peccatis singulis pœnas, quas Tribunalia ipsius publica publice infligere publicis peccatoribus deberent, & quas Confessores, & Medici spirituales in secretis confessionibus occultis transgressoribus imponere possent; sed qui potest supremi Legislatoris, & Principis nomine pœnam taxare, & statuere, idem potest pœnam a se taxatam, & statutam vel omnino remittere, vel ex parte, breviorem faciendo, vel in leviorem, & mitiorem commutando, quod est proprie indulgere, aut indulgentiam concedere nomine, & authoritate supremi Principis, aut Legislatoris: ergo Ecclesia authoritatem, & potestatem habet conferendi indulgentias vel plenarias, vel partiales a Christo sibi concessam, quod est primum in præsenti argumento ab Tridentino Concilio definitum in decreto de Indulgentiis.

4. Jam vero quum Prælati Ecclesiæ, & etiam inferiores Sacerdotes in taxandis, & imponendis pœnis non operentur nisi nomine, & authoritate Dei, (*q.* 18. *Supplem. art.* 3.) oportet, eorum operationes, Dei operationi conformes esse, cujus ministri sunt. Deus autem habet operationem & in culpam, & in pœnam. In culpam quidem ad eam remittendam directe, ad retinendam indirecte, quatenus obdurare dicitur eum, cui gratiam pœnitendi non largitur. Sed in pœnam habet operationem directe quantum ad utrumque, quia & pœnæ par-

cit, & pœnam infligit. Similiter & sacerdos licet in absolvendo habeat aliquam operationem ordinatam ad culpæ remissionem, non tamen retinendo aliquam operationem exercet in culpam, nisi indirecte quatenus retinere dicitur, quod non remittit. Sed in pœnam habet directe authoritatem & ligandi, & solvendi. Solvit enim a pœna, quam dimittit, nam pars aliqua pœnæ etiam temporalis per Sacramentalem absolutionem dimittitur; ligat autem quantum ad pœnam, quæ remanet, ad hanc vero etiam dupliciter: uno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ post absolutionem residuam, ac Deo debitam. Ad hanc enim ipse non ligat, nisi quatenus ab ea non solvit, sed ligatum, sive obligatum relinquit. Alio modo considerando pœnam hanc, vel illam determinatam, & taxatam, & sic ligat ad pœnam, hanc determinate imponendo. Pœnæ autem imponendæ taxatio desumenda est non ex libero cujusvis arbitrio, sed ex Canonum statutis. Falsa enim Pœnitentia est, inquit Gregorius, & habetur in C. falsus de Pœnit. dist. 5. quæ non secundum authoritates Sanctorum Patrum pro quantitate criminis imponitur..., (*art.* 4.) Sed quia omnes pœnæ Ecclesiasticæ, & maxime satisfactoriæ in Confessione Sacramentali infligendæ medicinales sunt, sicut Medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum Medici arbitrium non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam Medicinæ, ita pœnæ satisfactoriæ in Canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne ob debilitatem naturæ majus periculum oriatur, ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & omnino a pœnitentia avertatur.... Canones enim Pœnitentiales quasi communes regulæ sunt, ut in pluribus competentes, quas tamen oportet aliquando remittere, consideratis diversis peccatorum conditionibus.... (*dist.* 20. *q.* 1. *art.* 1.) Nec semper Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, peccat. I. quia non potest determinate quantitatem pœnæ debitæ pro singulis peccatis agnoscere, quamvis aliquid proprie consideratis Patrum regulis, seu Canonibus, determinare possit. II. quia quandoque ex industria minorem pœnitentiam imponens plus prodest pœnitenti, qui forte acerbitate pœnæ posset a pœnitentia revocari, & immodica tristitia absorberi propter debilitatem virtutis, ideoque minus damnum negligit ad vitandum majus. III. quia forte paulatim confortatus in eo divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam Sacerdos sibi secundum peccati quantitatem imponere po-

potuisset. IV. quia Sacerdos, aut Ecclesia hanc, vel illam pœnitentiam imponens, non declarat illam esse huic, aut illi peccato proportionatam ad æqualitatem, sed solum hanc esse in his circumstantiis idoneam, ac sufficientem, ut Deus tibi pœnam in futuro sæculo remittat. Nam minima pœna hujus vitæ meritoria est, & magis idonea ad Deum placandum, quam maxima Purgatorii.... Peccatum autem aut imprudentia Sacerdotis minorem pœnitentiam imponentis, aut exiguo labori magnam indulgentiam alligantis nihil facit ad efficaciam contritionis, Confessionis, & Absolutionis, dummodo adsit ex parte conferentis authoritas, ex parte suscipientis charitas, ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem. Nec per abusum clavium, sive imprudentiam Ministrorum peccatum remanet impunitum. (*loc. cit. q.* 2. *ad* 3.) Sive enim discrete pœnitentiam injungat, sive non, semper remanet reatus ad pœnam ejusdem quantitatis, & ideo si eam hic non explet, ab eo in Purgatorio exigetur. Nihil ergo derogatur divinæ justitiæ per indiscretionem imponentis pœnitentiam, aut indulgentiam concedentis.

5. Jam vero ut ulterius progrediamur in natura Indulgentiæ investiganda, certissimum est, Deum propter vehementiam charitatis, vel contritionis pœnam omnem temporalem remittere in Purgatorio infligendam, ita ut hujusmodi pœnitens statim ac moritur, Dei gloria fruatur; sed satisfactoriæ pœnæ hujus vitæ, quas Ecclesia taxare, & imponere potest, æquivalent, si non in quantitate, ac diuturnitate, saltem in valore, & quatenus ad Dei acceptationem, pœnis Purgatorii: ergo per potestatem ligandi, & solvendi, quæ concessa est Ecclesiæ cum promissione rati habendi in cœlis, quod ipsa faciat in terris, quicquid Deus potest circa pœnas Purgatorii, potest Ecclesia circa pœnas hujus vitæ satisfactorias: ergo si Ecclesiæ constet de vehementi contritione, & fervore Pœnitentis, potest ei omnem omnino pœnam sive ab Canone, sive ab homine, sive Sacramentalem remittere, sive Judicialem, uti Cornelius Maximum, qui Novatianis accesserat, nulla injuncta Pœnitentia, in communionem recepit, eo quod alios plures deceptos ad fidem reduxisset, & hæc, qua residua pœna remittitur tota, Indulgentia Plenaria dicitur, licet non ex ea causa, de qua raro Ecclesia certa esse potest, sed aliis ex causis remittatur. Quod si Ecclesia, sicut Deus totam pœnam remittere potest, & partem pœnæ poterit, & hæc, in qua pars pœnæ debitæ condonatur, dicetur Indulgentia Partialis. Ulterius. Deus potest alicui remittere pœnam temporalem ex toto, aut ex parte non solum propter contritionem, fervorem, ac dispositionem, sed etiam gratis propter merita sanctorum, & suffragia, atque intercessiones electorum, & amicorum suorum. Nam Sodomitæ urbium suarum eversionem, &

com-

combustionem evasissent, si quinque justi in eis reperti fuissent, & passim in Scripturis: Propter Abraham servum meum; propter David servum meum, Orabit pro vobis servus meus Job, & suscipiam faciem ejus. Id autem dupliciter fieri potest, ut supra diximus. Vel quia Deus merita Sanctorum acceptet in solutum, & ea sit satisfactione contentus, nec aliam exigat, quod dicitur per modum solutionis, vel quia Deus precibus, & meritis suorum servorum motus, aut reis modum satisfaciendi largitur, aut mitiorem pœnam infligit, aut gratis remittit debitam. Hæc enim posse Deum, dubitandum non est, quum eadem possint supremi Legislatores in civilibus, vel qui eorum authoritate, & nomine jus dicunt. Quo eodem exemplo idem convincitur de Ecclesiastica potestate. Sive enim Sæcularis sit, sive Ecclesiastica, non est potestas nisi a Deo: ergo si licet Sæculari Principi, aut Magistratibus ab eo institutis, etiam quod attinet ad reparationem injuriæ, & restitutionem in gratiam Principis acceptare satisfactionem parentum, aut propinquorum, aut civium pro Titio reo, aut ob eorum merita, vel intercessionem pœnam omnem, aut partem Titio remittere, id ipsum facere multo potius potest Episcopus, aut inferiores Prælati Ecclesiæ, cujus, sicut Dei, proprium est misereri semper, & parcere, potius quam sævire. Potest ergo Ecclesia ob preces, & merita, vel interpositionem Sanctorum, & piorum vel in totum, vel ex parte statutas pœnas remittere, uti ad preces Martyrum, atque ob ipsorum merita olim Lapsis, atque aliis Pœnitentibus publicis dabatur venia, teste Cypriano. (*Epist.* 14. *& lib. de laps.*)

6. Ecclesiam vero non solum eam potestatem habere, sed ea semper ab antiquissimis temporibus usam fuisse, monstrandum est. Documentum hujus rei ansiquissimum exstat apud Paulum in 1. ad Corinthios cap. 5., ubi de quodam Incestuoso loquens ait: In nomine Domini JESU Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri JESU Christi judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis &c. Quum vero Corinthius ille per tempus aliquod pœnitentiam inflictam humillime egisset, de eodem in 2. ad Corinth. cap. 2. sic loquitur: Sufficit illi, qui hujusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario (in posterum) magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur; propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.... Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos (feci) in persona Christi, ut non circumveniamur a Sathana. Porro ex hoc loco patet apertissime, Apostolum Corinthium illum excommunicasse, ac tradidisse Sathanæ, sive a cœtu fidelium submovisse, & publicæ Pœnitentiæ subjecisse. Patet item, tem-

pore Pœnitentiæ nondum completo, scripsisse Corinthiis, ut consolarentur eum, & pristinam charitatem in eum confirmarent, id est, ut eum, sicut antea, communicarent, sive in Ecclesiam admitterent. Patet III. id factum ab Apostolo partim in favorem Pœnitentis propter ejus sinceram afflictionem, & mœrorem, ne forte abundantiori tristitia absorberetur; partim ad preces, & intercessionem Ecclesiæ; quæ de ejus membri abscissione affligebatur, unde dicitur: Si quid donavi, propter vos donavi. Patet IV. Apostolum, & Corinthiacam Ecclesiam aliquid donasse, aut condonasse, nimirum partem aliquam satisfactoriæ pœnæ, quæ adhuc longius tempus requirebat. Patet V. hanc condonationem, sive Indulgentiam factam fuisse a Paulo in nomine Christi, in persona Christi, id est, nomine, virtute, atque authoritate Christi. Quod si hanc authoritatem a Christo Paulus habuit, & Corinthi Ecclesia ab eo fundata: ergo pari, aut multo potiori jure eam Petrus habuit, & Romana Ecclesia ab eo fundata, cui, & ejus successoribus præcipue ligandi, ac solvendi potestas commissa est, ut alibi (*lib.* 11. *prop.* 13.) statutum. Item, Si quod Apostoli, aut Ecclesia ab ipsis fundata ligat, aut solvit, authoritate, & nomine, & in persona Christi fit, id in cœlis ratum habetur: ergo Indulgentia, & pœnæ temporalis remissio non solum apud conspicuam Ecclesiam in foro externo, sed etiam in foro interno valet, ut sicut Ecclesia ab eo, cui Indulgentiam concessit, non potest ulteriorem pœnam exigere, nec Deus vel in hoc, vel in futuro sæculo ulteriorem pœnam exigere possit, alias per pœnam ab Ecclesia injunctam non satisfieret Deo, si pœnam ab Ecclesia remissam non remitteret Deus, neque ratum haberetur in cœlis, quod Ecclesia in persona Christi ligat, aut solvit in terris. Ab ipso igitur sui exordio facultate concedendi Indulgentias, seu remittendi pœnam temporalem peccatis debitam Ecclesia usa est.

7. Eadem veritas confirmatur ex libellis Martyrum, de quibus multa Cyprianus, & Ecclesiæ Historici omnes. Grassante enim persequutione, Lapsi, aut ob alia crimina publicæ Pœnitentiæ subjecti, Martyres adibant, ut pro eis apud Episcopos intercederent, quatenus aut tota, aut pars impositæ Pœnitentiæ remitteretur. Martyres his libellos dabant, quibus eos Prælatis Ecclesiæ commendabant, hique in honorem Martyrum Indulgentiam concedebant. Vult tamen Cyprianus, (*Epist.* 12. & *aliis.*) & Africani Episcopi, Clerusque Romanus ab eo consultus I. ut Martyres antequam hujusmodi libellos concederent, Lapsorum personas, & criminum qualitatem, & pœnitentium dispositionem investigarent. Oro vos, inquit, (*lib.* 3. *Epist.* 11. *ad Martyres, & Confess.*) quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & considerantes quæ, & qualia in præteritum antecessores vestri Mar-

tyres concesserunt, quam soliciti in omnibus fuerunt, vos quoque solicite, & caute petentium desideria ponderetis .... Ipsorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne siquid abrupte, & indigne vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos, erubescat Ecclesia. Vult II. (*Epist.* 2.) ut in libellis nominatim exprimerentur ii, pro quibus intercedebant. Lucianus enim Christi Confessor ita ad Cyprianum scripserat: (*Epist.* 17.) Universi Confessores Cypriano Papæ salutem. Scias, nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum crimen egerint, pacem dedisse. Et hanc formam per te aliis Episcopis innotescere voluimus. Optamus tecum sanctis Martyribus pacem habere. Præsente Clero, & Exorcista, & Lectore, Lucianus scripsit. Hujus Lucianææ Epistolæ meminit Cyprianus, (*Epist.* 23.) ejusque imprudentiam carpit dicens: (*Epist.* 2.) Audio a quibusdam sic libellos dari, ut dicatur: Communicet ille cum suis, quod nunquam omnino a Martyribus factum est... (*Epist.* 23.) Universorum Confessorum nomine Lucianus Epistolam scripsit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii sanctitas, & firmitas dissolvitur. Scripsit enim omnium nomine, universis eos pacem dedisse.... (*Epist.* 11.) Illud ergo ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis.... ne incerta, & cœca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Vult III. ut Martyres libellos illos non concedant nisi illis, qui jam per tempus aliquod operam pœnitentiæ dedissent, unde eorum animus, & sincera conversio probari posset. Ideo peto, inquit, (*Epist.* 11.) ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos litteras dirigatis fidei, ac disciplinæ congruentes. Vult propterea IV. Cyprianus, ut Martyres hujusmodi libellos non darent nisi de consilio Presbyterorum, & Diaconorum, qui ad carceres mitti consueverant. Credideram, inquit, (*ep.* 11.) Presbyteros, & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos, & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis confirmarent, & gubernarent. Vult V. ut quod Martyres libellis suis poscebant, exequutioni non mandaretur, id est, Indulgentia Lapsis, aut Pœnitentibus non daretur, nisi post Martyrum excessum, & persequutione finita. Unde ad eosdem Martyres scribens: (*ibid.*) Quum ad me, inquit, litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam lapsis pacem dari postulatis, quum persequutione finita, convenire in unum cum Clero, & colligi licebit;

bit; illi contra &c. Alibi (*ep.* 10.) item eos arguit, qui, sublato, inquit, honore, quem nobis beati Martyres cum Confessoribus servant, contempta Domini lege, & observatione, quam iidem Martyres, & Confessores tenendam mandant, ante extinctum persequutionis metum, ante ipsum pene Martyrum excessum communicant cum lapsis .... pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vendicantes. Itaque quum comperissem, inquit alibi, (*ep.* 15.) Lapsos exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; litteras feci, quibus Martyres, & Confessores consilio meo, quantum possem; ad Dominica præcepta revocarem .... Ut autem & beatis Martyribus, & Confessoribus honor debitus servaretur, nec in totum Lapsis spes communionis denegaretur .... (*ep.* 52.) neque tamen rursus Censura Ecclesiastica solveretur .... quum data esset facultas in unum conveniendi .... (*ep.*55.) Concilio frequenter acto, non consensione tantum nostra, sed etiam comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent: ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret .... (*Tract. de Lapsis.*) Nam si quis præpropera festinatione temerarius, remissionem peccatorum dare se posse cunctis putat, non tantum nihil prodest, sed obest Lapsis .... (*ep.* 12. 13. 14. 15.) Occurrendum sic igitur puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum poscunt adjuvari, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, Exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur .... (*Ep.* 12. & 52.) Plane cæterorum causas, quamvis libello a Martyribus accepto, differri mandavi, & in nostram præsentiam reservari, ut quum pace a Domino nobis data plures Præpositi convenire in unum cœperimus, communicato etiam vobiscum consilio disponere singula, & reformare possimus.

8. Igitur I. ex Cypriani verbis habetur, ad Martyrum, & Confessorum preces, Ecclesiasticam pœnam Lapsis, & Pœnitentibus remitti ab Episcopis, & condonari solitas. Non enim Martyres Indulgentiam concedebant, quamvis aliqui imprudenter id facerent, ut Lucianus ille, quem suggillat Cyprianus, sed libellos dabant, in quibus apud Episcopos pro Reis intercedebant, & eis indulgentiam dari postulabant. II. habetur ex Cypriano, preces Martyrum, & Indulgentiam Reis concessam, ut debitus Martyribus honor haberetur, non solum profuisse Pœnitentibus, & Lapsis in foro externo, sed etiam in interno, sive apud Deum. Inquit enim: (*ep.* 13.) Qui a Martyribus libellos acceperunt, & eorum prærogativa apud Deum poscunt

(ali-

(aliter possunt) adjuvari &c. Et item: (*Epist.* 14.) Qui libellum a Martyribus acceperunt & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis poscunt .... Credimus enim, (*tract. de laps.*) posse apud (Deum) Judicem plurimum Martyrum merita, & opera Justorum: Possunt autem plurimum vel propter efficaciam Impetrationis & fiduciam, & gratiam Impetrantis, vel propter virtutem satisfactionis, quando nimirum Deus aliorum afflictiones pro alio in solutum acceptare dignatur, nec ullam ab offensore ulteriorem vindictam exigit, modo explicato. Potest igitur & Ecclesia Justorum merita vel in solutum acceptare, vel ipsorum intercessione ad pœnæ satisfactoriæ remissionem, & indulgentiam flecti. Hac autem potestate usa est Ecclesia Romana, & Africana longe ante tempora Cypriani, ut ipse de antecessoribus suis loquitur: ergo ab antiquissimis temporibus Ecclesia indulgentiam non solum apud homines, sed etiam apud Deum valituram concessit ob merita, & intercessionem Martyrum, & Justorum.

9. Tertium documentum sumitur ex Concilio Nicœno can. 12. ubi conceditur Episcopis cum his, qui veræ pœnitentiæ signa dederint, humanius agere, & impositæ pœnitentiæ acerbioris partem remittere. Nam quid aliud est indulgere, aut indulgentiam concedere? Qui vero, subdit Nicœnum, indifferenter tulerunt, & introitum in Ecclesiam sibi arbitrantur ad conversionem posse sufficere, hi definitum tempus prorsus adimpleant. Idem antiqua Concilia Neocesariense, Ancyranum, Laodicenum, Trullanum, Carthagin. IV., Triburiens. Idem Patres Basilius ad Amphilochium, Nyssenus ad Letoium, Innocentius I. ep. 1. c. 7. Leo ep. 79. Hinc illud Cypriani; Si quis preces toto corde faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus, & lacrimis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus inflectat, roganti, potest Episcopus clementer ignoscere, potest acceptum referre quidquid pro talibus petierint MM., & fecerint Sacerdotes. Indubitatum est igitur, hujusmodi potestate sibi divinitus tradita antiquissimis etiam temporibus Ecclesiam usam, quod erat secundum, ab Tridentino Concilio in decreto de Indulgentiis definitum, & a nobis probandum.

10. Superest tertium probandum, quod in hac materia ab Tridentino definitum est, nimirum: Indulgentiarum usum maxime populo Christiano salutarem esse, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, atque adeo in Ecclesia retinendum. Ut tamen Indulgentiæ Ecclesiasticæ utilitatem probemus, multa prius statuenda sunt. Et quidem primo certissimum est, indulgentiam per se non conferre remissionem culpæ. Ratio est supra tradita, quia peccatum non remittitur nisi per infusionem gratiæ: non autem datur gratia, nisi per Sacra-

cramenta vel in re, vel in voto; nullo modo autem per Indulgentiam. Quod æque verum est de mortali, aut de veniali peccato. Unde quum in Bullis, aut Pontificum decretis, vel in scriptis Doctorum vulgo dicitur, per Indulgentiam obtineri remissionem peccatorum, intelligendum est de pœna peccatis debita. (*lib. de lapsis.*) Item quum aliquando dicitur, obtenta indulgentia, hominem remanere absolutum a culpa, & a pœna, ut habetur in cap. Antiquorum de Pœnit., & Remis. intelligendum est, ut monet Suarezius, (*disp.* 50. *sect.* 1.) manere hominem ex toto absolutum, a culpa quidem per pœnitentiam, quam supponit Indulgentia, a pœna autem per ipsam Indulgentiam. II. certissimum est per Indulgentiam non remitti pœnam æternam, quæ competit peccato secundum rationem aversionis a Deo, ut supra ex D. Thoma dictum est. Unde non tollitur nisi per actualem ipsam conversionem hominis ad Deum, quæ est effectus gratiæ, & pœnitentiæ, quæ est virtus, maxime si conjungatur cum pœnitentia, quæ est Sacramentum. Certissimum est ergo III. Indulgentiam per se non habere effectum aliquem positivum in anima, sive doni alicujus cœlestis infusionem, aut dispositionem ad illud, vel quid simile, sed solum negativum tollendo reatum, aut obligationem ulterius satisfaciendi pro peccato remisso. IV. certissimum est, hunc negativum effectum non solum habere Indulgentias in foro externo coram hominibus, aut Ecclesia, sed etiam in foro interno coram Deo, quod jam supra agendo de Indulgentia a Paulo concessa, dictum est, & multis probatur. Nam I. Pœnitentiæ vel in canonibus taxatæ, vel secundum Canonum regulas a Confessoribus taxatæ, non imponuntur solum pro publicis, sed etiam pro occultis, immo etiam pro mere internis peccatis, ut prædictos Canones Pœnitentiales legenti patet; sed pro peccatis occultis, aut mere internis nullus tenetur ad satisfactionem in foro externo, & coram hominibus, sed solum in foro interno coram Deo: ergo per pœnitentias a Canone taxatas, aut æquivalentes a Confessore impositas homo Deo satisfacit. II. Si Deus in Scripturis designasset pœnam satisfactoriam cuilibet peccato respondentem, procul dubio eam suscipiens, & rite complens, plene Deo satisfaceret, ita ut ab eo in futuro sæculo ulteriorem pœnam exigere non posset. Non enim judicat bis in id ipsum; sed Deus facultatem concessit Ecclesiæ taxandi, & statuendi in præsenti sæculo pœnas pro qualibet culpa, hoc enim pertinet ad potestatem legislativam Ecclesiæ, uti dictum est: ergo homo acceptando, & rite exequendo pœnam ab Ecclesia taxatam, ita Deo satisfacit, ut ab eo ulteriorem satisfactionem exigere non possit in futuro, aut in præsenti sæculo. Quod autem præstat Pœnitentia rite peracta, id ipsum præstat Indulgentia rite concessa. Rite autem conce-

ceditur Indulgentia, ubi est in concedente authoritas, in suscipiente charitas, in causa pietas, uti dictum est, & infra explicabitur. Hæc autem inveniuntur omnia in Ecclesiastica Indulgentia, ut ex dicendis constabit: Per Ecclesiasticas ergo Indulgentias, ita in foro Dei pœna remittitur, vel ita Deo satisfit, ut Deus ab eodem homine pro iisdem peccatis, ut in futuro sæculo ulteriorem satisfactionem exigere non possit.

11. Confirmatur. Deus enim certissime magis optat, ut peccator in hac vita pœnam solvat, quam post mortem. I. Quia pœna alterius vitæ mere vindicativa est; Deus autem ad clementiam, quam ad vindictam est pronior. II. Quia pœna hujus vitæ utilior nobis est. Non enim solum veniam meretur, sed coronam, quod est apud Cyprianum. (*Serm. de laps.*) III. Quia majorem honorem damus Deo per afflictionem sponte susceptam, quam per afflictionem patienter toleratam. IV. Quia in omnibus Scripturis nos hortatur ad pœnitentiam in præsenti vita, ut fugiamus a ventura ira. Horrendum enim est (*Hebr.* 10.) incidere in manus Dei viventis: ad pœnitentiam, inquam, non solum cordis, quamvis hanc maxime, sed etiam operis. Sed tamen opera, per quæ pro singulis peccatis satisfacere debeamus, nulla designavit, aut certa mensura, quantitate, aut duratione taxavit: ergo quia eorum taxationem, ac determinationem Ecclesiæ judicio, arbitrioque reliquit, quod illa attentis Patrum regulis, Confessorum, ac Prælatorum judicio commisit; sed per statutorum Ecclesiæ, quæ sunt determinativa, & taxativa præceptorum sive naturalium, sive divinorum observationem Deo placemus, Deo satisfacimus, apud Deum meremur: ergo & per pœnam ab Ecclesia taxatam authoritate Dei, quasi taxata fuisset a Deo: ergo & remissa, quasi remissa a Deo. Minor patet multis exemplis. Nam præcepto de colendo Deo ritu externo satisfacimus per eos ritus, quos Ecclesia præscribit, & præcepto de sustentandis Ministris Dei satisfacimus solvendo decimam, quam Ecclesia taxavit. Sic quia Deus quædam tempora, & loca sibi dicari voluit, nec tamen determinavit, stamus iis, quæ Ecclesia determinavit. IV. Id ipsum convincitur duplici argumentatione D. Thomæ (*in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *&* *q.* 25. *Suppl. art.* 1.) ajentis: Quidam dicunt, quod Indulgentiæ non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed solum valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. I. Quia est expresse contra privilegium Petri, cui dictum est, ut quod in terra remitteret, remitteretur in cœlis. Unde remissio, quæ fit, quantum ad forum Ecclesiæ, valet quantum ad forum Dei. II. Quia Ecclesia

hujusmodi indulgentias faciens magis noceret, quam prodesset, quia absolvendo a pœnitentiis injunctis, remitteret reum ad graviores pœnas, nimirum Purgatorii. Et ideo aliter dicendum est, quod Indulgentia valet & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ post contritionem, confessionem, & absolutionem residuæ. Immediate quidem, & primario, quod notavit Bellarminus, (*de Indulg. lib.* 1. *cap.* 7.) liberant a debito pœnæ subeundæ in hac vita; mediate autem, & secundario a debito pœnæ solvendæ in Purgatorio, pro cujus satisfactione pœna hujus vitæ substituebatur.

12. Dubium tamen est circa alia verba, quæ citatis addidit D. Thomas dicens, indulgentias valere ad remissionem pœnæ post absolutionem residuæ, sive injuncta sit, sive non. Sciendum enim est, aliquando concedi Indulgentiam sub illa clausula: a *pœnis injunctis*, aliquando sine illa. Igitur quum dicitur de *Pœnitentiis injunctis*, nonnullorum opinio fuit, etiam pœnitentias non injunctas remitti, eamque fuisse putant D. Thomæ mentem. Ita Thomas Elysius q. 44. art. 7., nec improbabile putat Paludanus, (*in* 4. *dist.* 20. *q.* 4. *art.* 1.) quamvis contrarium teneat. Dicendum cum Bellarmino: (*loc. cit.*) Quum illa clausula apponitur, non intelligitur fieri remissio nisi illius Pœnitentiæ, quam Sacerdos in Sacramento Confessionis injunxit. Non enim dicitur Pœnitentia injuncta ea, quæ est taxata per Canones, nisi Judicis, aut Sacerdotis sententia huic reo attentis circumstantiis præsentibus imponatur, atque intimetur. Nec enim Pœnitentiæ in Canone assignatæ omnibus competunt, ut D. Thomas docet, (*locis supra citatis.*) nec quisquam ad eas peragendas tenetur ante sententiam, nec eas proprie Deus injungere dicitur, quamvis aliquam peccati gravitati congruentem exigat. Deinde quum Indulgentia sit dispensatio quædam, seu privilegium, per quod jus commune relaxatur, est interpretationis strictæ, atque adeo ultra verba extendi non debet, uti Navarrus observat de Jubileo, not. 9. Jam vero quum Clausula de Pœnitentiis injunctis non apponitur, sed absolute indulgentia conceditur, major est inter Theologos controversia. Alexand. Alens., Adrianus, Paludanus, Petrus de Soto, Cajetanus Card. censent, hujusmodi concessiones intelligendas secundum formam juris de solis Pœnitentiis injunctis. Contra vero stare videtur S. Thomas loc. cit., & eam sententiam sequuntur Joannes Major, Medina, Ledesma, Navarrus, & ex Recentioribus Bellarminus, & Suarezius. (*dis.* 50. *sect.* 3.) Rationes autem Bellarmini (*loc. cit.*) desumptæ sunt ex quibusdam factis, & interpretationibus, ac declarationibus vivæ vocis oraculo Bonifacii VIII., & Pii V., unde nullum Theologicum argumentum erui potest, vel ex consuetudine, aut modo, quo vulgo in-

tel-

telliguntur indulgentiæ nostro hoc tempore, quod argumentum est debilissimum. Et certe in cap. Nostro de Pœnit. & Remiss. diserte traditur, posse Archiepiscopum per suam Provinciam hujusmodi Indulgentiarum litteras concedere, ita tamen ut Generalis Concilii statutum, id est, Lateranensis sub Innoc. III. celebrati non excedant; sed statutum Conc. Lateranensis erat, ut quum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno, sive a pluribus dedicetur, & deinde in anniversario dedicationis ultra 40. dies de injunctis Pœnitentiis indultum non excedat: ergo similiter illa Archiepiscoporum concessio de injunctis Pœnitentiis intelligenda est, ita ut eas indulta remissio non excedat. Minor expressa habetur in cap. Quum ex eo eod. tit. Quod autem de Episcopis ibi dicitur, confirmatur ibidem exemplo Romani Pontificis, qui quamvis plenitudinem potestatis habeat, hoc in talibus moderamen consueverit observare: ergo in Constitutionibus etiam Pontificiis, quibus Indulgentiæ conceduntur, hoc idem observatur, ut tempus injunctarum Penitentiarum indulta remissio non excedat. Præterea, quamvis Sacerdos imprudenter, minorem condigno pœnitentiam imponat, non fit injuria justitiæ Dei, quia semper remanet reatus ad pœnam ejusdem quantitatis, quæ ab eo in Purgatorio exigetur, si eam reus hic non expleverit, uti supra cum D. Thoma dictum; sed pœna, quæ ab reo in Purgatorio exigetur, non est remissa per Indulgentiam: ergo quod debetur ultra pœnam a Sacerdote injunctam, non remittitur per Indulgentiam. Indulgentia igitur, quomodocumque concedatur, non est nisi de Pœnis injunctis, ita ut per plenariam remittatur tota pœna injuncta, per partialem pars Pœnæ injunctæ. Denique. Quia quamvis diversa sit Ecclesiastica Indulgentia ab civili, & Politica, quia illa ab divina, hæc ab humana authoritate descendit, illa ad forum internum, hæc ad externum pertinet &c., tamen in genere, & in effectu conveniunt; sed quando Princeps, aut sæculi Magistratus reis indulgentiam conferunt, nemo intelligit, eos remittere nisi pœnam a Judice impositam, non vero eam, quæ imponi, aut injungi potuisset, ac debuisset. Nec enim damnato ad triremes per decem annos, gratia fit remittendo ei annos 20. quia totidem ei imponendi essent: ergo &c. Notandum vero, quod supra insinuavimus, per Indulgentiam nunquam remitti pœnitentias salutares, & Medicinales, unde in ipsis Jubilæorum concessionibus ea clausula aliquando adnectitur: imposita salutari Pœnitentia. Et D.Thom. (*in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 3.*q.* 1. *ad* 4. *q.* 25. *Suppl. art.* 1. *ad* 4.) Consulendum est iis, qui indulgentias lucrari student, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut ex his etiam remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes, & præcipue, quia quandoque sunt plurium

debitores quam credant. Et ideo apud Bellarminum: (1. *cap.* 12.) prudentes Christiani ita accipiunt Indulgentias Pontificias, ut simul studeant fructus dignos Pœnitentiæ ferre, & pro suis peccatis Domino satisfacere. Hoc enim pertinet ad Pœnitentiam Evangelicam, quæ nulla humana authoritate relaxari potest.

13. Ad hæc ulterius quæritur circa modum, quo concessa indulgentia prodest, in qua re explicanda multum inter se dissident Catholici Doctores. Alii enim existimant, Indulgentiam prodesse per modum solius impetrationis, sicut defunctis, ita & vivis a Deo concessam ad preces, & intercessiones Sanctorum, & Ecclesiæ. Sed & falsum hoc est, quia ad impetrandum nulla requiritur jurisdictio; fatentur autem omnes, indulgentiam vivis concessam esse actum jurisdictionis. Est item impertinens, quia impetratio erit quidem motivum concedendi indulgentiam, non tamen indulgentiæ natura, aut proprietas. Alii existimant, Indulgentiam prodesse per modum absolutionis. Cui enim pœna debita remittitur, is a reatu, sive solvendæ pœnæ obligatione absolvitur. Unde Innoc. III. in Conc. Lateran. argumentatur, neminem posse Inudlgentiam nisi suis subditis concedere, quia ab suo non Judice nemo absolvitur. Indulgentiam igitur absolutionem esse, nullus dubitat. Maxima autem pars Theologorum, imo fere omnes ulterius requirunt, ut Indulgentia annexam habeat solutionem, compensationem, aut distributionem, per quam aliquid detur reo, ut satisfacere Deo posset. Quum enim viderent DD., ait Cajetanus, (*Tract. de indulg.* 15. *T.* 1. *cap.* 6.) Ecclesiam extra Sacramentum pœnas peccatis debitas remittere, nec ab Ecclesia instructi essent, quomodo hujusmodi remissiones valerent.... in varias inciderunt opiniones de efficacia hujus remissionis, quibusdam nescientibus hunc Ecclesiæ militantis thesaurum, & opinantibus Indulgentias in foro Ecclesiæ tantum valere; quibusdam non curantibus de hoc thesauro, & dicentibus ex potestate data Petro posse Papam pœnas peccatis debitas liberaliter remittere; aliis dicentibus, quod absolutio illa efficaciam habet coram Deo ex applicato thesauro passionis Christi, & Sanctorum, quorum dogma meruit ab Apostolica Sede approbari. Hæc autem manifestant, quod pro certo ab omnibus supponebatur, Indulgentiam esse absolutionem, & ad investigandam ejus efficaciam tot concurrunt opiniones multiplicatæ valde..... &c. Una ex his opinionibus ea est, quam tenuerunt Alex. Alens. & Albertus Magnus, quos fere omnes, ut dictum est, Theologi sequuntur, & quæ, inquit Cajetanus, (*tract.* 15. *de indulg. cap.* 5.) ab Apostolica Sede approbari meruit, nimirum, Indulgentiam non esse meram, & gratuitam absolutionem, sed per eam dari nobis aliquid, sive applicari, quo tanquam pretio soluto, Deo satisfaciamus. Quid autem hoc sit

sub

sub quadam disjunctione, & quasi dubitabundus primum psoposuit Alensis dicens: (4. *p. Sum: q.* 23.) Potest dici, quod quando Dominus Papa dat plenam Indulgentiam, ipse punit, obligando Ecclesiam, aut aliquod membrum Ecclesiæ ad satisfaciendum. Et hic modus usitatissimus fuerat sæc. 9., & 10. Unde ex eodem capite Præpositivus fere Alexandro coævus: (*in Summ. fol.* 55. *p.* 1.) Credimus, inquit, valere talem absolutionem. Nam in tali casu Episcopus pro talibus satisfacere debet, quod idem dicendum de Papa. Aliquis enim supplet pœnitentiam alterius: ergo idem facere potest Papa, aut Episcopus, qui indulgentiam concedit, ut argumentabantur quidam apud Petrum Cantorem in Summa. (*manuscripta fol.* 189. *p.* 2.) Certe hæc via erat tutissima diminuendi indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, per quas Ecclesiæ claves contemnuntur, & Pœnitentialis Satisfactio enervatur, ut ex Conc. Lateran. dicitur in c. 14. de Pœnit., & Remiss. Paucissimæ enim essent Indulgentiæ, si Prælati Ecclesiæ omnium pœnitentiarum remissarum onus portare ipsi debuissent, aut illud Clericis, Canonicis, vel Monachis imponere.

14. Aliam ergo viam ad explicandam Indulgentiæ efficaciam proponit Alensis inquiens: (*loc. cit.*) Vel potest dici quod thesaurus Ecclesiæ, qui exponitur pro satisfactione Ecclesiæ, habetur principaliter ex meritis Christi &c. Unde potest dici ad illud Augustini: aut Deus punit, aut homo, quod Deus punit, mala, quæ indulgentur, ut homo, & Deus patiendo, & satisfaciendo pro nobis, & sic Christus Deus, & homo punit, sive punivit. Idem docuit Albertus in 4. Sent. (*dist.* 20. *art.* 16.) dicens: Quia non potest remitti debite, ac discrete pro peccato injunctum uni, nisi fiat recompensa per alium, qui plus debito facit, ideo subjungitur ex thesauro supererogationis perfectorum procedens. In hoc enim thesauro habet Ecclesia divitias meritorum passionis Christi, & B. V. Mariæ, omniumque Apostolorum, Martyrum, & Sanctorum, tam vivorum, quam mortuorum.

15. Esse porro in Ecclesia thesaurum inexhauribilem meritorum Christi, nullus potest dubitare Christianus. Per ipsum enim, & cum ipso, & in ipso est omne datum optimum, & omne donum perfectum, quod ad nos descendit a Patre luminum. Hinc item certissimum est, Indulgentiam omnem ex Christi meritis, & passione vim omnem suam, atque efficaciam sortiri. Tria enim ad valorem Indulgentiæ necessaria sunt, nimirum in concedente authoritas, in suscipiente charitas, in causa pietas, ut supra dictum est. Sed Ecclesiæ authoritas non nisi ex Christi meritis descendit, hanc enim, & omnem spiritualem jurisdictionem ipse Ecclesiæ acquisivit sanguine suo. Charitas autem (*Rom.* 5.) non diffunditur in cordibus nostris, nisi

per

per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, & (*Joann.* 15.) quem ipse mittit nobis a Patre, spiritum veritatis, per quem (*Epist.* 1. *ejusdem cap.* 3.) filii Dei nominamur, & sumus: nulla denique est operum nostrorum pietas, nisi in Christo fiant, & a Christo offerantur Patri, & per Christum acceptentur a Patre. Quicquid ergo pium est, & salutare, quidquid in Indulgentiis nobis proficuum, totum ex meritorum Christi thesauro, sive ex Christi merito, satisfactione, & impetratione descendit. Hunc autem thesaurum Petro, ejusque successoribus, suis in terris Vicariis, commisit fideliter dispensandum, inquit Clem. VI. in constit. Unigenitus ann. 1350., ex causisque rationabilibus nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporali, tam generaliter, quam specialiter vere Pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum..... Ad hujus autem thesauri cumulum, pergit Pontifex, B. Dei genitricis, omniumque Electorum a primo justo usque ad ultimum adminiculum præstare noscuntur. En verba, quibus motus Cajetanus dixit, Theologorum opinionem de solutione ex thesauro ab Apostolica Sede approbationem obtinuisse. Docebant ergo hi Theologi, Indulgentiam esse proprie solutionem, seu compensationem pœnæ temporalis, per satisfactiones Christi, & Sanctorum reo applicatas, sive adjudicatas authoritate Ecclesiæ. In quem sensum, velint, nolint, recidant necesse est, qui Alensem, Albertum, & D. Thomam sequuti, solutionem ex thesauro admittunt. Unde Cajetanus, quamvis Indulgentiam absolutionem esse proprie dixerit, tamen concludit, esse absolutionem, cui adnectitur dispensatio thesauri Ecclesiastici ad hoc, ut absolutio sit efficax non solum quoad Ecclesiam, sed etiam coram Deo, & Bellarminus, apud quem Indulgentia est absolutio judiciaria annexam habens solutionem ex thesauro. Hi tamen authores, qui solutionem cum absolutione conjungunt, non videntur consequenter loquuti. Ille enim, qui per se, vel per alium pœnam solvit, non dicitur ab obligatione solvendi absolutus, nisi improprie, aut saltem nullo modo dici potest judicialiter absolutus. Per sententiam enim Judicis non absolvitur quis nisi ab obligatione solvendi. Unde consequentius S. Thomas. (*q.* 25. *Supplem. art.* 1.) Ad secundum, inquit, dicendum, quod suscipiens indulgentiam, simpliciter loquendo, non absolvitur a debito pœnæ, sed datur illi, unde debitum solvat.... (*ad tertium.*) Faciens enim indulgentias, aut concedens solvit pro eo pœnam, quam debuit ex bonis Ecclesiæ communibus.

16. Dicunt igitur hi Theologi, per Indulgentiam applicari, sive adjudicari nobis satisfactiones Christi, & SS., quæ sunt in thesauro Ecclesiæ, & cujus illa dispensandi facultatem habet, atque per eas nobis compensari pœnam illam, ad quam tenebamur. Sic autem rem

to-

totam explicat S. Thomas: (*in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 1.*) Ratio, qua indulgentiæ valere possunt, est unitas corporis mystici, per quam multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius membra. In hoc autem mystico corpore multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, id est, multi Justorum acerbiorem pœnitentiam fecerunt, quam eorum aut nulla, aut levissima peccata merebantur, multas etiam injustas tribulationes sustinuerunt patienter, per quas poterat expiari multitudo pœnarum si eis deberentur. Horum autem meritorum tanta copia est, ut omnem pœnam temporalem nunc viventibus debitam excedat, præcipue meritum Christi, quod & si in Sacramentis operatur, non tamen ejus efficacia in Sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam Sacramentorum. Unde non ita alligavit virtutem suam Christus Sacramentis, ut non possit extra Sacramenta operari, ut dictum est. Dictum est item supra, quod unus pro alio satisfacere potest: Sancti vero, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate, pro Titio, aut Cajo, qui remissione indiget, sua opera fecerunt, alias absque omni indulgentia remissionem consequerentur; sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus dicit se adimplere ea, quæ desunt, passionum Christi in corpore suo, quod est Ecclesia, ad Coloss. 1. Prædicta ergo merita, & satisfactiones Sanctorum sunt totius Ecclesiæ communia; sed ea, quæ sunt alicujus multitudinis communia, possunt singulis de multitudine distribui, & adjudicari ab eo, qui toti communitati, aut multitudini præest: Toti autem Ecclesiæ præest Papa, vel qui ab eo ad singulas Ecclesiæ portiones ordinantur, & præficiuntur: ergo Sanctorum satisfactiones possunt a Prælatis singulis fidelibus applicari, ac distribui, & sicut consequerentur remissionem pœnæ, si alius pro eis satisfecisset, ita consequetur, si sibi alterius satisfactio applicetur ab eo, qui potest. Habentur ergo ex D. Thom. I. Esse in Ecclesia cumulum satisfactionum Christi, & Sanctorum: II. Hunc cumulum, seu thesaurum esse communem toti Ecclesiæ, non solum ratione unitatis corporis mystici, quæ est per caracterem baptismi, secundum quem omnes unum corpus sumus in Christo, sed etiam ratione intentionis eorum, qui talia opera fecerunt pro corpore Christi, quod est Ecclesia: III. Pastores Ecclesiæ habere facultatem hujusmodi thesauri dispensandi. IV. Habere facultatem, non solum applicandi satisfactionem Christi intra Sacramenta, sed etiam extra. Quum ergo hujusmodi applicatio rite fit, datur homini pretium condignum, unde debitum pœnæ temporalis extinguat. Sed in toto hoc processu multa sunt, quæ ulteriore explicatione, & probatione indigebant, quam tamen S. Thomas in Commentario super libros Sentent. non adhi-

adhibuit, junior adhuc, & litteræ Magistri solum elucidandæ intentus, & Magistrorum sui temporis dictis, ac sententiis, ut juvenem decebat, inhærens. Optandum, ut in Summa Tripartita, ubi multa in Sententiarum libris dicta corrigit, atque emendat, idem argumentum retractasset, sed morte præventus est. Obiter vero in 3. p. q. 48. art. 5. ad tertium, contrarium ejus, quod in Comm. scripserat, docere videtur. Dicendum enim, ait, quod passiones Sanctorum prosunt Ecclesiæ non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli, & exhortationis secundum illud 2. ad Cor. 1. sive tribulamur pro vestra exhortatione, & salute. Et ita interpretatur locum Pauli ad Coloss. Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Constat autem, inquit Cajetanus ex ipso auth. in 4. sent. d. 20. passiones SS. per indulgentias applicatas proficere Ecclesiæ per modum satisfactionis, atque adeo per modum redemptionis. Multa ibi Cajet. ut sibi D. Thom. conciliet, sed infeliciter: nam ibi D. Thom. non solum negat, passiones SS. prodesse Ecclesiæ per modum redemptionis, aut pretii, sed etiam positive assignat modum, quo prosunt.

17. Nam I. circa Thesauri intelligentiam multa occurrunt vel mediocriter Erudito dubia. Est quidem in acceptatione divina semper præsens thesaurus infinitus meritorum, & satisfactionum Christi. Nihilque boni sive spiritualis, sive temporalis ad salutem conducentis in Ecclesiam derivatur, nisi protector noster adspiciat Deus, & respiciat in faciem Christi sui. Est item in divina acceptatione præsens semper cumulus meritorum, & satisfactionum Sanctorum, de quorum capite capillus non peribit. (*Luc. cap.* 21.) Hinc autem duos thesauros distinctos fieri, aut unum duobus istis conflari, non videtur rationabile. Non primum: Nam ut dicerentur thesauri, oporteret considerare merita, & satisfactiones Sanctorum seorsim a meritis, & satisfactionibus Christi; hoc autem esse non potest, quia nihil est Deo acceptum, nihil gratum, nihil dignum, nullum meritum, nulla satisfactio, nulla impetratio, nulla exaudibilis oratio, nisi per Christum, & cum Christo, & in Christo. Nam quid potest palmes, nisi manserit in vite? (*Joann. cap.* 15.) Non possunt ergo merita Sanctorum ab Christi meritis seorsim considerari, nisi evanescant, & meriti, aut satisfactionis vim omnem, & rationem amittant. Unum autem thesaurum conflari ex utroque cumulo dici non potest, I. propter rationem datam, quia divisio totius in partes, quarum una includit aliam, mala est, & absurda; merita autem Sanctorum oriuntur, derivantur, valorem habent, atque a Deo acceptantur ob meritum Christi, qui munera sua voluit esse merita nostra, ut Augusti-

nus

nus loquitur: ergo merita Sanctorum nihil addunt quantum ad vim, & acceptationem supra meritum Christi. II. Quia finitum additum infinito non facit majus. Absorbetur enim finitum ab infinito; sed Christi meritum infiniti valoris est; Sanctorum autem satisfactiones finiti, & Christi meritis comparatæ nullius fere valoris sunt: ergo hæ illis additæ majorem cumulum non faciunt. Unde III. Ridiculum est conflare thesaurum ex divitiis Cresii, & Salomonis, & omnium Regum simul positis, cum obolo pauperrimæ vetulæ; sed minus sunt omnia simul Sanctorum merita cum meritis comparata Christi, quam exiguum obolum cum omnium Regum thesauris, quum finiti ad finitum aliqua semper sit proportio; nulla autem finiti ad infinitum: ergo conflare thesaurum ex meritis Christi; & Sanctorum tam ridiculum est, quam componere gurgitem aquarum maris cum stilla aquæ, quam formicula potest ore sumere, imo multo minus. IV. Superfluunt omnia merita Sanctorum, quum applicantur merita Christi. Nam quid enim operantur? V. Thesaurus ex meritis Sanctorum conflatus videtur falsò niti principio. Sic enim argumentatur D. Thomas, (*loc. cit. in* 4.) & ejus thesauri defensores. Multi Sanctorum pœnitentias egerunt gravissimas, & longissimas, quum peccatum, aut nullum, aut non nisi levissima haberent: omnia autem hujusmodi pœnitentiæ opera vim habent satisfactivam coram Deo: ergo quum peccata non habuerint nisi levissima, pro quibus satisfacerent, reliqua omnis satisfactio in thesauro reponitur pro aliis valitura. Omnia enim Justorum opera simul, & meritoria, & satisfactoria sunt. Hæc, inquam, argumentatio non videtur efficax, quia non ideo ignis desinit esse liquefactivus, quia nihil, aut non totum, quod liquefacere potest, ferrum liquefacit, neque combustivus, quia nihil comburat. Sufficit enim, ut liquefaceret, aut combureret, si materiam haberet convenientem, ac debite applicatam. Similiter ergo ut bonum opus aliquod dicatur satisfactivum, non est necesse, ut pro aliquo debito satisfaciat, sed satis est, ut ex se tale sit, ut posset satisfacere, si operans esset apud Deum alicujus pœnæ debitor. Quod si omnes activæ virtutes, quæ aliquid operari possunt, & non operantur, aut quæ non totum, quod possunt, operantur, reponerentur in thesauro, essent, ut apud Job (*cap.* 38.) dicitur, thesauri nivis, & grandinis, & caloris, & frigoris, & rerum omnium, quæ per causas aut naturales, aut supernaturales fieri possunt, & non fiunt.

18. Verum est ergo omnia bona opera Justorum esse per gratiam Dei meritoria, & satisfactoria, & impetratoria, sed hæc nomina relativa sunt ad diversos effectus, quos habere possent, si adesset proportionatus terminus correlationis. Est enim bonum opus meritorium respectu præmii: unde si nullum est præmium obtinendum, non erit

meritorium. Similiter est satisfactorium respectu pœnæ debitæ, & impetratorium auxilii, aut gratiæ, si aliqua pœna operanti sit imposita, aut auxilium obtinendum; quod si hæc desint, neque meritorium, neque satisfactorium, neque impetratorium erit, quamvis bonum, quamvis sanctissimum, ac Deo gratum. Unde idem actus charitatis in viatore & vim habet merendi, & satisfaciendi & impetrandi: in animabus Purgatorii nec merendi, nec satisfaciendi, nec impetrandi vim habet: in Beato, nec merendi nec satisfaciendi vim habet, sed solum impetrandi, non quidem sibi, sed aliis. Ex quo patet solutio ad argumentationem Bellarmini. Ajebat enim: (*lib. 1. de indulg. cap. 2.*) Si Titius, & Cajus in gratia æquales actus æquales charitatis v. g. fecerint, sed alter nullius peccati præcedentis conscius sibi fuerit, alter vero ob peccata præterita alicujus pœnæ sit debitor, vel æqualem mercedem habebunt apud Deum, vel diversam, & inæqualem? Si primum: ergo nihil deperit de ratione meriti propter rationem satisfactionis. Si secundum: ergo opus illud non erit integre remuneratum. Sed convertatur ad homines hæc argumentatio, & apparebit quam sit inanis. Titius, & Cajus æque grati Cæsari æqualia ei fecerunt obsequia, sed Titius erat aliunde alicujus summæ debitor fisco; Cajus nullius. Accipient ab justo Principe æqualem remunerationem, aut inæqualem? Nimirum, æqualem dicet omnis cordatus, nisi quod alteri, qui erat debitor, pars meriti computabitur in solutum. Donasti enim Cæsari centum; debebas 25. donasti 75. Unde si Princeps pro denariis reddat milliaria; tot tibi recompensabit denaria, quot donasti, sicut Titio, juxta proportionem donationis. Non est autem donatio, sicut neque meritum ex debitis. Igitur similiter si fecisti Deo obsequium, pro quo mereri poterat præmium ut centum, & debebas ei satisfactionem ut 20., non dabitur tibi præmium ut centum, sed ut 80., detracta ex obsequio tota illa parte, quæ cedit in solutionem pœnæ debitæ. Sed ait Bellarminus: Non potest tam parum detrahi de præmio vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, quin sit illud multo pretiosius, & majus, quam remissio pœnæ temporalis. Sed falsum supponit vir eximius. Non enim aliquid detrahitur de præmio vitæ æternæ proportionato ad meritum. Nam pro quocumque merito non solum proportionatam, sed etiam mensuram plenam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus nostros; sed detrahitur de ratione meriti totum illud, quod debebatur in satisfactionem pro peccato.

19. VI. Quia quum virtus meritoria & satisfactoria non sint duæ res separabiles, sed diversæ considerationes, sive respectus ejusdem operis, non potest una ex his in thesauro reponi, & non alia; aut quod idem est, non potest in thesauro reponi opus, ut satisfactorium,

rium,

rium, quum hæc reduplicatio non sit in re, sed in mente tantum. VII. Quia falsum est quod assumitur, nimirum, Sanctorum opera quatenus satisfactoria frustra futura, si ipsi nullum habuerunt peccatum, aut habuerunt levissima, & longe minora austeritate vitæ, quam tenuerunt, ut Joannes Baptistæ, Prophetæ & Apostoli, Martyres, & austerissimi Confessores, atque Eremitæ. Dictum est enim, opera justorum, austeritates, jejunia, preces, meditationes sive afflictivæ sint, sive non afflictivæ, non esse satisfactorias, nisi, quando operans est reus alicujus pœnæ, excepta satisfactione Christi, in quo posuit Deus iniquitates omnium nostrum, qui vere languores nostros tulit, & iniquitates portavit, super quem disciplina pacis nostræ, & cujus propterea livore sanati sumus. Argumentum horum Doctorum est huic omnino simile. Multi Christiani habent aurum, & argentum, unde possent non solum sua debita, quæ nulla habent, aut tenuissima, sed etiam alia multa aliorum solvere, nam peccunia ex sua natura solutoria est, sive ad solvendum idonea: ergo quum in Lucullo, aut Scauro, quatenus solutoria est, nullum habuerint effectum, & Lucullus, aut Scaurus unum corpus efficiant pop. Romani, poterunt ii, qui pop. Romano præsunt, tanquam ex communi populi ærario eam dispensare ære alieno gravatis, ut sua debita solvant. Hoc ratiocinio ductus quondam Cyrus puer apud Xenophontem, quum vidisset homunculum exiguum oblongo pallio indutum, & alium proceriorem curto, pallia commutavit, & majus majori, minus minori adjudicavit pro libitu, quod magnum pallium homini exiguo superfluum esse diceret. Male ergo loquuntur, qui dicunt, viris sanctis passiones, aut afflictiones, vel labores, quatenus satisfactorii sunt, superfluos, aut superabundantes, vel redundantes fuisse. Quanto enim minus habuerunt de ratione satisfactionis, tanto magis habuerunt de ratione meriti, uti dictum est. Nam quomodo inutiles, superfluæ, aut redundantes passionis hujus temporis, quæ licet longe graviores, ac diuturniores forent, non sunt condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis? (*Rom.* 8.) Quomodo superfluæ, quum quodvis momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternæ gloriæ pondus operetur in cœlis? (2. *Corinth. cap.* 4.) Respondet pro omnibus Bellarminus: (*loc. cit. cap.* 4) Quod pertinet ad rationem meriti passiones Sanctorum cumulatissime remuneratas; quod autem pertinet ad rationem satisfactionis, multos Sanctorum labores inanes, & sine fructu futuros, nisi pro aliorum reatibus consumantur: sed probandum est, passiones Justorum Innocentium habere rationem satisfactionis. Dicuntur enim satisfactoria Justorum opera præcipue afflictiva, quia apta nata sunt satisfacere, & reddere Deo honorem per culpam ablatum. Unde ubi nullum est peccatum, passiones rationem satisfactio-

nis nullam habent, sicut pecunia, quamvis sit ad solvendum idonea, tamen ejus usus non est solutorius, nec habet rationem solutionis, nisi detur pro debito. Sicut ergo largitio pecuniæ non est inutilis, aut superflua, quamvis ei nullus effectus respondeat, quatenus solutoria est, aut secundum rationem solutionis, quam habere posset, sed non habet, ubi nullum est debitum; ita passiones Sanctorum non sunt inanes, aut superfluæ, quia nullum effectum habeant quatenus satisfactoriæ sunt, aut secundum rationem satisfactionis, quam habere quidem possent, sed non habent, ubi patiens reus pœnæ non est. Neque propterea quod careant effectu satisfaciendi, sine fructu sunt, aut inanes, & superfluæ. Affliguntur enim Sancti homines, sive sponte sua, sive etiam per labores, atque ærumnas a Deo inflictas, ut a peccatis, ac tentationibus præserventur, ut carnem spiritui subjiciant, ut quietius, ac tranquillius, sedato passionum tumultu, divinis vacent, ut exemplo austerioris vitæ homines ad pœnitentiam, qua indigent, alliciant, ut rerum, & voluptatum terrenarum contemptum doceant, denique ut Christo capiti suo similiores, & conformiores fiant, ex quo mortificationum suarum fructus percipiunt uberrimos, & dulcissimos in præsenti sæculo, & in futuro gloriam tanto majorem, quanto eorum opera tanto in ratione meriti crescunt, quanto ab innocentiore fiunt, & de satisfactione minus habent.

20. VIII. Videtur ergo, concludit Joannes Capetius in suo Tract. de Indulgent. (1595. *c.* 16.) receptam hodie, & communem Scholasticorum sententiam vanis, & inefficacibus niti argumentis, & antiquorum Patrum doctrinæ adversari .... Nam neque Moyses, inquit Christianus Lupus, (*dis. de Indulg.*) neque ullus Propheta suo peccatori populo proprias satisfactiones, ut condignum pretium applicavit. Erronea est hæc doctrina. Sufficit enim Martyri, (idem est de quovis alio Sanctorum) propria delicta purgasse. Ingrati est, vel superbi in alios spargere, quod pro magno fuerit consequutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi solus filius Dei?.. Ad hoc enim venerat, ut ipse a delicto purus, & per omnia sanctus pro peccatoribus obiret, factus nobis justitia, & sanctificatio, & Redemptio. Proinde qui illum æmularis donando delicta, plane patere pro me; si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere mihi, & tibi poterit? Hæc Tertullianus. (*lib. de Pudicit. cap.* 22.) Neque dicas, Montanistam jam fuisse, quando ista edidit. Eadem enim Tertulliani confirmat Cyprianus ;... Insigniter in serm. de Lapsis: Credimus posse apud Judicem plurimum Martyrum merita, & opera justorum; sed quum judicii dies venerit, quum post occasum sæculi hujus, & mundi ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem dare se cunctis putat posse. ..

non

non solum nihil prodest, sed & obest lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam, nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino, de sua facultate præsumere.... Et quemquam aliquis existimat remittendis, donandis quæ peccatis dignum fieri contra Judicem velle? aut priusquam ipse judicetur, alios posse defendere? Mandant aliquid Martyres fieri; si justa, si licita,.. a Dei Sacerdote facienda sunt. Obtemperantis facilis est, & prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed si scripta non sunt in lege Domini, quæ mandant, prius est, ut sciamus illos a Deo impetrasse, quod postulant, tunc demum facere, quod mandant. Neque enim statim videri potest a divina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum. Nam & Moyses pro peccato populi oravit, nec tamen peccantibus veniam, quum petiisset, accepit..... Adeo non omne, quod petitur in præjudicio petentis, sed in dantis arbitrio est. Adsonat Augustinus tract. 84. in Joannem: Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius Martyris sanguis effunditur, quod fecit Christus pro nobis. Quatenus ergo Martyres pro fratribus sanguinem fuderunt, talia exhibuerunt, qualia de mensa Domini perceperunt. In cæteris Martyr Christi longe impar est Christo. Quod si quisquam se, non dico potentiæ Christi, sed & innocentiæ comparabit, non dicam se putando alios sanare, sed suum saltem, nullum peccatum habere, etiam sic avidior est, quam ratio salutis exposcit. Frater enim non redimit, non redimet homo, nec dabit Deo placationem suam, aut munus aliquod, quo placari possit, neque pretium redemptionis animæ suæ. Consonat Augustino Leo I. serm 12 de Pass. Quamvis enim, inquit, in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio mundi fuit propitiatio. Acceperunt sancti, non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla sunt nata patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, quum unus extiterit Christus Dominus, in quo sicut omnes mortui, omnes crucifixi, omnes sepulti, ita & omnes sumus resuscitati. Idem repetit ad Episcop. Palestinæ scribens, & ad Leonem Imp. idem in serm. de S. Laurentio, & in 6. de Epiph. Consonat Ambrosius 6. in Lucam: Nihil mihi prosunt aliorum Cruces, id est, afflictiones, & passiones Sanctorum; sola Crux Christi mihi utilis est. Non negat autem Ambrosius, passiones Sanctorum nobis prodesse per modum impetrationis, & meriti de congruo. Hoc enim fide certum est, & ab eodem alibi millies assertum: ergo solum negat nobis prodesse per modum solutionis, aut pretii, vel condignæ satisfactionis. In eandem sententiam

tiam Asterius Amasenus apud citatum Lupum: Exemplum, ait, nobis illustre traditum est quinque illud fatuarum Virginum, quæ quum oleum ipsis defuisset, impudenter oleum ab sapientibus petierunt, sed non obtinuerunt. Quo docemur, neminem uti alieno oleo in adventu Sponsi, id est, alienis meritis ad sui commodum, & fructum. Hæc Lupus ex Asterio. Hinc vocem illam sapientium Virginum: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis, non consulentium, sed irridentium fuisse, docet Augustinus serm. 23. de Verb. Dom., quod ex alienis meritis crederent se posse salvari, & in 2. de Civ. Dei cap. 27. exponens illud: facite vobis amicos de mammona iniquitatis ut quum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, laudat Sanctorum in extremo judicio intercessiones pro iis, a quibus acceperunt temporalia officia, quod hisce intercessionibus plures peccatores culparum remissione donandi, & in vitam æternam admittendi sint. Atque eo modo accipiebant, habebantque antiqui Episcopi SS. Martyrum pro Pœnitentibus libellos. Habebant enim ut efficaces, & omni reverentia dignas preces, & intercessiones. Omnis enim nostra satisfactio, dum alteri applicatur, non est nisi congrua intercessio. Hæc ibi.

21. Respondent ad hæc nonnulli Theologi, inquit Capetius, (*sup. cit.*) Patres non aliud velle quam passiones, & merita Sanctorum per se non habere vim satisfaciendi, sed per meritum Christi. Quæ responsio indocta est. Patres enim non loquuntur nisi de cruce Martyrum, de passionibus justorum, quæ certe ex passione Christi vim habebant merendi, alias neque pretiosa in conspectu Dei fuissent. Melius autem respondent cum Bellarmino (2. *cap.* 4.) communiter Scholastici, Patrum sententias illas intelligendas de solutione, & satisfactione pro culpa, & pœna æterna, non de satisfactione pro pœna temporali. Certum est enim, hominem pro hujusmodi pœna posse Deo satisfacere, & Nabucodonosori dictum est, (*Daniel.* 4.) peccata tua eleemosynis redime, & tamen nihil merito Christi derogatur, nec propterea homines dici possunt sui Redemptores. Ergo quum similiter certum sit, posse alios homines pro aliis satisfacere quoad pœnam temporalem, illæ Patrum loquutiones ita intelligendæ sunt, ut non propterea veritas alienæ satisfactionis excludatur. Quamvis autem hæc omnia vera sint, solutio tamen non videtur sufficiens. Nam per propriam dispositionem, & bonos actus hominis cooperantis gratiæ applicantur homini passio, & merita Christi, quorum virtute, & valore Deo satisfacit. Unde homo non se redimit, sed is, qui pro illo mortuus est, & qui factus est illi justitia, & sanctificatio, & redemptio. Hinc per applicata nobis Christi merita non solum pro pœna temporali, sed etiam pro culpa Deo satisfacimus, & tamen dici non possumus Redem-

dem-

demptores nostri. Thesaurus igitur meritorum Christi nobis per propriam dispositionem applicatus nititur justitia, quia justum Christus reddidit pretium pro debitis nostris, & quia hoc pretium non potest Deus non acceptare stante promissione, & pacto cum Christo inito, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Quem principem, & Salvatorem exaltavit Deus dextera sua ad dandam Israeli Pœnitentiam, & remissionem peccatorum. (*Act.* 5.) At quamvis justi, & sancti omnes pro me mortui & passi fuissent, aut omnes passiones, & afflictiones suas pro me Deo obtulissent, nec justum pretium essent pro debito unius peccati, nec Deus ex promissione aliqua, aut pacto eas pro me acceptare teneretur. Nam per alienas passiones, aut opera bona non applicatur mihi meritum, aut virtus passionis Christi, a qua omnis humana satisfactio valorem habet apud Deum. Nulla ergo unius pro alio satisfactio de condigno est, quia per nullam virtus passionis Christi, & pretium Crucis nobis applicatur. Proinde nullam Deus acceptare tenetur ex justitia. Quia vero potest unius pro alio passiones, & merita acceptare misericorditer in solutum, ut supra dictum est, & ea satisfactione contentus ulteriorem pœnam a nobis non exigere, ideo vere dicitur posse unum pro alio satisfacere, quia potest Deus, sicut & quilibet homo offensus, satisfactionem alterius pro altero acceptare. Quoniam vero, an acceptare dignetur, scire Ecclesia non potest sine peculiari revelatione, quæ neque ex Scripturis, neque ex Patrum traditione, neque ex ratione haberi potest, ut Suarezius supra fatetur, reliquum est, ut omnis oratio, intercessio, aut suorum bonorum operum, & passionum oblatio, etiam si determinate pro hoc, aut illo facta esset, non habeat infallibiliter effectum ad obtinendam a Deo temporalis pœnæ remissionem. Imo nec propriæ passiones, & opera hunc habent effectum infallibilem circa pœnas illas hujus vitæ, quas Deus per semet infligere potest, & solet. Hinc David multum orans, & semet affligens: Quis scit, ajebat, (2. *Reg.* 12.) si forte donet eum mihi Deus? & Joel. 2. Scindit corda &c. Quis scit, si convertatur Deus, & ignoscat? & Jonæ 3. Operiantur saxis homines, & clament ad Dominum: convertatur vir a via sua mala.... Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus. Nec propriis igitur Pœnitentium meritis, precibus, afflictionibus promissa est, infallibiliterque annexa depulsio omnis pœnæ temporalis: ergo multo minus precibus, & passionibus justorum pro illis oblatis. Hinc Samueli oranti ut Deus Sauli confirmaret regnum, dictum est: (1. *Reg. c.* 16.) Usquequo tu luges Saul, quum ego projecerim eum. Nemo enim potest corrigere, aut in melius revocare, quem ille despexerit. (*Eccle.* 7.)

22. Con-

22. Confirmatur id apertissime ex Epistola Cleri Romani ad Cyprianum, ibi: Quanto meliores ipsorum (Martyrum) litteræ fuissent, si illorum preces pœnitentium ipsorum humilitate adjutæ fuissent: quoniam & facilius impetratur, quod petitur, ubi is, pro quo petitur, condignus est, ut quod petitur impetretur. Vult item Romanus Clerus, vult Tertullianus, vult Cyprianus; vult Ambrosius, vult Augustinus, ut preces Martyrum, & ipsorum pœnitentium, etiam totius Ecclesiæ præcibus, lacrymis, clamoribus adjuventur. Ergo Episcopi concedentes Lapsis, & Pœnitentibus indulgentiam non adjudicabant; aut applicabant illis per modum condigni pretii passiones, aut merita Martyrum, nec Martyres, inquit Lupus, in suis libellis postularunt lapsis communicari suas superfluas satisfactiones. Nimirum sciebant & Martyres petentes, & Episcopi concedentes, congruam illam esse supplicationem, non condignam satisfactionem .... Noverant omne oleum satisfactionis, licet non debeatur propriis peccatis, non posse effundi in aliena ..... Lucianus Confessor, inquit Cyprianus,... (*Epist. 23. ad Præsbyt. & Diacon. Romæ.*) præcepti, & legis ignarus mandat lapsis pacem dari .... & peccata dimitti in nomine Pauli Martyris & hoc sibi dicit ab illo esse mandatum. Quid est autem: In nomine Pauli? an virtute, & authoritate Pauli? Nequaquam, sed ob Pauli Martyris passionem & merita. Paulus vero Martyr Christi, subdit Lupus, gratiam, & satisfactionem ab Ecclesiæ clavibus dandam sperare, & postulare poterat, nequaquam satisfactiones suas in alium traducere, quam traductionem, seu communicationem omnino important verba illa in nomine Pauli...... Quod satisfactoria opera pro aliis facta sint duntaxat congruum suffragium, semper credidit omnis Ecclesia. Hæc autem in hoc, & præc. §. dicta eo tendunt, ut verissimum appareat, quod ab D. Thoma dictum est, (*3. p. q. 90. art. 2.*) redintegrationem amicitiæ fieri non posse, nisi offendens recompenset secundum voluntatem ejus, quem offendit..... Unde in satisfactione ad Deum æqualitas non attenditur secundum æquivalentiam, quia homo nihil æquivalens Deo reddere potest; sed magis secundum acceptationem ipsius; sed neque Deus, neque ullus supremus Judex in terris tenetur acceptare satisfactionem alterius pro alio: satisfactio enim debet fieri secundum voluntatem ejus, qui offensus est: ergo nulla satisfactio unius pro alio aut de condigno est, aut de justitia, aut infallibiliter effectum sortitur. Indulgentia autem ab Ecclesiastica authoritate concessa infallibilem effectum apud Deum habere probatum est, & ab Tridentino statutum, dum eas utiles, & maxime salutares definivit: ergo vis, & valor Indulgentiarum non nititur doctrinæ de applicatione, & communicatione possionum, & meritorum, quæ Sancti homines in thesauro Ecclesiæ reposuerunt.

Con-

Confirmatur ex alio articulo definito in Tridentino eodem, nimirum: Indulgentiarum usus est in Ecclesia Christiana ab antiquissimis temporibus, quod & supra probatum est; sed doctrina de adjudicatione alienarum satisfactionum in thesauro Ecclesiæ repositarum incognita fuit omnibus retro Patribus, & Theologis usque ad 12. sæculum, vixque tunc timide, dubitabunde, ac subfrigide ab Alexandro Alensi proposita verbis supra citatis: *Vel potest dici* &c. ergo vera, & genuina Indulgentiæ Ecclesiasticæ notio ab hac Scholasticorum doctrina non dependet. Minor probatur. I. ex Cajetano, qui adversus Lutherum electus est disputator. Sic enim tractatum decimumquintum exorditur: De ortu Indulgentiarum, si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret, verum quia nulla Scripturæ sacræ, nulla priscorum Doctorum Græcorum, aut Latinorum authoritas scripta, hoc ad nostram deduxit notitiam, sed solum a trecentis annis hoc scripturæ mandatum est de vetustis Patribus, quia Gregorius Indulgentias Stationum instituit, &c. Durandus fatetur ante quadringentos annos Indulgentias, quæ nunc sunt in usu, non fuisse. Suarezius (*disp.* 49. *sect.* 2.) putat opinionem dicentium per Indulgentiam remitti pœnam impositam ab Ecclesia, non pœnam in judicio Dei debitam, non videri improbabilem de temporibus ante Gregorium Magnum .... id est, quod ex his, quæ de his temporibus legimus, non satis convincitur hic usus. Et hoc apud me suadent omnia, quæ adduxi: nihil enim occurrit, quod omnino satisfaciat.... neque aliquid certius de illorum temporum indulgentiis invenire potui.... Apud hos ergo Patres nulla est mentio de indulgentia Pœnitentiæ Sacramentalis. Nec facile, ut existimo, invenietur in aliqua historiâ fuisse aliquando usitatum in Ecclesia, ut propter aliorum intercessionem Pœnitencia Sacramentalis remitteretur, aut minueretur. Quid est hoc autem nisi Luthero manus dare? Nisi Tridentino Concilio contradicere definienti, ab antiquissimis temporibus Indulgentias in Ecclesia fuisse usitatas? Quid nobis Scholastici omnes commemorant indulgentiam a Paulo concessam incestuoso Corinthio? Indulgentias ab Cypriano, & ejus temporis concessam Lapsis vel ob ipsorum fervorem, vel ob Martyrum intercessionem, vel ob fletum, & mœrorem Ecclesiæ? Indulgentiam concessam ab Conciliis Nicœno, Ancyrano, Laodicæno? Quid, inquam, hæc omnia commemorant ad demonstrandum antiquissimum in Ecclesia Indulgentiarum usum, si antiquæ ante Gregorium indulgentiæ non sunt ejusdem, sed diversissimæ rationis ab nostris? Nulli sunt ex Catholicis, inquit Bellarminus Kemnitio respondens, (*lib.* 2. *cap.* 12. *obj.* 4.) qui dicant, Paulum accepisse pretium pro debito incestuosi ex operibus supererogatoriis Ecclesiæ Corinthiacæ. Sed quum Catholici dicant, Paulum ad intercessionem,

id est, ad preces Ecclesiæ Corinthiacæ condonasse aliquam pœnitentiæ partem Corinthio pœnitenti, Kemnitius ita interpretatur, ut dicere voluerint, oblatum fuisse pretium operum supererogationis. Sed hæc responsio argumentum Kemnitii non enervat. Sic enim impius ille argumentatur. Antiquissimum Indulgentiæ exemplum afferunt Catholici ex facto Pauli condonantis pœnitentiam residuam incestuoso Corinthio; sed Paulus, ut fateris, non applicavit Corinthio satisfactionem, & bona opera Ecclesiæ Corinthiacæ, tanquam pretium solutorium, aut satisfactorium pro pœna debita: ergo satisfactiones, & bona opera justorum supererogationis non applicantur ad pretium aliquod solutionis, quod Bonaventura asseruit: (*in* 4. *dist.* 20.) ergo per indulgentiam non datur pœnitenti ex thesauro, sive ex bonis Ecclesiæ communibus unde debitum solvat, quod dixit D. Thomas, quod Cajetanus, quod Bellarminus dicunt, omnes quidem boni Catholici. Quod si juxta Scholasticos ab sæculo 12., aut 13., ita & non aliter conceditur indulgentia; hoc autem a Paulo, a Cypriano, & antiquis Episcopis factum non fuit: antiquæ ergo indulgentiæ non sunt ejusdem, sed diversissimæ rationis ab his, quæ nunc sunt, atque adeo harum antiquus usus in Ecclesia illis exemplis non bene probatur. Profecto, inquit Maldonatus, Scholastici, qui defendunt contrariam sententiam, non video quomodo Indulgentias tueri possint, præsertim contra Hæreticos objicientes rei novitatem, quum cogantur concedere, (ut Durandus, & omnes fere concedunt Scholastici) indulgentias quales illi esse dicunt, non fuisse ante annos quadringentos. Istæ quidem relaxationes semper fuerunt, sed quia non vocabantur Indulgentiæ, non cognoverunt illas Scholastici, quum apud veteres legerent.... Certum est autem, Ecclesiam nunquam voluisse novas Indulgentias introducere, sed antiquas concedere. Hæc ille de Indulg. quæst. 1. tom. 2. de Sacram.

23. Jam vero quæ antiquitas, quæ indulgentiæ Ecclesiasticæ traditio esset, atque authoritas sufficiens ad dogma fidei stabiliendum, si solum ab tempore Gregorii M., qui exeunte sæc. 6. Pontificatum iniit, ejus usus, aut origo assumeretur? Nulla siquidem Traditio ad dogma Catholicum pertinet, nisi quæ ab divina Christi, aut Apostolica authoritate descendit. Catholicum enim est, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper aut creditum, aut observatum est. Quid si negabitur, Indulgentias, uti nunc conceduntur, ab Gregorii tempore incœpisse? Hoc quidem nisi omnino impudenter ab Adversariis negari non posse, inquit Bellarminus. (*lib.* 1. *cap.* 3.) At non ii, qui Indulgentiis adversantur; sed ii, qui salutares, qui antiquissimas Indulgentias tuentur, hoc negant Mabillonius, Papebrochius, & Bollandiani, Christianus Lupus, Amortius. Infelicissime profecto Indulgen-

tiarum antiquitatem, & Tridentini definitionem defendunt, & qui ab ætate Gregorii earum, quæ nunc sunt, originem ducunt, & multo infelicius qui nec ab Gregorio eam derivare possunt, nisi vulgaribus, & nullius fidei testimoniis. Adducitur namque ante Greg. M. longe Silvester I., qui ut in tabula legitur in Basilica Lateranensi appensa ei Ecclesiæ indulgentiam concessit per hæc verba ad Constantinum dicta: Dominus meus JESUS Christus, qui te mundavit a lepra, & purificavit te fontis baptismo, per suam misericordiam mundet, & purificet omnes huc venientes absque peccato mortali, atque authoritate Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra sit eis remissio omnium peccatorum quocumque anni tempore. Item S. Greg. qui hanc Ecclesiam consecravit post destructionem ejusdem factam per hæreticos, confirmavit indulgentiam positam per dictum Silvestrum. Adducitur II. Indulgentia ab Gregorio Magno concessa visitantibus septem Ecclesias Stationum urbis, quas probant testimoniis Bonifacii VIII. Frequenti considerationis indagine perlustramus, & intra claustra pectoris solicita meditatione discutimus, qualiter B. Greg. urbis Ecclesiis primo, prout tradidit antiquitas, & alii postmodum Romani Pontifices diversorum tenorum Stationarias Indulgentias concesserunt. D. Thomæ ajentis: (*in* 4. *di.* 20. *q.* 1. *art.* 5.) cujusmodi sunt septennes indulgentiæ a B. Gregorio in stationibus Romæ concessæ. Guillielmi Altisiodorens. part. 4. tract. 6. (*cap.* 9.) III. Adducuntur Indulgentiæ concessæ ab Leone III. in Dedicatione Ecclesiæ Aquisgranensis, & in Canonizatione S. Swiberti, ut S. Ludgerus scribit. (*apud Surium tom.* 2. *Martii* 1.) IV. Indulgentia concessa ab Sergio II. visitantibus Ecclesiam S. Martini in montibus, ut constat ex marmore ibi inciso litteris, inquit Bellarminus, (*cap.* 3. *cit.*) antiquissimis, ut nulla fingi possit fraudis suspicio. Sedebant autem Leo III. ann. 803., Sergius II. ann. 845. At has omnes Indulgentias ante undecimum sæculum falsas, suppositiasque esse demonstrarunt multis argumentis Joannes Morinus, Bollandus, Henschenius, Papebrochius, Pagius, Mabillonius, Amortius, & alii ex Criticis. Et Silvestri quidem oratio ad Constantinum dicta ex sese falsitatem præsefert. Sanctum Gregorium, ait Papebrochius, agnoscimus Stationum authorem; sed qui hoc nos docuerunt Joannes Diaconus in vita Gregorii, (2. *cap.* 18.) Anastasius, & Guillielmus Bibliothecarius de Indulgentiis tacent. Sic item Pagius, sic Morinus. (*lib.* 10. *de Pænit. cap.* 19. & 20.) Hoc tamen asserit Bonifacius VIII. Sed Pontifici etiam frequenti considerationis indagine aliquid perlustranti, ait Papebrochius, quidpiam obrepere posse in iis, quæ pure historica, & meri facti sunt, non dubium est. Quod autem ait: prout tradidit antiquitas, ad vulgarem Romanæ plebis opinionem referendum est, quæ jam Bonifacii tempore in-

valuerat. Hoc tamen asserit D. Thomas. Sed D. Thomæ institutum, ait Natalis Alexander, non fuit expendere quæstiones Chronologicas, & Historicas, unde pronum fuit, ut a vera temporum, & historiæ ratione recederet. Adde, Commentaria in libros Sententiarum admodum juvenem S. Thomam scripsisse, & ea, qua erat modestia, atque in antiquiores reverentia, Altisiodorensi ita scribenti aurem præbuisse in re præsertim, quam obiter exempli, non probationis causa commemorat. Swibertinam vitam, quanta est, fabulam esse, ostendit Bollandus, & Epistolam illam S. Ludgeri nomini suppositam esse. Idem Morinus, idem Papebrochius, idem Henschenius, idem Pagius, & Muratorius, idem Sanfelicius. De Sergii II. Indulgentiis, & marmore Ecclesiæ S. Martini idem habent hi Ecclesiasticarum antiquitatum eruderatores maxime Papebrochius, (*diss.* 17.) ubi ex Scheltrato affert, eum lapidem ann. 1294. videri positum, quo Ecclesia illa Carmelitanis tradita, novum cultum recepit, ab his instaurata, ac renovata. Nemo, inquit Papebrochius, mihi opponat Suarem, & alios magni nominis Theologos, sed Criticos, & Historicos infelices, quoties occasio aliqua illos in tale argumentum impegit, referre contentos quidquid quærentibus primum occurrit. Magis mirum est, pergit, Bellarminum, & Baronium, qui ad insignem Theologicam scientiam, non vulgarem addiderunt Antiquitatis cognitionem, his argumentationibus, quas ut insufficientes multi rejiciunt, adversus Hæreticos voluisse pugnare. Denique non negamus, Indulgentias ante decimumtertium sæculum in Ecclesia fuisse; imo ante Gregorium I., ante Silvestrum, ante Cornelium, & Cyprianum, ab ipso Ecclesiæ exordio immutatas fuisse cum Tridentino contendimus. Qui ab Gregorii tempore alterius rationis Indulgentiam inducunt, ut Suarezius, illarum antiquitatem melioribus probent argumentis, & hæreticis earum novitatem objicientibus respondeant. Sed nec satis respondebunt Calvino, & Kemnitio, si probaverint indulgentias ante 12. sæculum in Ecclesia fuisse; probandum est ulterius semper Ecclesiam intellexisse nomine Indulgentiæ applicationem thesauri ex meritis Christi, & Sanctorum conflati per modum pretii, & solutionis, uti Alexander Alensis, & post ipsum Scholastici tradiderunt. Quod si non probabitur, restat, ut vel Ecclesia novam ab sæculo 13. Indulgentiæ notionem, & rationem induxerit, quod Hæretici contra Tridentinum contendunt, vel Indulgentia Ecclesiastica ab hac Scholasticorum opinione, ac doctrina non dependeat, quod Catholici recentiores contendunt.

24. At, inquit Cajetanus: hoc Scholasticorum Doctorum dogma, sic enim loquitur, ab Apostolica Sede meruit approbationem in const. Clem. VI. incipiente Unigenitus, & Leon. X. incip. Exurgat adversus

Lu-

Lutherum. Verba Clementis supra attulimus. Ibi habentur 4. I. Esse in Ecclesia thesaurum passionis, & meritorum Christi infinitum, inexhauribilem. II. Hunc per Petrum, ejusque successores commisisse Ecclesiæ salubriter dispensandum. III. Hujus thesauri applicationem fieri posse, vel pro totali, vel pro partiali remissione pœnæ, vel specialiter singulis, pœnitentibus, & confessis, vel generaliter multis. IV. Ad hujus thesauri cumulum accedere merita Sanctorum. Eadem habentur in Constit. Leonis X. Hæc autem omnia verissima, planissima sunt, & quæ nullus non agnoscit Catholicus. Est quidem in acceptatione divina infinitus thesaurus meritorum Christi, qui nobis & per Sacramenta, & extra Sacramenta per Sacrificium, aut mediis nostris operationibus dispensatur, atque applicatur. Est item in acceptatione divina cumulus meritorum omnium Justorum, quorum intercessione, aut in quorum etiam non explicite intercedentium, gratiam, & considerationem, Deus iram suam a nobis avertit, aut etiam multa largitur. Scriptum est enim: (4. *Reg. cap.* 19.) Propter me, & propter David servum meum non delebo urbem hanc, & alia his similia. Dicuntur ergo a Clemente Sancti adminiculum præstare, non Christo, cujus est infinitum meritum, sed nobis, idque dupliciter, quum quia ipsi orant pro nobis, & eorum precibus Deus multa nobis largitur, quæ alias non esset daturus, tum quia intuitu meritorum Sanctorum Deus nobis parcit, atque auxiliatur. Sic apud Cyprianum legimus, Martyres amicis suis litteras reconciliationis dedisse, aut impetrasse ab Episcopis, non suis sua merita, & passiones communicantes, sed remissionem pœnitentiæ ab Episcopis deposcentes. Pro cujus intelligentia dicimus, hunc Ecclesiæ thesaurum non constare meritis Christi, & Sanctorum, sed solius Christi, cujus ut participes simus, adminiculum præstant preces, & merita Sanctorum. Quia ergo solus Christus est mundi Redemptor, non sine Christi injuria quis diceret, preces, & merita Sanctorum Christo auxiliari, & adminiculum præstare, sed nobis auxiliantur, ut nobis prosit passio, & thesaurus Christi. Nihil ergo accipit Papa a Sanctis, quod nobis donet ad nostri debiti solutionem, sed totum a Christo. Thesaurus igitur Christi nobis applicatus nititur justitia, quia justum redditur Deo pretium pro debitis nostris; merita autem sanctorum nobis aliquatenus applicata, quatenus Deus ad ea respectum habet, quando nobis debita remittit, nituntur misericordia. Videtur ergo thesaurus Ecclesiæ constare meritis Christi, & Sanctorum, quia Sanctorum etiam ad merita Deus respectum habet, quando pœnas remittit, sicut olim ad preces, & merita Martyrum Episcopi pœnitentiam relaxabant. Non est igitur mirum, si Clemens VI. adjungit meritis Christi merita Sanctorum, nam talium conjunctionum exempla haben-

bentur in Scripturis qnum dicitur: Propter me, & propter David servum meum. Reg. 3., (*cap.* 15. *&* 4.) & 4. (19. *&* 20.) Ne avertas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.

25. Rem eamdem, & Clementis sensum eodem modo explicuit Christianus Lupus de Indulg. cap. 7. Quale, inquit, illud sit adminiculum insigniter exposuit in libris de Pœnitent. (1. *cap.* 15.) Sanctus Ambrosius: Velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, & plebis lacrymis abluitur, qui orationibus, & fletibus plebis a peccato redimitur. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, & per unum omnes redimerentur.... Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum est fletu, oratione, dolore, & quasi fermento ejus se totam conspergit, ut per universos ea, quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ, aut compassionis, velut collativa quadam admixtione, purgentur.... (*lib.* 2.) Veniet ad monumentum Christus. Si viderit pro te flere Martham, boni fœminam ministerii, flere Mariam &c. movebitur misericordia, quum viderit in tuo obitu lacrimas plurimorum.... An testes precationes, & conscios refugis? Nonne si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres ut intervenire dignentur, ad genua te ipse prosternas, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores?... Fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lacrymis lavet: videat te Christus mærentem... Amat, ut pro uno multi rogent. In Evangelio motus viduæ, & plurimorum, qui pro ea flebant, lacrymis filium ejus suscitavit. Exaudivit pro Dorcadis resurrectione orantem, quia mulieris illius morte ingemiscebant pauperes. Sic ad preces Corinthiacæ Ecclesiæ incestuoso pepercit Paulus, quin tamen ex supererogatoriis Corinthiorum operibus ei aliquid in pretium contulerit, ut fatetur Bellarminus. (*loc. cit.*) Sic ad intercessionem Martyrum pœnitentias Lapsis relaxabant Episcopi, & tamen nullus Martyrum alterius debitum suo funere solvit, inquit Leo, (*supra cit.*) nihil Martyrum Cruces nobis profuerunt, inquit Ambrosius. (*loc. cit.*) Itaque, pergit Lupus, in Indulgentiis & Christi Capitis, & Corporis mystici, id est, Sanctorum passiones, & merita nobis applicantur; illæ, ut superanbundans pro totius mundi peccatis pretium; istæ, ut ejus pretii applicandi impetratorium, seu de congruo meritorium adminiculum.... Et quidem quomodo Capitis, & Corporis passiones, & merita per Indulgentiarum dispensationem misceantur, non videtur nimis curiose investigandum, inquit Bellarminus, (*lib.* 1. *cap.* 4.) interim Calvini, & Kemnitii in Ecclesiam calumniæ id investigare nos cogunt. Et certum est, inquit Lupus, non sic Christi sanguinem, & merita cum sangui-

ne

ne Martyrum, ac meritis, vel Sanctorum commisceri, ut ex utroque applicetur sua portio, & sic fiat una integra intelligentia. Hoc enim ridiculum est, & ex firmo fundamento ab Calvino impugnatum. Ejusmodi deviæ quorundam Scholasticorum sententiæ ansam sæpius dederunt Hæreticorum in Ecclesiam calumniis. Istorum nugas illi suis venditant tanquam Catholicorum dogmata... Certum est ergo, Sanctorum passiones nobis applicari non posse tanquam condignum satisfactionis pretium. Solum enim impetrando, seu de congruo nobis prodesse possunt, nec aliam virtutem, aut operationem habent in Ecclesiæ thesauro. Hinc Clemens VI. optime definivit, ipsas esse Dominicis satisfactionibus adminiculum. Leo X. solum dixit, ipsas in thesauro Ecclesiæ contineri. Hæc Lupus, & his similia Morinus, & Amortius.

26. Dici etiam potest, quod de simili Bonifacii VIII. constitutione respondet Cajetanus: (*tract.* 15. *de indulg. cap.* 6.) Vereor, ne Bonifacius, non ut Pontifex, sed ut privatus Doctor, & ejus opinionis sectator, illa dixerit verba. Nec inconvenit ipsum ut Doctorem, minus bene dixisse, quum ibidem dixerit, quod indulgentia illa liberabat etiam a votis, quod constat non nisi extorte posse bene intelligi, perspecta illa Jubilæi extravagante.... Potest ergo responderi, ut intelligatur edita secundum opinionem illam tunc, ut videtur communem. Nec mirum alicui videatur, si Ecclesiæ ministri in formis, atque explicationibus hujusmodi utantur opinatis &c. Clemens igitur, qui in Parisiensi Schola fuerat innutritus, ubi hujusmodi explicatio thesauri, & Indulgentiæ nata fuerat sub Alexandro Alensi, & Alberti, Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, & aliorum Magistrorum Parisiensium plausu recepta, Scholasticorum sui temporis opinionem, & modum loquendi sequutus est in explicando Ecclesiæ thesauro, atque ejus dispensatione. Notum est autem Theologis ea, quæ Pontifices in suis constitutionibus sæpe adducunt veluti dogmatis probationes, confirmationes, explicationes, exempla &c. non esse dogmata. Id autem maxime confirmatur apertissime ex ipsa hac Clem. VI. constitutione. Ibi enim dicitur, Constantinum, postquam per B. Silvestrum, sicut per eosdem Apostolos (Petrum, & Paulum) Deo revelante, cognovit, renatus fonte baptismatis fuerat, & a contagio lepræ mundatus; Lateranensem Ecclesiam construxisse.... in cujus pariete primum Salvatoris imago depicta toti Romano populo visibile apparuit. Hæc ibi. Alibi asserit, Romæ ex B. Gregorio requiescere ultra 6. millia Martyrum corpora pro quolibet anni die: caput Pauli dum ictu lictoris truncaretur, ter nomen JESU inclamavisse, & his similia. Unde S. Antoninus, & Romanis PP. addictissimus & magnus Indulgentiarum defensor confitetur, (1. *p. tit.* 10.) copias Bullarum Clementis tantam con-

continere exorbitantiam, ut credi non possit, fuisse bullatas. Quin & Academia Parisiensis apud Wesselum c. 6. temeritatem illam Clementis V. (quod etiam habetur in Indict. Jubilæi ann. 1340. a Clem. VI. dictum) Angelis Dei præcipientis reprehendit, & correxit, sicut quod Cruce signatis, tres, aut quatuor Purgatorii animas, quas vellent elargiebatur. Hæc Wesselus in lib. adversus Jacobum Angularem; ex quo Christianus Lupus de Indulg. c. 4.

27. Majorem vero difficultatem ingerunt duæ Baji propositiones ab Gregorio 13., & Pio V. damnatæ, quæ videntur præjactam doctrinam continere. Prima est: Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœna temporali, non dignum Deo pretium pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte nostri Redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satitfactio nobis applicatur, & communicatur; per passiones autem Sanctorum in Indulgentiis applicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. Secunda propositio talis est apud Bellarminum: (*cap.* 4. *cit.*) Solius Christi satisfactionibus remittitur pœna temporalis; sanctorum autem passiones offeruntur Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Christi. Respondetur tamen, Baii propositiones istas, sicut aliæ ejusdem multæ, vera cum falsis commiscere, & propterea damnari. Falsum est, quod in priori parte primæ propositionis asseritur, nos per bona nostra opera non satisfacere Deo de condigno pro pœna temporali. Dum enim gratia Dei adjuti aliquid facimus, per quod passio Christi nobis applicatur, vere, & proprie de condigno Deo satisfacimus, & tamen Redemptores nostri dici non possumus, quia quamvis pro nobis Deo satisfaciamus, non per nos, aut per opera nostra nuda satisfacimus, sed per virtutem passionis Christi, quæ per proprium motum animæ cooperantis gratiæ applicatur nobis. Pergit Bajus obscuris falsa involvens: Per passiones autem Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta. Quoad culpam, verum; quoad pœnam temporalem subdistinguo: non redimuntur de congruo, nego; de condigno subdistinguo: si Sanctorum oblationem Deus acceptaverit, nego; si Deus non acceptaverit, concedo. Pergit Bajus: Sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, id est, dantur, aut communicantur ab Ecclesia, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. Docuit ergo Bajus per hæc verba I. Passiones Sanctorum nobis per Indulgentias communicari. II. Eas passiones nobis communicari ab Ecclesia, velut ab Rectore communitatis,

qui

qui solus thesauri, sive bonorum communium dispensandorum habet potestatem. III. Eas passiones nobis communes fieri per communionem charitatis, sive ratione unitatis corporis mystici, quod est apud D. Thom., & omnes Scholasticos. IV. Per eas passiones non redimi proprie nostra delicta, neque quoad culpam, quia pro hac nemo potest de condigno pro alio satisfacere, præter Christum, neque quoad pœnam temporalem, quia ut D. Thomas loquitur, suscipiens indulgentiam, non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœnæ, sed datur illi, unde debitum solvat: neque per indulgentiam tollitur quantitas pœnæ ad culpam, quia pro culpa unius alter sponte pœnam sustinuit, nimirum sancti pro nobis.... Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si ipse per se, aut alius pro eo satisfecisset, ita eam consequitur, si sibi, satisfactio alterius, per eum, qui potest, distribuatur: nec per indulgentiam inducitur diminutio reatus, sed faciens, seu concedens indulgentiam, solvit pro eo pœnam, quam debuit, ex bonis Ecclesiæ communibus. V. Tradit passiones, & merita Sanctorum dari nobis, aut communicari per Ecclesiam, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. Quis enim in his, quæ ad salutem spectant, a malo aliquo liberatur, aut bonum quodvis obtinere sperat, nisi per merita Christi, per quem salvati, & liberati sumus? Quidquid ergo in hac secunda parte primæ propositionis traditur, Catholicum est, aut saltem ab communi D. Thomæ, & Scholasticorum doctrina non dissonans; quam damnatam esse nemo dixerit. In secunda autem Baii propositione duæ sunt partes. Prior illa est: Solius Christi satisfactionibus remittitur pœna temporalis. Et hæc erronea est. Non enim solis Christi satisfactionibus, sed etiam nostris, sed etiam Sanctorum, si a Deo acceptentur, pœna temporalis remittitur in Christo, & per Christum. Posterior pars est: Sanctorum autem passiones offeruntur Deo, ut illarum intuitu applicet nobis merita Christi. Et hæc non est erronea per sese, quamvis in sensu Baii erronea esse possit modo statim explicando. Notandum enim cum Amortio, omnem intercessionem sive Sanctorum, sive Ecclesiæ tacite involvere aliquam oblationem, nam preces nostræ, ut Patres docent, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus conjungendæ sunt. Vicissim item certum est, omnem oblationem, qua opera propria, vel aliena dicamus Deo, atque offerimus, pro effectu indebito involvere tacite aliquam deprecationem, adeoque perinde est sive Ecclesia offerendo Deo justorum passiones, atque opera, tendat modo deprecativo, sive oblativo, quia in utroque est eadem mens, atque intentio. Neque in hoc stare potest error propositionum illarum. In hoc ergo stat, quod negent opera justorum habere in se ipsis aliquam condignitatem ex gratia

inhærente, & sanctificante, ratione cujus Deo accepta, & pro pœna temporali aut ipsi operanti, aut pro alio satisfactoria esse possint. Aliud est enim quod omnia justorum opera habeant suam condignitatem, & valorem ex meritis Christi, quod Ecclesia docet, aliud est quod in se nullam habeant condignitatem, quod Lutherus, Bajusque docebant. Item aliud est quod opera justorum ut valeant pro alienis peccatis, indigeant gratuita acceptatione Dei, quod est verissimum, ex quo sequitur, quod debeant offerri modo tacite saltem deprecatorio; aliud est quod si Deus illorum intuitu aliquid concedat, non moveatur ab ipsis bonis operibus ut condignificatis a propria gratia inhabitante in Sanctis ipsis, quod illæ propositiones sonare videntur, & earum Authores asserunt. Sicut enim opera justorum merentur vitam æternam ratione sui, & non præcise per moralem, & extrinsecam imputationem justitiæ Christi; ita etiam satisfaciunt pro aliorum peccatis, si a Deo acceptentur. Hoc tantum est discrimen; quod vita æterna debeatur operibus bonis justorum ex promissione; condonatio autem alieni peccati, aut remissio pœnæ temporalis non ex promissione, (nunquam enim Deus se obligavit ad acceptandam pœnitentiam unius pro alio excepta Christi passione,) sed ex liberali, & gratuita acceptatione Dei. Bajus autem negabat gratiam inhærentem, & opera nostra condignificantem. Ex eadem ergo officina quum prodierint propositiones illæ, & eundem errorem sapiant, merito proscriptæ sunt.... Videntur enim, inquit ad rem eandem Christianus Lupus, Sanctorum passionibus omnem nobis merendi, & pro nobis satisfaciendi virtutem, & efficaciam adimere, quod falsissimum est. Etenim illæ licet non de condigno, tamen pro peccatis nostris satisfaciunt, hi enim veri sunt amici de mammona iniquitatis nobis facti, qui nos, quum defecerimus, recipiant in æterna tabernacula; quod Augustinus intelligit de obsequiis temporalibus, quibus Justorum benevolentiam nobis promeremur, ut eorum apud Deum precibus, & meritis in æterna tabernacula recipiamur. Serm. 23. de Verb. Dom. Dictus ergo Articulus Sanctorum merita, intercessiones, & passiones depressit, easque ab Ecclesiæ thesauro excludere suspectus fuit, ideoque optimo jure proscriptus. Habetur ergo utramque propositionem Baii in prima sui parte erroneam esse, quia propriæ satisfactionis virtutem, & condignitatem negat. In secunda autem solum damnatam esse in sensu Authoris, quamvis verba secundum se non videantur errorem continere. Et de primo quidem D. Thomæ principio satis multa diximus.

128. Nunc secundum discutiendum est, nimirum Indulgentiam valere ratione unitatis corporis mystici, per quam omnia bona opera justorum sunt fidelibus communia: bona autem communia alicujus

cor-

corporis distribuuntur singulis membris per eum, qui præest toti corpori: ergo quum Titius v. g. sit membrum corporis hujus mystici, possunt ei a prælato Ecclesiæ passiones, & merita Sanctorum applicari. Hæc autem argumentatio non plene rem conficit.' Quantitas enim remissionis, ut D. Thomas loquitur, (*q.* 25. *Supplem. art.* 2.) non proportionatur neque causæ, ob quam conceditur indulgentia, neque operi injuncto ad eam consequendam, neque devotioni, & fervori exequentis, sed meritis Ecclesiæ superabundantibus, & ideo secundum quod applicantur merita Ecclesiæ ad istum, Titium v. g., remissionem consequitur. Ad hoc antem quod applicentur ad istum, requiruntur tria, nimirum, authoritas dispensandi hujusmodi merita, sive thesaurum, & unio ejus, cui dispensatur, ad eum qui merebatur, quod fit per charitatem, & ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum, qui ea opera bona fecerunt: fecerunt autem ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ in generali. Unde quæcumque causa adsit, quæ vergat in honorem Dei, & in Ecclesiæ utilitatem, est sufficiens ratio ad indulgentiam concedendam . . . Causa ergo non requiritur ad hoc, quod secundum eam mensuretur remissio pœnæ; sed ad hoc, quod intentio illorum, quorum merita communicantur, ad istum pervenire possint. Bona autem unius communicantur alteri dupliciter. Uno modo per characterem baptismi, per quem omnes unum corpus sumus in Christo . . . . Alio modo per intentionem facientis. Hæc in Supplem. D. Thomæ desumpta ex Comment. in 4. sent. distinct. 20., & sequentibus. Jam vero primus ex his duobus modis non est ad rem. Nam communicatio bonorum, quæ fit per characterem baptismi, & per professionem unius fidei, est in nobis independenter ab omni Ecclesiæ authoritate, & dispensatione thesauri. Unde Scholastici bene multi, qui Indulgentias fundari dicunt in articulo fidei de Communione Sanctorum, nescio ad quem effectum dispensationem thesauri authoritate Ecclesiæ factam inducant, aut quomodo eam tueri possint. Nam etiam sine Indulgentiis, inquit D. Thomas, aliquis est bonorum omnium, quæ in Ecclesia fiunt, particeps, si in charitate sit. Superest ergo, ut passiones, & merita justorum sive mortuorum, seu viventium non communicentur nobis nisi per intentionem facientium ... Sed intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter, aut in generali, aut in speciali, aut in particulari, & singulari. In singulari quidem, sicut quum quis pro alio determinate satisfacit, aut postulat, & sic quivis potest alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut quum quis orat, aut satisfacit pro cognatis, propinquis, confratribus, & benefactoribus. In generali autem, sicut quis opera sua ordinat ad bonum commune totius Ecclesiæ, uti D. Thomas loquitur.

(*q. cit. art.* 1.) Sed quamvis hæc bene dicta sint, tamen applicata ad Indulgentiam non probant thesaurum Ecclesiæ per modum solutionis prodesse. Nam intentio singularis, ac determinata satisfaciendi pro Titio v. g. est magis salutaris, & efficax, quam intentio specialis, & generalis; & tamen etiam si Cajus intendat pro Titio satisfacere, non tamen per eam intentionem, aut per opera cum ea intentione facta reipsa satisfacit, nisi Judex, aut persona offensa talia opera sponte acceptet, & ea sit satisfactione contentus: ergo non intentio eorum, qui talia opera fecerunt, sed acceptatio Judicis, aut personæ offensæ facit, ut Cajus pro Titio condigne satisfaciat. Quod si de hac acceptatione Ecclesia certa non est, quando determinate orat, aut bona sua opera offert pro sedente Papa, aut Imperatore, multo minus certa erit, quando illa offert in speciali, aut in generali. Intentio enim tua non facit, ut opus tuum mihi prosit, sed tantum voluntatem, & studium, quo mihi prodesse cupis. Itaque quod bene dixit Lupus, omnis nostrorum operum pro aliis oblatio, dicatio, aut directio non est nisi congrua intercessio. Intercessio autem neque infallibilem habet effectum, neque justitiæ, sed gratiæ innititur, neque justa, & condigna solutio est, neque omnino solutio. Item: Certior est, & longe salubrior communicatio, seu participatio omnium bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia per charecterem Baptismi, & vinculum charitatis, quam quæ fit per intentionem eorum, qui pro nobis passiones suas, & bona opera Deo obtulerunt, & per adjudicationem Prælatorum Ecclesiæ; sed Ecclesiastica Indulgentia ei participationi non nititur juxta D. Thomam: (*art.* 2. *& in* 4. *loc. cit.*) ergo multo minus inniti poterit ei, quæ fit per intentionem justorum, in qua fundatur adjudicatio, sive applicatio Ecclesiæ. Item: ad dispensandum thesaurum meum alicui satis est, ut habeam potestatem ejus dispensandi, quamvis non attendatur intentio illorum, ex quibus opes habui; quod enim in meam utilitatem, & commodum reliquerunt, ego possum pro lubitu cuiquam dispensare. Nec requiritur, ut ille, cui ex thesauro meo quidquam largior, sit mihi subditus; sed Indulgentia Ecclesiastica necessario exigit jurisdictionem super eum, cui conceditur, ut Innocentius III. definit, (*can.* 62. *cap. cum eo Extra.*) & omnes conveniunt: ergo Indulgentia non innititur ei communicationi, quæ oritur ex intentione operantium, aut ei adjudicationi, & applicationi thesauri per modum solutionis, aut pretii. Hinc D. Thomas sibi constare non videtur. Nam quum in eadem distinctione dixisset: Ratio autem quare valere possunt indulgentiæ est unitas corporis mystici, & quum vidisset, sibi objici posse unitatem corporis mystici, juxta quam est Sanctorum communio per characterem baptismi, & vinculum charitatis, non indigere authoritate clavium,

vium,

vium; per quam nobis applicarentur bona opera omnium timentium Deum, & custodientium mandata ejus, deinde respondet, communicationem illam, quæ fit vi unitatis corporis mystici, seu per characterem nihil conferre ad indulgentiam, nam sic, id est per characterem, & Sanctorum communionem, etiam sine Indulgentiis aliqui sunt participes bonorum omnium, quæ in Ecclesia fiunt, dummodo sit in charitate. Inde præter unitatem corporis mystici recurrit ulterius ad specialem participationem ex intentione Sanctorum generali, qua bona fecerunt. Unde, inquit, si justa causa adsit, potest intentio illius, qui in utilitatem Ecclesiæ operatus est, ad istum continuari. Sed quia opus est, ut mihi continuetur intentio illius, qui mihi reliquit opes, quibus solverem, quum jam per communionem Sanctorum sum particeps omnium bonorum, & thesauri illius, unde nummos hauriam ad solvendum. Aut quid opus est adjudicatione Papæ, aut Episcopi, ut mihi portio aliqua hujus thesauri applicetur, quum per coagmentationem in unum corpus particeps sim omnium timentium Deum, & bonorum quorumcumque operum eorum?

29. Tertium assumit D. Thomas, Prælatos Ecclesiæ habere facultatem hujusmodi thesauri dispensandi. Hoc vero, si intelligatur de passionibus, & meritis Sanctorum, dubium est ex dictis. Si intelligatur de thesauro meritorum, & passionum Christi, certissimum, ac de fide est intra Sacramentum; extra Sacramentum autem restat discutiendum.

30. Hoc enim erat quartum, quod ab D. Thoma assumebatur, nimirum esse in potestate Ecclesiæ dispensare, aut applicare fidelibus merita Christi extra Sacramentum. Id autem probare videntur ea verba D. Thomæ: Et præcipue propter meritum Christi, quod etsi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in Sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam Sacramentorum. Hæc tamen ratio in principiis S. Thomæ rem non probat. Nam juxta ipsum operari effectum Sacramentorum sine Sacramentis pertinet ad potestatem excellentiæ Christi, qui non ita alligavit virtutem suam Sacramentis, ut non possit sine illis eosdem effectus operari; sed potestas Excellentiæ Christi non est communicata, imo forte neque communicabilis Ecclesiæ, ut ipse D. Thomas docet: (3. *p. q.* 64. *art.* 3. & 4.) ergo non potest Ecclesia extra Sacramentum dispensare merita Christi. Confirmatur. Nam sicut dictum est: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. ita dictum est: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum, & in cœlis; sed prima illa potestas non competit Ecclesiæ nisi intra Sacramentum: ergo similiter potestas ligandi, & solvendi. Dices, & quidem recte, peccata quod ad culpam attinet,

de

de qua loquitur primus textus, non posse remitti nisi per Sacramentum; pœnam vero peccatis debitam etiam extra Sacramentum imponi, ac remitti posse. Sed non in hoc sita est vis argumenti, sed in hoc: Quod virtus passionis Christi sicut operatur ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, quod est multo majus, ita etiam ad remissionem temporalis, quod est multo minus; sed eadem virtus passionis Christi applicatur nobis & in Sacramentis, & extra; ergo eosdem effectus operari utrobique potest, atque adeo sicut extra Sacramentum applicatur ad remissionem pœnæ, ita etiam applicari poterit ad remissionem culpæ, & nulla erit Sacramenti pœnitentiæ necessitas, vel falsum est quod meritum passionis Christi etiam sine Sacramento effectum Sacramenti præstare possit, quæ est ratio D. Thomæ, ut pœna extra Sacramentum remitti possit per applicationem meritorum Christi. Hinc Cajetanus, qui inter omnes quostquost his postremis tribus seculis de Indulgentiis scripserunt, unus hanc quæstionem discutiendam suscepit. De hoc, inquit, (*tract.* 8. *de Indulg. q.* 4.) ambiguitas magna est, quoniam conferre effectum Sacramenti sine Sacramento spectat ad claves Excellentiæ, quas constat, non esse Papæ communicatas, sed soli Christo reservatas.... & nulla Scripturæ authoritate, nullave ratione haberi videatur, quod talis dispensatio thesauri, nimirum extra Sacramenta, sit credita Petro... Licet autem difficilis sit notitia quæstionis hujus, quia tamen universalis Ecclesia facto declaravit, Prælatos Ecclesiæ posse hujusmodi thesaurum extra Sacramenta dispensare, dum indulgentias concedunt.... ideo absque hæsitatione dicendum est, etiamsi nulla adesset ratio, talem dispensationem etiam absque Sacramento Prælatis Ecclesiæ competere, quod per Leon. X. determinatum est. Suffragatur huic decisioni ratio tanto acceptabilior, quanto omnes solvit difficultates, quæ accidere in hac re possunt. Communia præsentis Ecclesiæ bona, quæ sunt communicabilia aliter, quam per Sacramenta, sunt etiam dispensabilia a Rectore Ecclesiæ aliter, quam per Sacramenta; sed merita, & passiones Christi, & Sanctorum ut superabundanter satisfactoria sunt communicabilia aliter, quam per Sacramenta: ergo sunt a Rectore Ecclesiæ dispensabilia extra Sacramenta. Major, inquit Cajetanus, nullam videtur habere instantiam. Minor autem manifestatur ex hoc, quod hæc eadem bona, nimirum passiones suas, & merita potuissent Sancti, si voluissent, communicare aliis fidelibus extra Sacramenta: sunt ergo extra Sacramenta communicabilia. En invictam Cajetani argumentationem.

31. Quam vero ambigue, ne dicam frigide, loquutus fuerit, satis patet. Nam ex eo, quod Ecclesia facto ipso declaraverit, Prælatos posse hujusmodi virtute Thesauri indulgentias concedere, non declaravit,

vit, eas concedi per applicationem thesauri adinstar solutionis, & prætii nobis exhibiti, quo satisfaciamus Deo per merita superabundantia Christi & Sanctorum. Clemens VI., qui magis ad Scholasticum loquendi modum accessit, solum ait, Christum reliquisse Ecclesiæ thesaurum suorum meritorum per Petrum, & ejus successores applicandum, & dispensandum, cujus ad cumulum, inquit, merita Sanctorum adminiculum præstare noscuntur, neque distinguit, quod Tournelius ipse fatetur, (*de Pæn. q. ult. art.* 3.) quomodo merita hæc nobis prodesse possunt, vel solutionis, vel tantum suffragii, & impetrationis, imo quum non superabundantis satisfactionis, sed solum meritorum meminerit, probabilius est, solum de modo impetrationis, aut suffragii loquutum, nam merita per modum solutionis applicari nobis non possunt, ut omnes Theologi docent. Leo autem X. (*Bulla contra Lutheri error.*) solum definit, merita Sanctorum in thesauro Ecclesiæ contineri, sed non definit, posse nobis per modum solutionis applicari, imo in Brevi ad Cajetanum ipsum misso de modo solutionis ne quidem meminit. Ait enim: per Indulgentias thesaurum dispensari vel per modum absolutionis indulgentiam conferendo, vel per modum suffragii in alios transferendo. Condignam ergo solutionem ex thesauro Ecclesiæ nobis dari, neque Leo X., neque Clemens VI. definierunt. (*Sarpi his. Con. Trid. lib.* 8.) Neque Ecclesia in Tridentino Concilio congregata rem aliter intellexit. (*Palavic. lib.* 24. *cap.* 4.) Quum enim in Concilio de hoc argumento multa proponerentur, Episcopus Mutinensis Patribus exposuit, longum, atque operosum futurum, si omnia, quæ Theologi de hac re disputant, singillatim discuterentur: sint ne v. g. Indulgentiæ solutiones, an absolutiones, an compensationes, vel suffragia? Item an thesaurus, in quo niti indulgentiarum virtus creditur, constet ex solis meritis Christi, vel etiam Sanctorum? An per modum pretii, an per modum intercessionis applicentur? An ex opere operato, an ex devotione suscipientis vim habeant? His propterea prætermissis, ajebat, duo tantum debere definiri, nimirum, Indulgentiarum utilitatem, & Ecclesiæ in iis conferendis authoritatem. Placuit, inquit Historicus, prudentissimum Mutinensis consilium Patribus; ipsique cum aliis Episcopis, ac Theologis designatis conficiendi Decreti munus injunctum. Decretum autem est hujusmodi: (*Sess.* 25.) Quum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate sibi divinitus tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, aut eas concedendi in Ecclesia potestatem

tem

rem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Hæc igitur tantum certa, indubitata, ex Scripturis, & Patribus desumpta, & Ecclesiæ antiquissima praxi confirmata de Indulgentiis definita sunt. Cætera disputationi hominum derelicta, controversa, dubia; nec credenda simpliciter, sed ad rationis trutinam revocanda. Ratio vero ab Cajetano adducta, quum supponat thesaurum ex meritis Sanctorum conflatum, & redundantes eorum satisfactiones, & facultatem eas applicandi per modum solutionis, & pretii, quæ falsa, aut valde dubia, & male intellecta ostensa sunt, nihil concludit.

32. Propterea aliorum opinio fuit, Indulgentiam proprie non esse nisi commutationem aut Canonicæ, aut Sacramentalis Pœnitentiæ in opus aliquod injunctum, quod ipsa Ecclesia declarat Deo gratum futurum, & sufficiens ad compensandam pœnam ab Sacerdote, aut ab Canone injunctam. Et quidem pium aliquod opus semper injungi ad obtinendam Indulgentiam indubitatum est. Hæc autem opera quandoque graviora sunt, & acerbiora injunctis pœnitentiis, ut quando exigitur ab Europæis profectio in Palæstinam ab bellum contra hostes fidei, aut peregrinatio Compostellana Germanis, aut Romana Hispanis cum majore incommodo, quam jejunia essent, aut eleemosynæ; quandoque æqualia, quandoque item longe minora, sed pro qualitate personarum, temporum, & necessitatum Ecclesiæ æquivalentia, ut si ei, cui jejunium impositum fuerat, visitatio septem Ecclesiarum, aut eleemosyna quævis ad piam causam imponatur. Ad hæc pro talibus, qui impositum, onus rite, ac devote exequuntur Prælatus indulgentiam concedens offert Deo merita Christi, propter quem omnia data optima, & bona perfecta ad nos descendunt a Patre luminum, ejusque authoritate, & nomine residuam, siqua erat, pœnam, remittit, & ab ulteriori debito absolvit. Meritis Christi adjungit pro eodem fine phialas plenas odoramentorum, (*Apoc. cap.* 5.) quæ sunt orationes Sanctorum. Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum est fletu, oratione, & dolore, & quasi fermento ejus se totam conspergit, ut desideratam suæ propitiationis abundantiam pœnitentibus Deus, multiplicatis intercessoribus, largiatur... quorum precibus, meritis, & orationibus, ita eos credit adjuvandos, ut misericordia Domini, & operibus nostris adsit, & votis per Christum D. N. quorum suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus.... quorum orationibus adjuti misericordiam Dei mereamur... qui orationes, & jejunia, & eleemosynas nostras precibus suis adjuvare dignabuntur per JESUM Christum D. N.

33. Duo huic explicationi, quam Recentiores plerique sequuntur,

Lupus, Muratorius, Amortius opponit D. Thomas. (*in Supplem. q.* 25. *art.* 2.) Primum, quia secundum hoc indulgentiæ non valerent ad remissionem pœnæ, sed magis ad commutationem quandam. Pœna enim, quæ in aliam commutatur, non dici potest remissa. Sed hoc argumentum in sententiam veterum Scholasticorum retorquetur. Nam si passiones Christi, & sanctorum applicantur nobis per modum solutionis, & pretii, quod hi authores docent, per indulgentiam nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur.... (*art.* 1. *ad primum.*) nec tollitur proportio pœnæ ad culpam, quia pro culpa unius alius sponte pœnam sustinuit.... (*ad tertium.*) nec diminuitur reatus pœnæ, sed indulgentiam faciens solvit pro eo pœnam, quam alter debuit, ex bonis Ecclesiæ communibus... (*ad secundum.*) nec indulgentiam suscipiens, simpliciter, & proprie loquendo, absolvitur a debito pœnæ, sed datur illi unde debitum solvat. Hæc D. Thomas. Quod si nullum est absurdum pœnam non simpliciter dimitti, quum quis alienis operibus sibi applicatis satisfacit; multo minus absurdum erit eam non proprie remitti, quum quis non aliena, sed propria, & personali afflictione, ac labore, satisfactione, quamvis minore satisfacit. Præterea: doctrina illa vera esse potest, quando opus injunctum pro lucranda indulgentia esset æquale, aut æquivalens pœnitentiæ injunctæ, tunc enim simplex commutatio esset, non proprie indulgentia, unde hoc quivis Confessarius facere potest. Si vero opus injunctum non sit æquale pœnitentiæ injunctæ, veluti si pro septenali jejunio imponatur peregrinatio ad limina Apostolorum, tunc commutatio illa adjunctam habet remissionem pœnæ residuæ, quam peregrinus ille sustinere debuerat. Gratia enim reo fit, quum minus ab eo exigitur, quam pati debuerat, ut perspicuum est. Secundo opponit D. Thomas: (*Suppl. art.* 2.) Quod prædicatio, sive promulgatio indulgentiarum non excusaretur a mendacio, nam quandoque prædicatur Indulgentia longe major, quam justa æstimatio possit requirere, sicut quando Papa concedit septem annos indulgentiæ visitantibus Ecclesiam aliquam. Visitatio enim Ecclesiæ non æquivalet, nec longissime accedit ad afflictionem septennis pœnitentiæ. Negatur tamen assumptum, quod adducta ratio non probat. Nam in satisfactione, quæ est ad Deum, in qua non attenditur reparatio damni, aut nocumenti, nam si male egeris, quid nocebis ei? (*Job. cap.* 35.) Sed reparatio injuriæ, & reparatio amicitiæ æqualitas non attenditur, ut est apud D. Thomam, (3. *p. q.* 85. *art.* 3.) secundum æquivalentiam rei ad rem, sed magis secundum acceptationem ipsius, qui est simul & Judex, & persona offensa. Nam etiam in humanis, si Rex sit a subdito gravissime offensus, & in pœnam exilii, aut etiam mortis incurrat, posset Rex ad urbis preces, vel in gratiam cogna-

torum, & propinquorum, vel ob merita majorum suorum mortis, aut exilii pœnam condonare, & solum ab eo exigere, ut sibi adgeniculetur, aut caput transeunti sibi aperiat, vel in hostes suos bellum gerat, aut quid simile. Hoc autem onus, quamvis levissimum, & non æquivalens neque crimini in Regem commisso, neque pœnæ ei debitæ sufficiens erit ad plenissimam satisfactionem, non quidem ex condignitate, & quantitate operis, sed ex voluntate, & clementia Principis, qui ea satisfactione contentus, ulteriorem, aut graviorem non exigeret. Sic igitur Ecclesia pro pœna septenali, visitationem Ecclesiæ, aut opus aliud levissimum injungens non nos decipit, non enim declarat hoc opus esse pœnam proportionatam neque culpæ commissæ, neque pœnæ Canonicæ, quam Reus sustinere debebat, sed solum declarat hoc opus in præsentibus circumstantiis ita esse Deo gratum, & acceptum, ut pro eo omnem purgatorii pœnam remittat, sicut remitteret per septennem pœnitentiam Canonicam, aut per æquivalentem ab Confessario impositam. Dicetur: Quomodo Ecclesia scire potest sine singulari revelatione, hanc pœnam, aut opus pium injunctum esse a Deo acceptandum pro remissione pœnæ Purgatorii? Repono: Quomodo scire potest, & potuit Ecclesia sine particulari revelatione hanc pœnam Canonicam v. g. septennale jejunium bis in hebdomada, aut similes esse proportionatas adulterio, vel homicidio, & ita Deo acceptas, ut pœnam temporalem omnem remittat, nec ulteriorem in Purgatorio exigat? Unde scire potest Præses Provinciæ ab Rege longe dissito probandam esse veniam, & indulgentiam ab se concessam huic reo, quem ad mortem damnatum, ad triremes, aut in exilium misit? Nimirum dices, etiam sine speciali concessione Principis, id inclusum in Ordinaria illa authoritate sibi commissa ad jus dicendum in Provincia. Ergo similiter in potestate, & jurisdictione a Christo Ecclesiæ commissa, sicut inclusa est facultas leges suo nomine condendi, & pœnas imponendi, ita etiam potestas easdem ex justis causis minuendi, commutandi, ac relaxandi, cum adnexa promissione habendi ratum in cœlis quidquid ipsa ligaverit, aut solverit in terris, non solum quoad culpam, per quam Ecclesia ligat neminem, sed etiam per pœnam, per quam directe ligat, nec solum intra Sacramentum, sed etiam extra.

34. Superest autem pro veterum Scholasticorum sententia potissimum argumentum. Indulgentiæ enim non solum viventibus utiles sunt, & salutares, sed etiam mortuis in Purgatorio detentis, ex communi consensu, & usu Ecclesiæ, & Pontificum concessionibus distinguentibus indulgentias pro vivis, ab his quæ sint applicabiles defunctis; sed Indulgentia mortuis prodesse non potest per modum absolutionis. Nam absolutio est actus jurisdictionis; Ecclesiæ autem Præla-

lati nullam habent jurisdictionem in mortuos. Nec item per viam compensationis, aut commutationis, quia nullum opus eis injungi potest, in quod pœna Purgatorii eis commutetur, quum propter defectum jurisdictionis in Ecclesia, ut supra, tum quia sanctæ illæ animæ sunt extra statum & tempus satisfaciendi. Restat igitur, ut Indulgentiæ solum iis prosint per modum solutionis, aut satisfactionis, & pretii; sed non ex propriis, quum nihil denuo agere possint, quo satisfaciant, vel ut pretium æquivalens solvant: ergo per modum solutionis per aliena merita Christi, & Sanctorum iis ex thesauro Ecclesiæ per legitimos dispensatores applicata, quod erat intentum. Hoc tamen argumentum ex prædictis non difficile diluitur. Majorem enim plane concedimus. Sancta enim, (*Mac.* 12.) & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis, id est, a pœna peccatis debita liberentur. Primam minorem etiam concedimus, nimirum Indulgentiam non prodesse mortuis per modum absolutionis, propter rationem in argumento adductam, per modum, inquam, absolutionis directe in animam defuncti operantis, nam indirecte ipsis prodesse posse, infra cum D. Thoma explicabimus. Concedimus item secundam minorem, nimirum Indulgentiam prodesse non posse per viam commutationis. Nam nec Ecclesia habet authoritatem imponendi, nec ipsi defuncti habent facultatem exequendi opus illud, quod pro obtinenda indulgentia imponitur, & in quod pœna Canonica, aut Sacramentalis commutatur. Restat ergo, ut indulgentia iis solum prosit per modum solutionis ex propriis, aut ex alienis? Nego consequentiam. Sunt enim alii modi, quibus Ecclesia defunctis subvenire potest, nimirum per viam meriti de congruo intercessionis, deprecationis, & suffragii, eoque modo indulgentiam defunctis concedi, & ipsimet Pontifices sæpe in suis Bullis recentioribus testantur, (nam ante decimumquintum sæculum de Indulgentiis pro defunctis nullum est Pontificum documentum) & gravissimi tenent Theologi. Raimundus de Pennafortius in Summa lib. 3. de Pœnit. Alensis part. 4. qu. 23. art. 1. Bonav. in 4. dist. 20. qu. 5. Astosan. lib. 5. tit. 40. Cajet. tr. 16. qu. 5. D. Thomas non nisi indirecte Indulgentiam defunctis prodesse docet in 4. dist. 45. Estius in 4. dist. 20. Dicendum, inquit, indulgentias defunctis prodesse per modum suffragii. Declaravit hoc ante annos 100. Sixtus IV. (in Const. incip. Romani anni 1477.) Nomine autem suffragii auxilium Ecclesiasticum oportet intelligere eo modo, quo fideles per pia opera subveniunt seu vivis, seu defunctis. Pervenit autem hæc indulgentia ad defunctos non per viam justitiæ, sed per viam gratiæ, & misericordiæ. Quare exspectanda est misericordia judicis, Dei nimirum, ut is oblata pro illis suffragia satisfactoria acceptare gratiose dignetur, ut bene explicat Cajetanus. Et hoc probat, inquit

Neesensis, communis sensus fidelium, qui accepta una Indulgentia pro mortuis, aliam de novo solent accipere, & celebrata una Missa in Altari privilegiato, alias plures pro eodem defuncto curant celebrari. Pro hac sententia affert Prognolus Laymanum, Vivaldum, Toletum, Navarrum, Suarezium, Richardum, Durandum, Canum, Sotum, Peltanum, Henriquez & quamvis probabilis sit opinio Soti, Navarri, Valentiæ, Suarezii, & Coninkii asserentium, Indulgentias defunctis infallibiliter prodesse; tamen probabilior est contraria.... Non enim Christus se obligavit ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorum. Ita docent Bonaventura, Richardus, Durandus, Cajetanus, Corduba, Canus, Sotus, Henriquez, & inclinat Bellarminus. His addi possunt Recentiores Natalis Alex., Gottius Card. Patuzzius, Eusebius Amort, Morinus, Lupus, Tournelius, Antoinius, & quotquot de Indulgentiis aliqua cum laude scripserunt.

35. Hæc eadem videtur fuisse mens D. Thomæ (*in* 4. *dis.* 45. *q.* 2. *art.* 3.) dum dixit Indulgentiam defunctis prodesse tantum secundario, & indirecte, quod in duplici sensu, utroque verissimo, intelligi potest. Nam vel fidelis moriebatur ante expletam solennem illam, & Canonicam pœnitentiam, quæ adhuc S. Thomæ ætate non rara erat, vel moriebatur ante expletam pœnitentiam Sacramentalem a Confessore impositam. Hanc autem pœnitentiam sive Canonicam, sive Sacramentalem vel non impleverant ex torpore, & negligentia, ac propriæ salutis contemptu, & hujusmodi nulla indulgentia, aut venia digni erant; vel non impleverant morte præventi, quamvis eam prompto animo suscepissent, & implere aggressi essent, & hi Ecclesiæ gratia, & indulgentia digni erant. Pœnitentia porro solennis, & Canonica, uti dictum est, (*p.* 5. *huj.*) erat quædam Censuræ Ecclesiasticæ species, per quam pœnitens ab Eucharistia, & ab communione fidelium in Sacris excludebatur, neque oblationes ejus ab Ecclesia recipi poterant, nec eorum nomina, si mori contingeret, in Dypticis recitari, nec pro iis sacrificium fieri poterat, aut publica Ecclesiæ suffragia. Quod quia durum erat & ab maternis Ecclesiæ visceribus alienum, statutum est in Conc. Carthag. IV. cap. 79. ut Pœnitentes, qui attente leges exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis (per absolutionem, & reconciliationem) subveniri non possit, memoria eorum orationibus, & oblationibus commendetur. Et in Arelatensi II. cap. 12. De his, qui in Pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum vacuum communione debere dimitti; sed pro eo, quod pœnitentiam honoravit, (id est, prompto, ac devoto animo suscepit, & quod potuit, implevit,) oblatio illius, (aut pro eo facta) recipiatur. Idem in Epaonens. & in Tolet. II.

can.

can. 12. apud Morin. ubi, notatur diversitatem circa hoc fuisse præceptorum, id est, praxi Ecclesiarum. Romana enim Ecclesia contrarium usurpabat antiquitus, ut patet ex Leone ajente Ep. 91. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, priusquam ad statuta remedia perveniat, vitam finierit, quod manens in corpore non receperit consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est eorum, qui sic obierunt, merita, actusque discutere, cum Dominus... quod Sacerdotale ministerium implere non potuit suæ justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis, aut negligentibus accidit, ne me non metuat, & 92. cap. 6. Nos igitur, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Similia Gelasius, qui Vitali defuncto absolutionem negavit in Conc. Rom. dicens: Quod humanæ possibilitatis est desideranti remedia præbeamus, quod supra nostræ facultatis est modum divino judicio relinquentes. Prævaricationis offensam viventibus remittamus quod Ecclesiæ Deo largiente possibile est. Nec nos jam mortuis veniam præstare deposcant, quod nobis possibile non esse manifestum est. Dictum est enim: Quodcumque ligaveris super terram. Quos ergo constat jam non esse super terram, non humano, sed suo judicio reservavit. Nec audet Ecclesia sibimet vindicare quod ipsis BB. Apostolis conspiciat non fuisse concessum, quia alia est causa superstitum, alia defunctorum. Hæc tamen RR. PP. dicta mollius deinceps interpretatus est Inn. III. ut possit, ac debeat ei Ecclesiæ beneficio subveniri, si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quod Ecclesiæ concessa est potestas super terram tanquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos. Et quod legitur, non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo, quum etsi communicatum ei non fuerit, tamen communicandum illi fuisset, quem non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impedivit, & quum in certis casibus a Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse. Et in Concilio Vasensi cap. 2. Qui pœnitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compensatione viventes sine communione inopinato nonumquam transitu in agris, aut in itineribus præveniuntur, eorum oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam, quia nefas est eorum commemorationes excludi ab salutaribus sacris, qui ad eadem fideli affectu contendentes dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiantur. Absolvebantur ergo, & reconciliabantur Ecclesiæ in mortis articulo, remissa eis residua pœni-

nitentia, quam implere non poterant, ut non in Purgatorio præpedirentur, & hæc erat verissima indulgentia directe data adhuc viventibus. Quod si absque absolutione hac, & reconciliatione moriebantur, saltem concedebatur Ministris Ecclesiæ, & fidelibus, ut eorum funera, & memoriam Ecclesiastico affectu prosequerentur, ut eorum nomina in Ecclesiis recitarentur, ut oblationes pro his facerent, & pro iis publica Ecclesia suffragia offerret, quod quidem directe erat solatium pro vivis, quibus ea prohibitio tollebatur, indirecte tamen erat suffragium pro mortuis, qui orationum, & oblationum fiebant participes, atque a Purgatorii pœna levabantur. Et hæc quidem pro his, qui moriebantur Canonicæ, & solenni Pœnitentiæ addicti.

36. In eos autem, qui Pœnitentia Sacramentali non expleta, aut non rite expleta moriebantur, & quibus aliquid pœnæ superest in Purgatorio solvendum, Indulgentia item prodest indirecte, ut D. Thomas docet. Antiquissimum enim documentum indulgentiæ mortuis concessæ est illud Joannis VIII. ann. 878. ubi de militibus in bello contra Paganos occisis, de quibus Pontif. Nos, inquit, pro nostra mediocritate .... intercessione B. Petri .... quantum fas est, absolvimus, (nimirum a censuris, si quibus innodati fuissent) precibusque illos Domino commendamus. Undecim post annos Bajoariæ Episcopi ab Joanne IX. postularunt, ut Arnolphum Imp. defunctum absolveret, ab censura nimirum, quam incurrerat, quia Imperium invasisse credebatur, quod Joannes ille Lamberto adjudicaverat. Id tamen utrum Joannes IX. fecerit, incertum est. Utrumque exemplum affert Mabillonius. Sed ubicumque de absolutione agitur, certum est, eam mortuis non nisi indirecte adhiberi posse, sicut nec damnationem. Tertium exemplum D. Thoma antiquius indulgentiæ pro mortuis eruitur ex Gelasio II ann. 1718., ubi ex parte Dei Omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & SS., & suam in quantum potuit remissionem omnium peccatorum concessit omnibus defunctis, qui in cœmeterio Ecclesiæ Januensis sepulti sunt, aut sepelientur in finem sæculorum. Sed hoc documentum, unde Amortius deduxerit, nescimus. Baronius certe ad ann. 1118. indulgentiam concessam ab Gelasio II. comemorat eleemosynam largientibus pro reparatione Ecclesiæ Cæsaraug. & pro sustentatione Ministrorum, atque item iis, qui in bello contra Saracenos ceciderint, quos, inquit, Sanctorum meritis, & totius Catholicæ Ecclesiæ precibus a vinculis suorum peccatorum absolvimus. At de indulgentia data sepultis non meminit. Reliquæ indulgentiæ pro mortuis sunt D. Thoma posteriores, nec ipsæ tamen videntur directe mortuis concessæ. Habentur enim de hac re duæ Alex. VI. constitutiones, prima ann. 1500. pro Declaratione Jubilæi, ibi: Animabus in Purgatorio existentibus, quæ in Charitate Christo unitæ ex

hac

hac vita migrarunt, & quæ dum viverent, sibi ut hujusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt, paterno affectu, quantum possumus succurrere cupientes, de Divina misericordia, & potestatis Apostolicæ plenitudine volumus, & concedimus .... ut siqui .... pro ipsis animabus .... aliquam eleemosynam in capsa in Basilica S. Petri, eam devote visitando, posuerint, ipsa plenissima indulgentia per modum suffragii ipsis animabus suffragetur. In Bulla autem pro expeditione contra Turcas an. 1502. ait Raimundus Card. per Germaniam Legatus in promulgationis Edicto: Indulsit, ut omnes fideles hujusmodi, & eorum parentes, & benefactores, qui in Charitate decesserint, in omnibus precibus, & suffragiis, Missis, jejuniis, eleemosynis, & reliquis piis operibus in Ecclesia militante fieri solitis participes essent, quam participationis speciem Nicolaus IV. fratribus Tertiariis S. Francisci concessit cum Carmelitanis, & Sixtus IV. Confraternitatis Cincturatorum cum S. Aug. Eremitis, & Cassinensibus cum omnibus Religiosis familiis. Idemque Clemens VII., Joan. XXII. Alex. V. aliis Ordinibus cum aliis absque ulla indulgentiæ specie concesserunt. Nec dissimiles sunt concessiones mortuis factæ ab Julio II. ann. 1510., & Leone X. ann. 1517. Est & alia indulgentiæ in mortuos indirectæ species in Bullis Pontificum D. Thoma posteriorum non rara, qua indulgentiam concedebant vivis, qui pro defunctis orarent. Sic orantibus pro Carolo Rege Siciliæ indulgentiam concessit Nicolaus IV. an. 1289. & Clemens V. an. 1309. Innocent. IV. an. 1251. orantibus ad Sepulchrum Berengariæ Ferdinandi Regis Hispaniæ Matris, Joannes XXII. orantibus pro anima Ludovici Galliarum Regis, & pro anima Philippi an. 1322. Paulus II. Orantibus pro anima Ferdinandi Isabellæ Burgundicæ filio in Capella Ulyssiponensi, S. Antonii ann. 1470. Pius IV. an. 1560. pro fratribus Archiconfraternitatis Orationis, & Mortis indulgentiam concessit iis, qui mortuos sepeliverint, & pro iis oraverint. Idem Clemens VIII. pro Confratribus B. Mariæ de Suffragio ann. 1594. Quum ergo nullam facultatem nunc Ecclesia acquisierit, quam per 15. præcedentia sæcula non habuerit: quumque in concedendis indulgentiis eadem nunc sit Ecclesiæ mens, atque intentio, quæ ab antiquissimis temporibus fuerat, ad quæ nos Tridentinum Concilium revocat, manifestum est, præsentes de mortuis indulgentias non nisi indirecte mortuis prodesse per modum suffragii, intercessionis, atque applicationis nostrorum operum, quæ tamen neque de condigno, neque ex justitia, sed ex pura Dei misericordia effectum habent, quando, nimirum, pro ipsorum satisfactione Deo offeruntur, & ab clementissimo Judice misericorditer acceptantur. Ita de valore Indulgentiarum pro defunctis sentiunt, præter antiquos citatos, fere omnes Recentiores Theologi. Hic Morinus, (*lib.*

10.

10.*cap.* 9.) qui omnes fere hodiernæ Ecclesiæ praxes, veterum innovationes fuisse contendit, & earum Epochas, & originem earum figere gestit, Non abs re, inquit, interrogabit Lector, quando cœperunt Pontifices disciplinam istam immutare? Statuit vero post Vigilium, aut ipso sedente hanc potestatem damnandi, aut absolvendi mortuos usurpari cœpisse. Nam in quinta Synodo acerrime disputatum est an aliquis post mortem condemnari posset. Sed hanc Epocham, ut alias hujus authoris multas, falsam esse, patet. I. Nam in Quinta eadem Synodo, sive Constantinopolitana II. habita ann. 553. Sextilianus Africanus Episcopus sic loquitur: Anterioribus temporibus in nostra Provincia multi Episcopi congregati.... statuerunt de Episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates reliquerant, ut post mortem anathemati subjiciantur; sed anteriora tempora dici non possent pauci anni, nimirum 50., aut 60. anni, quos ætati habere poterat Sextilianus: ergo multo ante quintam Synodum ea disciplina invaluerat. II. Cyprianus trecentis ferre annis præcessit Synodum quintam; sed jam tempore Cypriani exstabat Canon antiquus, ut Christiani, qui Clericum tutorem, aut Procuratorem suarum rerum testamento reliquissent, anathemati subjicerentur, nec ejus oblationes reciperentur, aut pro eo sacrificia offerrentur, quod erat mortuum anathemati subjicere. Locum Cypriani alibi (*lib.* 12. *pr.* 12.) dedimus. Scribebat autem Cyprianus medio sæculo 3., & Canones illos ut antiquitate venerandos adducit: ergo saltem jam secundo sæculo mos subjiciendi anathemati mortuos, & consequenter eos absolvendi invaluerat. Igitur si sapuisset Morinus, respondere suo lectori debuerat: Si agitur de damnatione, & absolutione directa, hanc nunquam in mortuos sibi arrogavit Ecclesia: Si agitur de indirecta, hanc ab Apostolorum temporibus semper exercuit, aut exercere potuit Ecclesia. Nihil igitur ab Pontificibus immutatum est, aut innovatum.

37. Liquet ergo ex dictis in tota hac disputasione I. Esse in Ecclesia potestatem concedendi Pœnitentibus Indulgentiam sive remittendi pœnam temporalem sive Canonicam, sive Sacramentalem illi æquivalentem. II. Eam remissionem valituram non solum in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro Dei pro pœna Purgatorii. III. Eam potestatem ab antiquissimis temporibus, id est, Apostolicis in Ecclesia usitatam. IV. Usum Indulgentiarum populo Christiano esse maxime salutarem. V. Eam potestatem nec habere Ecclesiam nisi ex meritis Christi, nec eam exercere nisi dependenter a meritis Christi, sine quibus nullum opus, aut nostrum, aut alienum vim ullam satisfactoriam habere potest. VI. Ecclesiam in concessione Indulgentiæ intuitum etiam habere ad merita, & passiones Sanctorum, sive vivorum, sive mortuorum, quos honorare Deus vult, & quos honorando

Deum

Deum honorat. VII. Concessionem Indulgentiarum esse actum jurisdictionis, adeoque nec nunc, nec antiquitus datam nisi ab Pontifice, aut Episcopis, aut iis, quibus illi vices suas commiserint. VIII. Effectum Indulgentiarum pro vivis esse infallibilem ubicumque adest in conferente authoritas, in causa pietas, in suscipiente congrua dispositio. Ad congruam autem dispositionem requiritur 1. Ut suscepturus indulgentiam sit baptizatus. 2. Ut sit indulgenti subditus. 3. Ut non sit ab Ecclesia actu segregatus per excommunicationem. 4. Ut omne id, quod ad indulgentiam imponitur, fideliter exequatur. 5. Ut id exequatur in charitate, sive in statu gratiæ, & spiritu Pœnitentiæ. Et quidem circa prima quatuor nullum est dubium apud eos, qui non penitus indulgentiam sustulerunt. De quinto autem duplex est controversia. Author enim recentissimus Tractatus de Indulgentiis (*edit. Pistory. an.* 1786.) inter abusus cum Scholastico, ut ipse loquitur, Thesauro natos, hunc etiam recenset, ut docuerint, ad obtinendam indulgentiam statum gratiæ necessarium esse, quod falsum esse probat hac argumentatione: Indulgentiæ est remissio pœnæ Canonicæ necessario adimplendæ ante absolutionem, seu reconciliationem Pœnitentis; sed ante absolutionem pœnitens non est in statu gratiæ; culpa enim non remittitur, nisi per absolutionem, saltem ut plurimum. Paucissimi enim sunt, qui extra Sacramentum, vel ante Sacramenti perfectionem, adeo ferventi charitate sint præditi, ut per illam justificari possint: ergo antequam justificati essent, plerique pœnitentes indulgentia potiebantur. Hæc tamen argumentatio duplici laborat æquivocatione, eaque detecta evanescit. Nam primo, nomine Pœnitentiæ Canonicæ intelligit dumtaxat solennem illam, & publicam per quatuor illos stationum gradus supra (*prop.* 5.) explicatos fieri solitam. Hæc autem, ut supra dictum, non imponebatur pro omnibus peccatis, sed solum pro publicis, nec pro omnibus publicis, sed pro tribus gravissimis Idololatria, homicidio, & adulterio, nec pro his semper, sed solum quando rei erant ad externum Ecclesiæ tribunal denunciati, & judiciali confessione, aut testibus, vel aliis documentis convicti, ut supra (*prop.* 5.) contra Morinum exposuimus. Unde propter peccata soli Sacerdoti in foro Sacramentali detecta, nemo neque Pœnitentiæ illi Canonicæ, neque publicæ ulli subjectus fuit unquam nisi volens. Quum ergo dicimus Indulgentiam esse remissionem pœnæ Canonicæ, non intelligimus solum solennem illam in Capite Quadragesimæ, sed omnem omnino pœnitentiam sive per canones pœnitentiales, sive illis æquivalentes per Confessarios impositas, sive publice, sive privatim exercendas. Hinc autem & secunda æquivocatio oritur de Absolutionis nomine, & tempore. In nomine quidem, nam author confundit Absolutionem Sacramentalem, quæ dari

potest a quovis Sacerdote, cum absolutione, aut reconciliatione solenni, quæ dari non poterat nisi per impositionem manuum ab Episcopo, & ab nullo Presbytero, nisi de Episcopi authoritate. Ad absolutionem Sacramentalem, quæ est a culpa, non requiritur, ut satisfactio, aut Pœnitentia præcesserit, sed sufficit acceptatio, & serium satisfaciendi propositum, quo Deus, & ejus Minister contentus est. Ad absolutionem vero illam judicialem, & solennem, per quam non solum Deo satisfaciendum erat, sed etiam Ecclesiæ, quæ non intuetur corda, opus erat, ut de exequutione pœnitentiæ, seu de satisfactione constaret, & ideo Pœnitentia, aut ejus remissio necessario absolutioni præmittebatur, vel ipsa absolutio ante completum tempus pœnitentiæ erat indulgentia, seu residuæ pœnæ remissio. Nimirum quisque suos patimur manes. Et qui Scholasticos ab Alexandro Alensi deceptos arbitrantur, se a Morino omnia confundente, millies deceptos non vident. Vide quæ supra (*prop.* 4. *huj.*) de Absolutione diximus. Statuendum est ergo cum communi DD. Nemini Indulgentiam prodesse nisi in statu gratiæ, & charitatis. Ratio est invictissima D. Thomæ: (*in* 4. *dist.* 20. *cit.* & *in suppl. q.* 27. *art.* 1.) Pœna est pedissequa culpæ, semperque ei, dum permanet, debita: ergo non potest remitti pœna, non remissa culpa; sed culpa non remittitur nisi per gratiam: ergo remissio pœnæ supponit statum gratiæ. Item: Quicumque est in statu peccati, reus est pœnæ æternæ; sed ei, cui debetur pœna æterna, non potest remitti pœna temporalis: ergo quum Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis, præsupponit remissum reatum pœnæ æternæ; sed reatus pœnæ æternæ non remittitur, nisi remissa culpa: ergo &c. Ulterius. Indulgentia est populo Christiano maxime salutaris, ut supra probatum est, & ab Tridentino definitum; sed nihil est salutare in statu peccati existenti: ergo. Denique. Opus injunctum pro obtinenda indulgentia est suppletivum ejus satisfactionis, quam Deo debebamus per Canonicam, aut Sacramentalem lem Pœnitentiam; sed vim Sacramentalis satisfactionis nihil supplere potest, nisi sit quodammodo satisfactorium aut ex natura ipsius operis, aut ex voluntate personæ offensæ illud ad satisfactionem acceptantis: opus autem nisi in statu gratiæ fiat, nec satisfactorium esse potest, nec a Deo acceptari: ergo &c.

38. Secundæ quæstioni occasionem dedit opinio Cajetani asserentis, (*tom.* 1. *opusc. tract.* 10. *q.* 1.) non obtineri indulgentiam, nisi suscipiens præter dicta habeat serium propositum satisfaciendi per bona opera pro iis peccatis, de quorum pœna indulgentiam obtinuit. Eam sententiam sequutus est Navarrus, aliique Recentiores, eamque acriter tuetur Amortius, & Pattuzius inquiens: Requiritur præter statum gratiæ, propositum sincerum, & efficax satisfaciendi Deo pro peccatis,

tis, sive faciendi fructus dignos pœnitentiæ: propositum, inquam, sincerum, & efficax, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires, & facultatem subjecti, aliasque, quæ occurrere possunt, circumstantias. Dicunt ergo, indulgentias solum valere per modum subsidii, quo subvenitur infirmitati humanæ solum ex ea parte, ad quam humana facultas, ac diligentia non sufficit. Hinc citatus Anonymus huic interrogationi: Quanta est pœnitentia peragenda ad obtinendam indulgentiam? Respondeo, inquit: Omnis illa, quæ fieri potest. Addo, cum omni illo fervore, & conatu, quo fieri potest. Pro hujus opinionis confirmatione, viginti septem argumentis pugnat Amort. Primum argumentum confirmat, & exponit exemplis 26. Secundum argumentum confirmat inductione Indulgentiarum, quarum decem genera enumerat. Tertium argumentum corroborat summorum Pontificum, & Conciliorum decisionibus. Quartum argumentum fulcit ratione. Quintum testimoniis PP. Sextum confirmat rationibus 36. His adnectit loca, & testimonia septuaginta Theologorum. Hæc tamen ad unam simplicissimam argumentationem reducuntur. Ecclesia in Conciliis Lateran., & Tridentino fatetur per immodicas indulgentias disciplinam Canonicam enervari: ergo non intendit immodicas, & indiscretas indulgentias concedere: Ecclesia nec debet, neque potest tollere obligationem satisfaciendi Deo per congruam pœnitentiam; tolleret autem, si per Indulgentias ubivis obvias gestandi aliquod numisma, recitandi aliquod *Pater*, se sistendi ad benedictionem Papæ, homines eximerentur ab obligatione satisfaciendi pro suis peccatis: ergo ab hac obligatione eos non eximit. Omnia dicta Conciliorum, Pontificum, Sanctorum, Theologorum illud sonant, quod ab Gregorio VII. scriptum est Episcopo Lyncolniensi: Absolutionem tibi mittere duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum mundum Deo templum exhibueris. Unde Baronius, (*lib.* 11. *ibid.*) ut appareat, ait, Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum vires suppetunt, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus. Quapropter, (quod aureum Bellarmini dictum vocavit Bened. XIV.) prudentes Christiani sic accipiunt Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere . . . Utilius enim est, & tutius pro se satisfacere, quam Indulgentias quærere, sed utroque utilius est istud facere, & illud non omittere.

39. Quamvis autem hæc omnia vera sint, Cajetani tamen, & Amortii explicatio, ac sententia, ac Recentiorum illorum communiter ab Theologis rejicitur tanquam nova, quod & ipse Cajetanus fate-

tur, & Amortius, qui contrariam sententiam & validam, & numerosam vocat. Jam vero quomodo valida, & numerosa esse potest opinio contraria, quando Amortio unus supra septuaginta Theologi, Patres 36. a secundo ad decimum sæculum, quatuordecim RR. PP., rationes 36., exempla 26., argumenta 27 suffragantur? Nimirum, quia omnia illa ad rem non faciunt. Aliud est quod ille opinatur, aliud quod illa Concilia, & Patres, & Pontifices, & Theologi docent. Unde Bellarminus, (*lib.* 1. *cap.* 13.) qui proculdubio omnia illa Concilia, & Patres, & Pontifices, & Theologos præter paucos eo Recentiores legerat, tamen Nullum legi, inquit, qui Cajetani sententiam sequatur præter Bartholomæum Fumum. Quid ergo dicendum? Distinguendum est ut supra cum Bertholdo Episcopo Chiemensi inter Pœnitentiam Evangelicam, & Pœnitentiam Canonicam, cujus distinctionis ignoratione omnes Catholici isti Doctores idem in re dicunt, sed in explicatione, & loquendi modo dissentiunt. Pœnitentia Evangelica consistit in detestatione peccati, in contritione, & humiliatione cordis, in odio habendo animam suam, in jugi, & perpetua abnegatione sui ipsius, in crucifigendo cum Christo carnem suam, appetitus nimirum, & concupiscentias carnis &c., per quæ tota Christiana vita pœnitentia est. Unde ab hac nemo unquam eximitur neque per Indulgentiam, neque per Sacramentum. Hancque in pœnitentibus dispositionem, nimirum studium virtutum, peccati fugam, emendandæ vitæ conatum, & suæ salutis solicitudinem omnia Concilia, Patres, Pontifices, ac Theologi requisierunt semper, ac requirunt. Alia est pœnitentia Canonica, aut Sacramentalis ei æquivalens præteriti peccati vindicativa, & punitiva per opera acerbiora, & carnis afflictiva, ut peregrinationes, jejunia, abstinentia a vino, ab carnibus, ab uxore, stationes, vigiliæ, &c. quas in certa mensura Canones, aut Confessarii pœnitentibus imponunt, & hæ, quum impletæ fuerint, aut per indulgentiam remissæ, omnis extinguitur obligatio eas exequendi, aut Deo per eas satisfaciendi. Nam cur enim determinatum tempus, & numerum jejuniorum, aut chameuniarum &c. Canones, & Sacerdotes imponunt, si per totam vitam pro quovis peccato jejunare, aut humicubare tenemur, sicut nos abnegare, & crucem ferre? Si post plenam solutionem, aut relaxationem creditoris manet idem debitum, quid solutio, aut gratia creditoris prodest? Itaque hi authores, quod plerumque accidit, sub severitatis & rigidioris doctrinæ specie, vim nostrarum satisfactionum, & Ecclesiasticam indulgentiam de medio tollunt cum Luthero, & Calvino. Nam qui Dei gratia adjutus facit totum quod potest, & cum omni eo fervore, & conatu, quo potest, vel satisfacit, vel non? Si satisfacit? ergo Ecclesiasticæ Indulgentiæ subsidium est inutile. Si non satisfacit:

cit: ergo sine Ecclesiasticæ Indulgentiæ subsidio nemo potest de condigno per propria opera satisfacere Deo pro peccato. Deinde quomodo satis non facit, qui facit totum quod potest? quum ab eo, qui facit totum, quod potest, nihil amplius Deus exigere possit? Sed nimirum nunquam Deo æquivalens, aut condignum reddi potest. Respondit dudum D. Thomas: Licet Deo æquivalens satisfactio reddi non potest, tamen sufficiens ei reddi potest. Quamvis enim homo totum suum posse debeat in Dei obsequium, & servitium impendere, non tamen ab eo de necessitate exigitur, ut totum quod possit, faciat; quia hoc est impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posse suum ad aliquid unum expendat, quum oporteat eum circa multa alia solicitum esse; sed est quædam mensura homini adhibita, quæ ab eo solum de necessitate salutis exigitur, nimirum impletio mandatorum Dei & super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat. Hæc in 4. dist. 15. qu. 1. art. 2. Homo enim non potest satisfacere, si ly *satis* importet æqualitatem quantitatis, contingit autem, si importet æqualitatem proportionis.... Satisfactio autem proportionata est, quæ fit secundum voluntatem, & acceptationem personæ offensæ. Ibid.... Itaque quamvis iis, qui consequuntur indulgentias consulendum sit, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur (quamvis a debito pœnitentiæ essent immunes) & præcipue quia plerumque sunt plurimum debitores, quam credant. (*in Suppl. q.* 25. *art.* 1. *ad* 4.) Itaque ex doctrina D. Thomæ, qui consequitur indulgentiam, quamvis a debito pœnæ impunis esset, tamen consulendus est, ut ab operibus pœnitentiæ non abstineat, primo quatenus medicinalis est pœnitentia ad animæ sanitatem, & futurorum præservationem, secundo quia quamvis sit immunis a debito pœnæ pro his peccatis, quæ confessus est, & pro quibus indulgentiam obtinuit, tamen plerumque est debitor pœnæ pro aliis peccatis, aut defectibus, quorum non est sibi conscius. Stant ergo hæc duo, & quod per Indulgentiam homo sit immunis a debito pœnæ Canonicæ, vel Sacramentalis, & quod non sit immunis, & prorsus exemptus ab operibus pœnitentiæ medicinalis, & Evangelicæ, ita ut non teneatur semetipsum abnegare, odio habere animam suam, portare crucem suam, carnem suam crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis, castigare corpus suum, & in servitutem redigere. Nam qui hujusmodi facit, quamvis nolit amplius jejunare, aut ab uxore abstinere, aut humi cubare, aut sacco indui, aut peregrinari Romam, aut flagellari, non ideo otiosus, non ideo torpens, aut in negotio suæ salutis negligens, & indulgentia indignus est. Hinc Amortius ipse, magnus recentis illius opinionis promotor, nihil se ab D. Thomæ, & omnium Catholicorum sententia di-

discedere, volens, nolens fassus est. Quum enim quædam verba D. Thomæ pro se attulisset, subdit: Cæterum quando D. Thomas alibi dicit per indulgentias tolli obligationem satisfaciendi ulterius, loquitur de satisfactione Sacramentali, sive injuncta in Sacramento pœnitentiæ, quæ utique ita tollitur, ut neque coram Deo ad eam obligemur, etiam si Prælatus per indulgentias eam indiscrete remiserit; non vero loquitur de satisfactione, quæ naturali, ac divino jure (Evangelico) debetur. Ea enim penitus tolli non potest. At quis unquam Catholicorum dixit, per indulgentiam eximi Christianum ab Christianæ militiæ lege, & ab Spiritu Pœnitentiæ Evangelicæ, per quam dictum est: Qui non odit animam suam, non est me dignus. Qui non bajulat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus..... Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum Christo. Itaque nova dicendi studio authores isti & in re nihil novi afferunt, & in specie, ac modo loquendi cum Novatoribus, & inimicis Ecclesiæ conveniunt. Nam quid est apud hunc Authorem: Moderna indulgentia, & infinitas indulgentias, quas in immensum auxerunt Pontifices, & ubivis oblatas, & Numismatibus, aut aliis talibus levissimis rebus affixas. Non aliter loqueretur Lutherus.

CANONES TRIDENTINI

de Pœnitentia Sess. 14.

Can. I. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. institutum; anathema sit.

Can. II. Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit verba illa D. Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti; anathema sit.

Can. IV. Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tan-

tum

tum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema sit.

Can. VI. Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat, aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere, aut non solum Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christifidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si

si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

Can. X. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

Can. XI. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

Can. XII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, Orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

Can. XIII. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum JESUM peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

Can. XIV. Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod, virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

PROPOSITIO VIII.

Est in Ecclesia verum Extremæ Unctionis Sacramentum.

1. EST namque, ut in 4. contra Gentes cap. 73. dicitur animæ instrumentum corpus. Instrumentum autem est ad usus principalis agentis: necesse est ergo, ut talis sit dispositio instrumenti, ut competat principali agenti, atque ideo ut corpus disponatur secundum quod congruit operationibus animæ. Ex infirmitate igitur, quæ est peccatum, infirmitas quandoque derivatur ad Corpus, hcc Divino judicio dispensante. Hæc autem corporalis infirmitas interdum utilis est ad animæ sanitatem, quando homo infirmitatem corporalem sustinet humiliter, & patienter, eique quasi in pœnam satisfactoriam convertitur. Est etiam quandoque impeditiva spiritualis salutis, quate-

tenus ex infirmitate corporali impediuntur operationes virtutum. Oportuit igitur, ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, per quam hæc sanetur aliquando, nimirum quando expedit ad salutem, & ad hoc ordinatum est Sacramentum Extremæ Unctionis.

2. Inveniri autem in hac unctione veram, & propriam rationem Sacramenti contra Waldenses, & his recentiores Hæreticos probatur apertissimo testimonio Jacobi Apostoli: (*cap.* 5.) Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Ex quo sic. Signum sensibile & externum ex sua natura perpetuum in Ecclesia, annexam habens promissionem gratiæ, quam solus Deus dare, aut promittere potest, verum est, & proprium Sacramentum, ut supra (*lib.* 15. *prop.* 1.) explicatum est. Hic autem habemus signum sensibile, nimirum unctionem olei, & orationem Sacerdotis, ex sua natura perpetuum, quum semper fuerint, sintque in Ecclesia infirmi, quibus hoc signum applicari jussit Apostolus, & cui promissa est a Deo gratia spiritualis, nimirum remissio peccatorum: Habemus igitur quicquid est de ratione veri, & proprii Sacramenti. Constat ergo, quod ab Tridentino dictum est, (*sess.* 14. *cap.* 1.) institutam esse sacram unctionem infirmorum, tanquam verum, & proprium Sacramentum a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum cap. 6. quum dicitur: Ungebant Apostoli multos ægros, & sanabant; per Jacobum autem Apostolum fidelibus commendatum, & promulgatum. Quare audiendi non sunt, qui docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum, nec promissionem Dei habentem, vel qui illam jam cessasse asserunt quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset &c. Rectissime autem Tridentinum dixit Sacramentum hoc Marci 6. insinuatum. Insinuari enim dicitur, ait hic Bellarminus, (1. *de Extrem. Unction. cap.* 2.) quod non expresse proponitur, sed obscure adumbratur & indicatur. Non enim unctio illa Apostolorum Marc. 6. Sacramentalis erat, quasi tamen Sacramento præludebat, quidquid Catharinus, (*Cont. Cajetan.*) & Maldonatus (*Comm. in 6. Marci & in tract. de hoc Sac. q.* 1.) contrarium velint. Differebat ergo unctio illa a vero Sacramento. I. Quia non erat ibi promissio ulla spiritualis effectus. II. Quia non fiebat ab Sacerdotibus, sed ab Laicis, quales tunc erant Apostoli. III. Quia non dabatur solum in mortis periculo, sed etiam sanis aliquo defectu corporis laborantibus, ut cæcis, claudis, surdis, mutis &c. Rectissime item dixit Tridentinum, Sacramentum hoc fuisse ab Jacobo Apostolo

promulgatum, nec dixit institutum nisi a Christo Domino. Potestas enim instituendi Sacramenta est potestas alligandi effectum gratiæ spiritualis alicui signo sensibili, quod nemo potest facere nisi cognita voluntate, & ordinatione divina. Quum ergo Mag. Sentent., (*in* 4. *dist.* 23.) Alens. (4. *pag. q.* 8. *memb.* 2. *art.* 1.) Bonavent. (*ibi. art.* 2. *q.* 2.) dicunt, hoc Sacramentum fuisse post Ascensionem Christi ab Apostolis institutum, hoc solum dicere voluerunt, tunc per Apostolos nobis innotuisse quum hoc, tum alia multa, quæ Christus eos docuerat per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei, id est de Ecclesia, cujus regimen, & œconomiam ipsis committebat. Nec enim illi dies, qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria. quod est apud Leonem. Serm. 1. de Ascens. Domini.

3. Confirmatur hæc Catholica assertio ex Patrum antiquorum testimoniis. Origenes hom. 2. in Leviticum diversas vias enumerans, quibus in Ecclesia peccata remittuntur, post enumeratam Pœnitentiam, in qua, inquit, impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini &c. Unctionem igitur peccatorum remissivam agnovit. Pœnitentiæ vero adnumerat, quia Extrema unctio est quædam consummatio, & perfectio Pœnitentiæ, sicut Confirmatio est quædam consummatio, & pefectio Baptismi. Unde sicut olim post Baptismum dabatur Confirmatio, ita absolutis per Pœnitentiam conferebatur sacra unctio apud Græcos, de quo more Arcudius, (5. *de Extr. unct. cap. ult.*) & Goarius, (*in notis ad Euchalog.*) ut infra. Chrysostomus item in 3. de Sacerdot. Neque enim tantum quum nos regenerant, per baptismum, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonant. Infirmatur quis, inquit, adducat Presbyteros Ecclesiæ &c. Agnovit ergo per unctionem Sacerdotum condonari peccata. Innocentius item I. in ep. ad Decent. quæ genuina habetur, illud, inquit, Jacobi Apostoli: Infirmatur quis &c. non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.... Pœnitentibus autem, id est publicæ pœnitentiæ addictis, istud infundi non potest, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? Designata ergo erat tempore Innocentii, 1. unctionis hujus sacræ subjectum, nimirum fideles, non sani, sed ægrotantes. 2. Articulus, id est mortis discrimen, quum dicit in sua, vel suorum necessitate. 3. Minister, nimirum Sacerdotes. 4. Materia, nimirum o-

leum

leum ab Episcopo benedictum, quod Chrisma dicitur generali nomine, quia omnis unctio Chrisma est. 5. Qualitas, quum dicitur, esse unum genus Sacramenti, & inde infert, Pœnitentibus, & universim non baptizatis dari non posse, quibus, inquit, reliqua Sacramenta denegantur. Unde & Reis ad mortem damnatis apud nos unctio extrema non conceditur. Hinc testimonium Innoc. qui anno 402. sedebat ab Chrysostomo, Hieronymo, Augustino laudatissimus, & ab ipsis Magdeburgensibus Centuriatoribus pro ritu Visitationis Infirmorum adductus, adeo perspicuum est, ut Kemnitius ad illud ne mutire quidem ausus fuerit, quum alia exponere tentaverit.

4. Accedit author libri de Rectitudine Catholicæ conversationis: Si infirmitas occurrerit, Eucharistiam cum fide, & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum: Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, nec solum corporis, sed etiam animæ sanitatem accipiet. Idem habetur in lib. 2. de Visit. infirm. cap. 4. Habentur hæc inter opera Augustini, & prima quidem desumpta sunt ex serm. 215. de tempore; licet autem Augustini non sint, nec Cæsarii, cui ab aliquibus tribuitur, certe, inquit Suarezius, (*disp.* 39. *de instit. Extr. unct. sect.* 1.) satis antiqui, & gravis authoris sunt, cui proximorum temporum Scriptores favent, nimirum author lib. de Eccl. Hierarchia, (*cap.* 7.) qui Dionysio adscribitur. Sanctorum, inquit, ideo sacra functio divinas participationes largitur, animæ quidem &c. corpori vero per sacratissimam unctionem, & per divinæ communionis augustissima signa totum sanctificans hominem, integramque ipsius salutem operans, & Resurrectionem denuntians. Gregorius Magnus in Sacramentario modum, & formam præscribit, quibus oleum benedici, & infirmis ministrari debet, ut & de præsenti consequatur auxilia, & remedia comprehendat æterna. Multa alia in hujus veritatis confirmationem adduci possunt ex Cyrillo Hierosolym. Catech. 5. Mystagog. Beda lib. 2. in Marcum, & in Epist. Jacobi, Bernardo in vit. Malachiæ Episcopi, ubi hoc Sacramentum in fine vitæ postulasse asserit. Doctrinam eandem afferunt Sacra Concilia, ex quibus Ecclesiæ Catholicæ traditio manifestissime apparet. In Nicæno enim primo can. 69. ex Arabico in Latinum translato mentio fit olei infirmorum, ut distincti ab chrismate, & oleo Catechumenorum. Concilium Cabilonense II. sub Carolo can. 48. sententiæ Jacobi Patrum doctrinam consonare testatur. Wormatiense (*cap.* 72.) citatam Innoc. I. Decretalem transcribit. In Aquisgranensi sub Ludovico Pio (*cap.* 8.) præcipitur Episcopis, ut fer. 5. in Cœna Domini oleum sanctum conficiant, in quo salvatio infirmorum esse creditur, & idem Parochi ab Episcopo accipere jubentur in Concil. Mel-

 don-

densi apud Burchardum. (*lib.* 4. *Decr. cap.* 75.) Adsonat Concil. Moguntinum sub Greg. IV. præside Rabano, (*cap.* 26.) ibi: Sacra unctione animati secundum statuta Sanctorum Patrum &c. Idem in Moguntino alio cap. 34., & in Senonens. cap. de Extr. unction., & apud Innoc. III cap. un. de Sacra unct. Denique in Florentina (*Decret. Eugen.*) & Tridentina (*sess.* 14.) Synodis disertissime. Quum ergo ista duo in Sacramento exigimus, (verba sunt Calvini) (*lib.* 4. *cap.* 19. §. 20.) ut cæremonia sit a Deo instituta, & Dei promissionem annexam habeat, simul postulamus, ut cæremonia nobis tradita sit, & promissio ad nos spectet. Non enim Circumcisio est Sacramentum Christianæ Ecclesiæ, quia nec nobis injuncta, nec nobis facta promissio: ergo quum evidentissime habeatur ex testimonio Jacobi cæremonia unctionis adjunctam habens promissionem remissionis peccatorum, quod nullus potest homo promittere, atque adeo nisi a Deo instituta esse non possit. Et item quum ex constanti praxi Ecclesiæ in Conciliis suis, & sensu Patrum constet apertissime, verba Jacobi non ad homines solum sui temporis, sed ad omnes fideles Christi dicta esse, & ita ab Ecclesia Catholica fideliter accepta, & devote observata ab Origenis tempore usque ad præsentem diem, patet, Extremam unctionem verum esse, & proprium Novæ Legis, & Christianæ Ecclesiæ Sacramentum. Si quis ergo dixerit, (*Trid. cap.* 1.) Extremam Unctionem non esse verum & proprium Sacramentum a Christo Domino institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum, vel jam cessasse, nec conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

5. Ex dictis porro patet, ut solenni more Scholasticorum loquamur, materiam remotam hujus sacræ unctionis esse oleum olivarum ab Episcopo benedictum: materiam proximam esse ipsammet unctionem. Formam illam esse ab Ecclesia usitatam: Per istam Sanctam unctionem &c. Ministrum esse Presbyterum: Subjectum esse ægrotantem fidelem: effectum esse remissionem peccatorum nondum remissorum, & sanitatem corporis, quum expedit ad animæ salutem. Circa hæc omnia autem multas movent quæstiones Scholastici DD., quarum graviores pro Instituto nostro intactas prætermittere non possumus.

6. Circa oleum I. certum est, debere esse oleum ex olivis expressum, quod hoc nomine vulgo significatur. II. Oleum purum, & simplex sufficere, nec permixtum alio liquore officere; sed si data opera permisceatur, culpa non vacabit permiscens, contra Ecclesiæ morem acturus. Olim balsamum oleo admixtum in usu fuisse, aut quid simile, putat Antoinius ex Suarezio, (*disp. cit. sect.* 2.) quoniam Innocen-

centius in Decretali citata Chrisma vocat, & oleum ab Episcopo confectum; confectio autem compositionem importat. Hoc tamen rem non persuadet. Chrisma enim de quacumque unctione dicitur, sicut Christus, unctus. Conficere autem Episcopus oleum dicitur per consecrationem, aut benedictionem. Majus est dubium, an benedictio Episcopi necessaria sit necessitate Sacramenti, an necessitate præcepti, ita ut sine illa Sacramentum sit validum? Pro necessitate Sacramenti stare videtur D. Thomas in 4. Sentent. (*dist.* 23. *q.* 1. *art.* 2.) Bellarminus, (*lib.* 1. *de Extr. unct. cap.* 7.) Estius, (*in* 4. *dist.* 203.) & Suarezius. (*loc. cit.*) Et primo quidem certum videtur, benedictionem personalem Episcopi non esse necessariam. Apud Græcos enim deficiente oleo ab Episcopo consecrato, Parochi oleum pro infirmis ungendis consecrant, ut patet ex eorum Euchologiis, & affirmat Goarius (*in suis not. pag.* 436.) dicens facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho Pontifices ex antiquo more videntur remittere. Nec sunt cogendi, inquit Clemens VIII. in Instructione ad Latinos Episcopos data, Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Diœcesanis accipere, quum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur. Validum est ergo, imo licitum Sacramentum cum oleo non ab Episcopo ipso, sed ab Sacerdote ex Episcopi delegatione benedicto. Hinc pro instructione Neophytorum Rhodiorum, jussu Congregationis de Propag. Synopsis edita est, ubi dicitur, materiam extremæ unctionis esse oleum a Pontifice, vel ab Sacerdotibus, qui aderunt juxta Ecclesiæ morem benedictum. Hoc autem statuto corruit argumentum eorum, qui ex Innoc., & Conciliis probare conantur, benedictionem Episcopalem necessariam esse ad valorem Sacramenti, & probabilior apparet sententia Cajetani, & Maldonati ajentium, solum esse necessariam necessitate præcepti. Sentiat tamen quisque, quod lubet.

7. Circa materiam proximam, nimirum unctionem ipsam, dicendum est, id esse de Essentia Sacramenti ut pars aliqua corporis oleo inungatur. Unctionem oculorum, narium, aurium, oris, & manuum de præcepto, & more Ecclesiæ esse, nec sine peccato ad arbitrium Sacerdotis omitti posse: Reliquas item unctiones, pectoris, scapularum, renum, pedum, ubi ea consuetudo approbata viget, teneatur, nec ad libitum Sacerdotis eas omittere, aut in alias mutare fas sit.

8. Circa formam notandum, differre hoc Sacramentum ab reliquis. Nam in omnibus aliis forma est Indicativa apud Latinos, hic autem deprecativa, quæ illis verbis exprimitur: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid de-

deliquisti &c. Prædicta autem oratio est forma competens huic Sacramento, quia tangit Sacramentum in hoc, quod dicitur: Per istam sanctam unctionem, & illud, quod operatur in Sacramento, scilicet divinam misericordiam, & effectum Sacramenti, scilicet remissionem peccatorum. Constat autem ex verbis Jacobi: oratio fidei &c., & ex usu Rom. Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in ejus collatione, quod scribit D. Thomas in 4. Sentent. (*dist.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2.) Rationem autem inter alias assignat D. Thomas, (*Suppl. q.* 29. *art.* 8.) quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper sequatur ex operatione Ministri, etiam omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti rite peractis, sicut caracter in baptismo, & Confirmatione, transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccatorum in Pœnitentia existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de Essentia hujus Sacramenti, & ideo illius forma non potest esse indicativa, sicut in prædictis Sacramentis. Quæ verba D. Thomæ non ita intelligenda sunt, quasi Extrema unctio non habeat aliquem effectum infallibilem ex opere operato; alias non esset Sacramentum. Est enim hoc Sacramentum principaliter institutum ad sanandam infirmitatem peccati, & ita est quædam spiritualis sanatio, aut medicatio. Unde sicut corporalis sanatio supponit corporalem vitam, ita & spiritualis spiritualem, & ideo hoc Sacramentum non datur contra illos defectus, quibus vita spiritualis tollitur, nimirum peccatum originale, vel actuale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ supernaturalis gratiæ, vel gloriæ. Hic autem defectus nihil est aliud, quam quædam debilitas, & ineptitudo ad opera supernaturalia, quæ in homine relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem, quæ in homine languente major est & vi morbi, & propter formidinem mortis imminentis, homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod mortale, vel veniale, quoad culpam, tollitur & illud, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut de Eucharistia, & Confirmatione supra (*lib.* 15. *pr.* 5. *&* 9.) dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur: Et si in peccatis sit, dimittentur ei, scilicet quoad culpam, quia non semper delet peccatum, quia non semper invenit, sed semper remittit quoad debilitatem prædictam. Unde absolute sine ulla conditione dictum est: Et alleviabit eum Dominus, quam quidem debilitatem, quidam reliquias peccati dicunt. Quum ergo D. Thomas ait, nullum effectum semper sequi infallibiliter ex operatione Ministri, loquitur solum de effectu completo remissionis peccati, quoad culpam, qui

non

non semper certus est, sicut nec effectus corporalis sanitatis. Quod vero hinc D. Thomas infert, non posse hujus Sacramenti formam efferri per modum indicativum, sicut in aliis Sacramentis, difficultate non caret. Nam Ambrosiana Ecclesia Mediolanensis ab antiquis temporibus hac forma utebatur apud Antiquos Scholasticos Albertum Mag. Bonaventuram, Richardum: Ungo te oleo sanctificato, &c. ut more militis præparatus aereas possis superare potestates. Albertus idem refert, (*in* 3. *dist.* 23. *art.* 4.) se lustrasse libros Rituales antiquissimos, & formam deprehendisse meram indicativam, quem ritum administrandæ Extremæ unctionis Germani Gregorianum appellabant. Simile quid de multis Codicibus refert Menardus (*in not. ad lib. Sacram. S. Gregor.*) His autem respondet D. Thomas, (*loc. cit. ad* 3.) verba illa indicativi modi, quæ sunt in usu aliquarum Ecclesiarum, non esse formam hujus Sacramenti, sed dispositiones ad formam, quatenus per ea significatur, & determinatur intentio Ministri ad actum illum, & postea subjungi orationem deprecatoriam. Et hoc etiam insinuant Albertus, (10. *cap. cit.*) & Durandus. (*dist.* 23. *q.* 5.) Sed hæc responsio non videtur sufficiens. Ut enim argumentatur Menardus in Sacramentar. S. Greg. Simili modo posset quis dicere, illa verba: Ego te baptizo; signo te &c. non formam esse, sed præambula ad formam, quum non exprimant effectum Sacramenti, sed actionem, & intentionem conferentis. Ex quo patet, in formis Sacramentorum usum, praximque Catholicæ Ecclesiæ magis attendendam esse, quam rationibus, aut argumentis intrinsecis standum. Unde non dubito, si quis diceret: Ungo te, ut per istam sanctam unctionem dimittat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, recte uncturum; non tamen si diceret: Per istam sanctam unctionem dimitto tibi quidquid &c.

9. Minister porro hujus unctionis designatus est ab Apostolo dicente: inducat Presbyteros Ecclesiæ, id est, non seniores quosvis urbis, aut pagi; sed eos, qui in Ecclesia Presbyteri dicuntur, id est, Sacerdotes, ut contra recentiores hæreticos definitum est ab Tridentino. (*can.* 4.) Ita interpretatus est Innoc. I., (*in Epist.* 1. *ad Decent. cap.* 8.) ac tota intellexit semper Catholica Ecclesia. Quum vero Innocentius ibidem ait, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licere in sua, aut suorum necessitate, intelligendum est uti licere per ministerium Sacerdotum. Nam neque Sacerdos semet ungere potest Sacramentaliter, ut planum est. Non tamen quivis Presbyter est ordinarius Minister, sed solum Pastores, quibus animarum cura incumbit, aut ab iis delegati. Unde in Clem. I. de Regul. excommunicantur Regulares, qui sæculares infirmos ungere præsumant. Sed hoc ad Canonum Interpretes pertinet. Vide Van-Espenium. Apud

Græ-

Græcos, & olim etiam apud Latinos in more positum fuit, ut plures Sacerdotes ad ægrotum ungendum concurrerent, ut apparet ex Sacramentario Gregoriano apud Menardum, atque alibi. Sæculo adhuc 12. non infrequens hic usus erat, unde dubitatum est ab Episcopo Carnotensi, & consultus de hac re Innocent. III., & adhuc medio sæculo 13. scribens D. Thomas in 4. contr. Gentes: (*cap.* 73.) Competit, inquit, huic Sacramento, quod multi Sacerdotes intersint, ut oratione totius Ecclesiæ infirmus coadjuvetur. Unde Jacobus dicit: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes, quem ritum, ut observent Parochos, hortatur Carolus Borromæus Syn. 4. Si tamen unus solus Presbyter adsit, pergit D. Thom., censetur Sacramentum conficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister est, & cujus personam gerit. Idemque responderat Innoc. III. & habetur cap. 14. de verb. signif.

10. Quibus vero Extrema unctio conferenda sit breviter explicuit citatus nuper S. Carolus (*Concilio Mediolan.* 4. *tit.* 6.) dicens: Ministrari debet adultis, nimirum periculose laborantibus, propeque moribundis, & senio confectis, atque in diem morituris, etiam non ægrotis. Excluduntur pueri etiam ægrotantes rationis expertes, mulieres parturientes, pugnaturi, navigaturi, peregrinantes, atque ad ultimum supplicium damnati. Neque illud tempus observari oportet, ut dicitur in Catech. Conc. Trident. quum jam omni spe salutis amissa, vita & sensibus carere incipiant ægroti. Constat enim, ad uberiorem gratiam plurimum valere, si ægrotus quum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur, ne videamur non jam infirmos, sed semimortua cadavera perungere, quod per calumniam dixit Calvinus. (4. *instit. cap.* 19.) Hunc autem abusum 12. sæculo invaluisse, scribit Martennius, (*lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritib. cap.* 7. *art.* 2.) causasque ejus memorat duas. I. falsam persuasionem, quæ vulgo animos invaserat, post susceptam unctionem non licere convalescentibus accessum ad conjuges, esum carnium, & alia hujusmodi. II. avaritiam Ministrorum, qui plura extorquebant ab ungendis, quo morti propriores erant. Unde vix aliquando pauperes hujus Sacramenti participes fieri contingeret. Hæc ille. Difficultatem hic movet Græcorum consuetudo, qui non solum infirmos, sed sanos etiam & vegetos homines quosque extrema unctione, & sæpius inungunt, inquit Leo Allatius, (*lib.* 3. *de consens. Eccl. Occident. & Oriental. cap.* 16.) idque inquit Arcudius, (5. *de Extrem. Unction. cap.* 4.) non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim, & eundem ritum retinent Russia, & universa Moscovia, usque ad nostram ætatem, hancque unctionem Sacramentum appellant, & se verum Sacramentum dare putant, &

su-

suscipere. Goarius vero (*in suis notis ad Euchologi.*) eam unctionem non Sacramentalem haberi a Græcis existimat. Quidquid autem sit de fide & existimatione Græcorum, quæ post eorum ab Latina Ecclesia divisionem non magni æstimanda est, dicendum, eam Græcorum cæremoniam, qua se feria quinta in Cœna Domini ad sacram Synaxim accessuri, Pontifici ungendos offerunt, quod scribit Goarius, vanam esse, atque inutilem, sive Sacramentalem esse credant, sive pium ritum, quo aliquomodo juventur ad expiationem peccatorum. Loco enim Pœnitentiæ, quæ ipsis post absolutionem erat injungenda, eam unctionem suscipiunt quasi pro pœnitentia futuram per quam Deo satisfacere putabant. Id autem eorum commentum diserte improbavit Innoc. IV. scribens ad Ep. Tusculanum: (*an.* 1254.) Nulli, inquiens, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solum injungatur per Sacerdotes, & de Græcis quidem ita dictum esto.

11. Effectus autem hujus Sacramenti est duplex, aut potius triplex. Primus contra peccati reliquias. Secundus contra ipsum peccatum, si quod per præcedentem confessionem, ignoranter fuerit non remissum, aut post confessionem ignoranter subrepserit. Tertius contra vim corporalis morbi, a quo etiam liberat, quum expedit ad salutem. De quibus Jacobus ab hoc ultimo incipiens dicit: Oratio fidei salvabit infirmum. De primo autem ait: Et alleviabit eum Dominus. De secundo autem: Et si in peccatis fuerit, remittentur ei ... Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, ait Tridentinum, (*Sess.* 14. *cap.* 3.) iterum Sacramenti hujus subsidio juvari poterunt, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quibus verbis decisa est controversia, quæ antea fuerat inter Scholasticos DD., prævalente sententia D. Thomæ, (4. *contra Gent. cap.* 73.) qui quum in omnibus post ipsum Conciliis magni habitus fuerit, in Tridentino regnavit, atque veluti sol effulsit Ecclesiæ Dei.

CANONES CONCILII

de Extrema unctione.

Can. I. Si quis dixerit, Extremam unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino Nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, Sacram Infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, Extremæ unctionis ritum & usum, quem ob-

observat S. Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli; ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate Seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

PROPOSI IO IX.

Ministrorum Ecclesiasticorum Ordo verum est, & proprium novæ Legis Sacramentum.

1. OMissis aliis significationibus, Ordinis nomine hic intelligimus Ritum illum, & solennem cæremoniam, qua sacri Ministri initiantur, creanturque, atque ad Altaris ministeria destinantur. Hanc porro cæremoniam verum, & proprium Sacramentum esse contendo. Ut enim sæpe dictum est, & fatetur etiam Calvinus, (4. *Inst. cap.* 14.) ubi est ritus aliquis sensibilis, annexam habens promissionem gratiæ, cujus infusor, & promissor non potest esse nisi Deus, ibi verum est, & proprium Sacramentum; sed Sacri Ministri initiantur, & creantur medio aliquo ritu sensibili, cui ex promissione Dei annexa est gratia sanctificans: ergo Sacri Ministri initiantur, & creantur per verum aliquod Sacramentum. Minor constat. Nam in omnibus ordinibus Ecclesiæ adhibetur & manuum impositio, & oratio sub certa verborum formula, & traditio instrumentorum ad ministerium ordinis cujusque spectantium. Quod autem eis externis, & sensibilibus actionibus gratia promissa sit, diserte testatur Apostolus ad Timotheum scribens: (2. *ad Eund. cap.* 1.) Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.... (1. *cap.* 4.) Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii. Ne tamen putaretur loqui de impositione manuum mere deprecatoria, adjecit alibi: (1. *ad Eund. cap.* 5.) Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Is enim peccatis alienis communicat, qui sacrum munus, & facultatem indigno tribuit.. Unde sensus Apostoli est, vide ne Sacrum ministerium indigno cuivis committas per manuum impositionem.

2. Nam quid est, inquit Leo epist. 1. ad Episcopos Africanos. Quid est: Nemini cito manus imponere, nisi ante ætatis maturitatem, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Manuum enim impositio, quod est in Concilio Coloniensi I. (*can.* 1.) velut ostium est,

per

per quod intrant, qui Ecclesiæ gubernaculis admoventur. Homo enim manus imponit, ait Ambrosius, (*de dig. Sac. cap.* 5.) & Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera .... Sacerdotium ergo, ut ait Chrysostomus, (3. *de Sacerd.*) in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem, atque ordinem referendum est... Quippe non Angelus, non Archangelus, nec ulla creata potentia, sed ipse Paracletus hujusmodi ordinem disposuit &c. Concilium item Chalcedonense can. 2. Bracarense II. canon. 3. Florentinum item (*in Decr. pro Arm.*) & Tridentinum (*sess.* 23. *cap.* 3.) gratiam ei Ordini alligatam testantur. Nicen. I., (*cap.* 9.) Antiochenum, (17.) Ancyranum, (9.) Carthagin. IV. can. 2., 3., 4., Hispalense II. cap. 5. Toletanum IV. can. 28., Meldense can. 44. Moguntinum cap. 35. impositionis manuum meminerunt, qua veluti visibili signo sacri ordines conferantur. Quid Innocent. I., Cœlestinus I., Leo citatus, & Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius M., Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Isidorus? Quid officiorum divinorum Scriptores, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Beda, Alcuinus, Walafridus, Strabo, & antiquissimæ notæ Ritualia? Adde antiquos Scholasticos Richardum, Magistrum, Bonavent. Altissiodorensem, D. Thom. An ex his omnium sæculorum testibus non satis constat totius Ecclesiæ Catholicæ consensus, traditio, & doctrina?

COROLLARIUM I.

3. Ex eademmet PP., & Conciliorum doctrina eruitur, manuum impositionem esse essentialem materiam hujus Sacramenti; omnis enim Græca Ecclesia usque ad hodiernum diem, & Latina usque ad sæculum nonum, in quo scripserunt Amalarius, Alcuinus, Rabanus, Walafridus, nullam aliam assignant cæremoniam præter impositionem manuum, quæ sit velut materia, & orationem, quæ eandem comitatur pro forma. At vero absurdum est dicere Latinam Ecclesiam per decem priora sæcula vera ordinatione caruisse, & Græcam etiamnum carere, quum Græcorum Ordinationes Latina Ecclesia ratas, & validas expresse declaraverit per Leon. X. Clement. VIII., Paulum V., & Urbanum VIII., quorum constitutiones affert Morinus: (*de Sacris ordinat. p.* 1. *cap.* 3. & 4.) ergo. Dicere autem, inquit Bellarminus, (*lib.* 1. *de Sacram. Ord. cap.* 9.) omnia Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria cæremonia, ridiculum est, quum nusquam aliam cæremoniam ponant; & sæpe ex professo tractent de ritu ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, quum nihil frequentius tractent, quam Ordinationes Sacerdotum, ne semel quidem attigisse id, quod ad essentiam Sacramenti pertinet?

 4. Dif-

4. Difficultatem ingerit, quod Eugenius IV. scribit in decreto pro instructione Armenorum, sacro, ut ibidem dicitur, approbante Concilio, & ipsis oratoribus consentientibus, ibi: Sextum Sacramentum est Ordo, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur. Ex quibus verbis Theologi in diversas abierunt sententias. Quidam enim tenent solam manuum impositionem esse necessariam materiam; traditionem autem instrumentorum solum integralem, atque ex præcepto Ecclesiæ necessariam, quod sensisse videtur Bonaventura, (*in* 4. *dist.* 24. *p.* 2. *art.* 3.) & ex Recentioribus tenet inter alios Tournelius. (*de hoc Sacram. q.* 3.) Alii opinati sunt traditionem instrumentorum esse, & semper fuisse necessariam, materiam, quamvis de hoc apud antiquos mentio facta non fuerit, partim propter disciplinam arcani, ex qua summo studio curabant veteres, ut sacra mysteria, eorumque ritus ab Infidelibus occultarent, ne eorum irrisioni exponerent, partim quod ipsa manuum impositione, qua Antistites potestatem suam ordinatis communicabant, veluti implicite, atque exercite omnia sacra instrumenta tradere videbantur, quum manus sint organum organorum, & veluti universalia instrumenta. Impositio enim manuum fit ad significandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo ii, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur Ministris imponentibus, in quibus copia gratiæ esse debet, & ideo fit in Confirmatione, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis, unde dicitur: (2. *ad Timoth. cap.* 1.) Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Verba sunt D. Thomæ 3. p. q. 84. art. 4. Neque verum omnino videtur quod nonnulli scribunt, apud Græcos, nimirum, nullam esse instrumentorum traditionem: Ostendit enim Morinus de Sacris Ordinat. p. 3. exercit. 11., cap. 5. in Lectoratu tradi librum Apostolicum, & juberi partem aliquam legere. Similiter Psalmistæ, aut Cantori dari librum Psalmorum, similiter etiam Diacono, & Subdiacono, sub nulla tamen verborum formula, sui officii instrumenta tradi. In Concilio etiam Carthaginensi IV. (398.) mentio fit libri Evangeliorum impositi super caput, & cervicem Episcopi. Item Subdiaconus, quum ordinatur, patenam de manu Episcopi vacuam, & Calicem accipit, de qua traditione mentio etiam fit in Concilio Toletano IV. cap. 5., (633) ibi tamen non de Ordinatione, sed de restitutione depositi Sacerdotis agitur.

5. Propterea Hosius, & Bellarminus Cardinales, Maldonatusque, & Vasquezius nobilissimi inter Recentiores Theologi, utrumque, nimirum, tam manuum impositionem, quam instrumentorum traditionem ad Essentiam Sacramenti pertinere existimant. Quorum sententia

& in

& in praxi tutior est, & in re verior. Christus enim non omnibus Sacramentis certas materias, formasquæ determinatas reliquit, ut jam alii observarunt. Ad rationem enim Sacramenti satis est, ut Deus se obligaverit, aut voluerit, vel promiserit potestatem collaturum, & gratiam daturum ei, qui tali signo sensibili ab tali Ministro initiatus fuerit. Quodnam autem hoc signum futurum sit, non necesse fuit, ut determinate revelaret. Cuicumque enim signo potuit Deus gratiam, & dona sua alligare, sive illud sit immediate a Christo designatum, sive ab Apostolis, aut ab Ecclesia Spiritus Sancti instinctu constitutum. Sic jejunantibus Apostolis, & orantibus dixit Spiritus Sanctus: (*Act.* 13.) Segregate mihi Saulem, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Modum autem hujusmodi segregationis non revelavit. At ipsi majorum exemplis edocti orantes, atque imponentes eis manus dimiserunt illos. Agnoverunt ergo, intus suggerente divino Spiritu, actiones illas, nimirum, Orationem, & manuum impositionem signum esse congruum, cui Deus gratiam alligaverat, Paulumque, & Barnabam ad prædicandum gentibus Evangelium destinaverat. Huic primitivo, & simplici ritui (ut erant fere omnes illi nascentis Ecclesiæ) deinde tractu temporis accesserunt pro majori distinctione, & solennitate divinorum Officiorum cæremoniæ aliæ, inter quas traditio quorumdam instrumentorum, per quæ Ordinatus quisque quid acceperat potestatis, & ad quid in Altari peragendum ex Officio teneretur, agnosceret, cujus rei est illustre testimonium in Conc. Carthag. IV. ann. 398. celebrato. Quos ritus, quum deinde aliæ Ecclesiæ, atque Episcopi imitari cœpissent, ac deinde in communem Catholicorum usum evasissent, respuere, aut de eorum necessaria observatione dubitare insolentissimæ insaniæ est, ut Augustinus loquitur. (*Ep.* 118. *num.* 54.)

6. Non igitur elaborandum est maxime ut sciamus, quo anno, aut quo sæculo traditio instrumentorum in Sacris ordinationibus pro necessaria materia haberi cœperit. Martennius (*lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritibus. cap.* 8. *&* 9.) adducit Pontificale MS. Radhodi Noviomensis, cujus character, inquit, accedit ad annos octingentos. Morinus (*de Sacr. Ordin. par.* 3. *Exercit.* 7. *cap.* 1.) ex variis MSS. infert, annum prope millesimum hunc ritum incepisse. Sed hæ MSS. blattæ quam sæpe recentem pro antiqua chartam arrodant, & quam sæpe circa Codicum ætatem fallantur, compertum est. Certe multo ante annum Christi millesimum eum ritum invaluisse patet ex Concil. Toletano IV. anno 633. celebrato, can. 28. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus injuste depositus, si in secunda Synodo, innocens reperiatur, gradus amissos recipiat coram Altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum; si Presbyter, orarium, & planetam, si Dia-

co-

conus, orarium, & album; si Subdiaconus, patenam, & Calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparatione sui recipiant, quæ quum ordinarentur, perceperant: ergo quum ordinarentur certa acceptæ potestatis instrumenta, aut eorum symbola tradebantur. Clarius, & multo antiquius id liquet ex Concilio Cathag. IV. quarto sæculo, id est anno 398. celebrato, ibi cap. 2. Episcopus, quum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus .... Subdiaconus, quum ordinatur, accipiat de manu Episcopi patenam, & calicem vacuum: &c. At hæc non inducuntur in eo Concilio ad finem quarti sæculi tanquam recens instituta, atque inventa, sed tanquam ante in Latina Ecclesia observata: ergo saltem jam tertio sæculo, aut medio secundo hic ritus cœperat, quo tempore adhuc recens erat memoria Apostolorum, & eorum discipulorum, quos ipsimet viva voce de rebus Ecclesiasticis erudierant: ergo silentium antiquorum Ritualium, Patrum &c. nihil probat contra antiquam traditionem instrumentorum in sacris ordinationibus, ut propterea non dicenda sit materia essentialis, aut pars, & conditio ad rationem, & substantiam Sacramenti pertinens, sicut impositio manuum, qua similiter Christus in Apostolis ordinandis usus non fuit, sed ipsi post Christi ascensionem uti cæperunt. Unde Gregorius IX. (*c. Presbyt. de Sacr. non iterand.*) impositionem manuum ritum esse, ait, ab Apostolis introductum, quod explicans Bellarminus, (*de Sacram. ordin. cap. 9.*) non sic, inquit, accipi debent, quasi Apostoli hunc ritum instituerint, sed quia ipsi primi cœperunt illum usurpare in ordinationibus. Ex quo patet solutio ad argumentationem, qua Tournelius nititur, (*hic q. 3. conclus. secunda.*) ut adstruat traditionem instrumentorum esse solum integralem, & accidentariam Ordinum materiam, quamvis omnino ex præcepto, & praxi Ecclesiæ adhibendam, quod nempe nec unquam in Ecclesia Græca, nec usque ad decimum sæculum in Latina usurpata fuerit, cujus contrarium, ut opinor, invicte demostratum est.

SCHOLION.

7. Hic videbatur inquirendum quot, & qui sint Ecclesiæ ordines? Sed de hoc late disputatum est in 12. hujus operis libro, (*prop. 6.*) ubi de Ecclesiastica Hierarchia disseruimus. Ibi dicta vide. Ostendimus enim Ecclesiasticos ordines septem esse nec plures, nec pauciores Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Lectoratum, Acolithatum, Exorcistatum, & Ostiariatum, eosque antiquissimos, & perpetuos in Ecclesia fuisse, atque esse. Quod vero ad præsens attinet, di-

disputatur an omnes, & singuli Ecclesiastici Ordines vera sint Sacramenta?

COROLLARIUM II.

8. Fide certum est, Presbyteratum esse verum, & proprium Ecclesiæ Sacramentum. Tridentinum enim definit, (*Sess.* 23. *cap.* 3.) Ordinem, sive sacram ordinationem esse verum, & proprium Sacramentum, necesse tantum ritum quendam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum: hoc autem, si verum est de Ordine aliquo, maxime de supremo, & nobilissimo quale est Sacerdotium: ergo. Id ipsum ex Patribus, Conciliis, & communi omnium Catholicorum judicio, ac testimoniis velle convincere supervacaneum esset.

COROLLARIUM III.

9. Non est fide certum per Diaconatum conferri verum & proprium Sacramentum. Nonnulli enim Catholici Theologi censuerunt Diaconatum non esse vere Sacramentum, uti Durandus, (*dist.* 24. *q.* 2.) & Cajetanus, (*Tom.* 1. *Opusc. tract.* 11.) tum Franciscus Victoria. (*Relect.* 2. *prop.* 3.) Imo & qui Diaconatum Sacramentum esse existimant, tamen id fide certum non esse, palam testantur etiam post Tridentinum Concilium. Sic Petrus de Soto in Tridentino Concilio magni nominis Theologus in 4. dist. 24. qu. 1. (*art.* 4.) Sic Estius, (*ibid.* §. 8.) qui de hac re nihil, inquit, esse ab Ecclesia definitum. Sic Bellarminus: Non est, inquit lib. de Sacram. Ordinis cap. 5., certum de fide, quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tradito, neque exstat ulla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio, Vasquezius vero contra. Ego vero, inquit, (*disp.* 238. *cap.* 2.) valde miror, viros non vulgariter doctos aut decretum Tridentini sess. 23. can. 6. non legisse, aut non intellexisse. Ibi enim definitur in hunc modum: Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris, & Ministris, anathema sit. Sed inde quid efficitur, nisi Ministros, & maxime Diaconos pertinere ad Hierarchiam? An vero omnes, qui ad Hierarchiam pertinent, vero Sacramento initiantur? Nam quis magis ad Hierarchiam pertinet, quam ipse Hierarcha Romanus Pontifex, cujus tamen Ordinatio non est verum Sacramentum? Quam Episcopi, cujus tamen ordinationem Sacramentum esse, communis opinio negat?

10. Quamvis tamen, inquit laudatus Sotus, qui Durandi opinionem sustineret, non magna reprehensione dignus foret; esset nihilominus

nus temeritate notandus, quum non sit tam facile a communi antiquorum opinione recedendum. Tenendum est ergo, Diaconi Ordinationem esse verum Sacramentum. Est enim signum sensibile, cui annexa est promissio gratiæ cœlestis. Episcopus enim ordinans Diaconum dicit: Accipe Spir. Sanctum &c. hæc autem non frustra dicuntur in Ordinis Sacramento, ut dictum est ab Tridentino: (*can.* 4.) Diaconatus ergo verum est ordinis Sacramentum. Deinde Apostolus vult, ut sint unius uxoris viri, pudici, non bilingues, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura 1. ad Timot. 3. Chalcedonensis item Synodus (*can.* 6.) Episcopos, qui Diaconum propter pecuniam ordinat; dicit gratiam Dei vendere. Ad argumentum vero quod deducitur ex prima institutione Diaconatus Actor. 6. vide quæ dicta sunt prop. 6. libri 12.

COROLLARIUM IV.

11. Probabilius est, per Subdiaconatum, & quatuor inferiores Ordines non conferri verum, & proprium Sacramentum. Rationes enim quibus contrarium probat Bellarminus, (*cap.* 7. & 8.) elumbes sunt, & rem non concludunt. Nam Subdiaconatus videtur, inquit, imprimere characterem, quum sit initerabilis. Hoc tamen nihil est, nam quamvis id, quod imprimit characterem, sit initerabile; non tamen omne, quod est initerabile, imprimit characterem, ut patet in consecratione Ecclesiæ, vasorum &c. Secundo, inquit, habet annexum Continentiæ votum. At Presbyteratus in Ecclesia Græca, approbante Latina, non habet annexum continentiæ votum, & tamen Sacramentum est. Nec Subdiaconatus semper habuit adnexum votum illud, ut alibi probatum est. (*lib.* 12. *prop.* 10.) Tertio hæc est, inquit, communis sententia Theologorum, Durando excepto, & Cajetano. At post Bellarminum id tenuerunt diserte Joannes Morinus, (*Exercit.* 11. *c.* 1.) quem sequitur Tournelius, (*q.* 6. *art.* 4.) Juenin, Habertus, Boucat, quos citat, & in quorum sententiam magis inclinat Prosper Lambertinus de Syn. Diœces. lib. 8. cap. 9., postea Benedictus XIV. In eandem sententiam trahit idem Pontifex Magistrum Sententiarum, cujus in 4. Sent. dist. 29. hæc sunt verba: Canones duos tantum sacros ordines appellant, Diaconatum scilicet, & Presbyteratum, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, & Acolithos procedente tempore Ecclesia sibi constituit, quæ eadem verba leguntur apud Hugonem Victorinum, (*lib.* 2. *de Sacrament. fid. p.* 3. & 13.) & apud Gratianum. Nimirum contigit Ecclesiæ, inquit Bona, (*lib.* 1. *rer. liturgic. cap.* 25.) quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno ser-

vo

vo contenti sunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc, & latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum Ministris; crescente autem fidelium multitudine, & auctis facultatibus ex piorum oblationibus, quum soli Diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera, atque officia diversis distributa sunt. Eadem Amalarius (*lib. 2. de offic. Ecc. cap. 6.*) his multo antiquior, quippe qui nono sæculo scripsit. Apud Paulum, inquit, non nisi Presbyterorum, & Diaconorum mentio habetur. Cæteri Ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit Officium Ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorium superiorum. Unde Ambrosius in Tractatu Epist. ad Timoth. Illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur. Illis enim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit. Unde nec Ordinationem ante Altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur; sed alii quidem eorum lectionum officium implent, alii intra Diaconium, (quod antiquitus Secretarium dicebatur) illa præparant, quæ ad Diaconi ministeria pertinent. Nec manus imponuntur Subdiacono, ut habetur ex Conc. Carthagin. IV., nec eis licebat habere locum in Diaconio, & sacra vasa contingere ex Conciliis Laodiceno can. 21., & Agath. nec in Episcopos assumi poterant ante Urbanum II., & Innoc. III., nec voto Continentiæ tenebantur ante Gregor. Magnum, quorum multa decursu temporis obtinuerunt. Concinit his D. Thomas in lect. 2. super cap. 3. ep. ad Timoth. inquiens: In primitiva Ecclesia solum erant tres Ordines..... Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Ministrorum, & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno ordine propter paucitatem Ministrorum, & novitatem. Divisio ergo per hos diversos gradus procedente tempore facta fuit Ecclesiæ authoritate; at Ecclesia sacros ordines conferendi authoritatem quidem habet; sed instituendi Sacramenta authoritatem non habet. Hinc Bellarminus cap. 7. Est, inquit, valde probabile Subdiaconatum esse Sacramentum. Et cap. 8. De minoribus Ordinibus minus probabile est, quod sint Sacramenta, quam de Subdiaconatu.

12. Moti autem videntur Bellarminus, & alii Doctores ad contrarium asserendum non tam intrinseca ratione, quæ certe nulla est, quam extrinseca authoritate, & ea quidem maxima Conciliorum Tridentini, & Florentini. Tridentinum etenim definit (*Sess. 23. can. 2.*) Subdiaconatum a Patribus, & Sanctis Conciliis ad majores Ordines referri. Sed hoc intelligendum de Patribus, & Conciliis posteriori-

bus Urbano II. Hic enim (*Grat. Can. Nullus dist. 60. c. 4.*) ann. 1031. scribens: Sacros autem Ordines dicimus, inquit, Diaconatum, & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Unde Petrus Cantor Innoc. III. coævus: (*in MS. de Verb. mirif. Bib. S. Germ. c. 25. apud Menardum in not ad lib Sacram. S. Gregor.*) Non ita pridem institutum fuit, inquit, ut Subdiaconatus esset Ordo. Declarat item Tridentinum esse in Ecclesia Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: ergo Ministri, quales sunt Lectores, & Acolythi ex divina ordinatione sunt. At vero Hierarchia non includit in sui ratione Sacramentum, quamvis sacra, quamvis a Deo instituta. Dicitur enim sacrorum, & rationabilium ordinata potestas debitum in subditos continens principatum. Includit autem ordinem, nam ordo est parium, aut imparium suum cuique officium, & locum tribuens dispositio. Sunt enim in Ecclesia a Deo ordinatæ divisiones Gratiarum, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum, idem autem Dominus: & divisiones operationum, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, ut dicitur 1. ad Corinth. (*cap. 12.*) Quæcumque autem a Deo sunt ordinata, sunt; sed divisiones gratiarum spectant ad Deum, ut sanctificatorem, idem enim Spiritus. Divisiones autem ministrationum ad Deum, ut Dominatorem pro arbitrio his, aut illis hanc, aut illam potestatem tribuentem. Divisiones vero operationum pertinent ad Deum, ut bonorum omnium operum, & meriti authorem. Ad divisionem Gratiarum spectant Sacramenta, per quæ Gratia confertur; ad divisionem ministrationum pertinent Ecclesiastici Ordines, per quos diversæ potestates, ac ministeria conferuntur; ad divisiones operationum spectat diversitas auxiliorum, quibus Deus ad bene operandum nos adjuvat. Ad Hierarchiam ergo, quæ est in divisione ministrationum pertinent primo, & immediate Diaconi. Subdiaconi autem, & reliqui non nisi secundario, & remote, non enim, inquit Bellarminus, (*cap. 7. cit.*) pertinent proprie ad Hierarchiam, nisi ut Ministri Hierarcharum.

13. Magis autem urgere videtur illud, quod in eodem Tridentino dicitur: (*Sess. 23. cap. 2.*) Quum Scripturæ testimonio, & Apostolorum traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per Sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex Septem Ecclesiæ Sacramentis. Unde infra: Si quis dixerit, Ordinem, sive Sacram Ordinationem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit. Sed Ordinatio Subdiaconorum sacra est, verbisque sicut aliæ, & signis exterioribus conficitur, quæ singulariter designantur in Florentino Concilio,

lio, ubi non nisi Sacramentorum materiæ, & formæ designantur: Subdiaconatus igitur verum est Sacramentum. Sed Tridentinum loquitur de Sacramento Ordinis, tanquam de uno aliquo, quum omnes ordines ad unum referantur, quod est potestas consecrandi, sive conficiendi Eucharistiam. In hoc autem toto Ordine, sive serie Sacrarum Ordinationum, quæ ex diversis gradibus ad Hierarchiam pertinentibus conficitur, ratio veri Sacramenti invenitur, non in gradibus singulis, & ita esse convincitur ex mente omnium Theologorum, qui ex definitione Tridentini solum inferunt tanquam fide certum, Sacerdotalem Ordinem esse vere, & proprie Sacramentum, quod de omnibus Ordinibus fide certum esset, si definitio Tridentini de singulis Ordinis gradibus esset intelligenda. Concilium autem Florentinum, quia singulorum Sacramentorum materias, & formas tradere instituerat, etiam materiam Ordinis assignavit, & quia ordo totus etiam Ministros complectitur, etiam majorum ministrorum ordines per materiam, & formam explicuit, quum multi Theologi etiam Subdiaconatum, & inferiores Ordines inter Sacramenta computarent. De hac autem controversia nihil expresse definivit. Unde post Florentini definitionem Durandus, Cajetanus, & alii Diaconatum Sacramentum esse, negaverunt, nec tamen ullius in hoc erroris notati sunt, ut supra dictum. Ad rem D. Thomas in 4. dist. 24. Dicendum, quod distinctio Ordinum non est divisio totius in partes integrales, neque est divisio totius universalis, sicut generis in species, quarum unaquæque perfecte participat rationem generis, sed est divisio totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno; in aliis autem est quædam participatio ipsius, & ita est hic. Tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis. Et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum. Sicut ergo in Republica, & Ordine Politico, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur inferiorum magistratuum potestates, similiter in Ordine &c.

COROLLARIUM V.

14. Ex antiquorum eorundem PP. doctrina eruitur, solum Episcopum esse Sacramenti Ordinis Ministrum necessarium. Unde Sacerdotium, ac Diaconatus a non Episcopo nec licite, nec valide confertur. Ordines vero, qui Sacramenti rationem non habent, possunt a non Episcopis valide, & licite conferri Romani Pontificis concessione, ac privilegio, ut dictum alibi. (*lib.* 12. *prop.* 13.) Requiritur autem, ut Episcopus ordinans in Ordinatum jurisdictionem habeat ex

Conciliis Nicæno I can. 16. Sardic. can. 19., Tridentino sess. 23. cap. 8. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus concedatur, nisi ordinandi probitas, ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans ab Ordinum collatione per annum, & ordinatus a collatorum Ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus sit. Facultates autem de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam (quæ Dimissoriales dicuntur) & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diæcesi residente, aut ab alio pro eo Pontificalia exercente, & prævio diligenti examine. Hæc Tridentinum sess. 7. cap. 11. Quum vero nullus Clericum Parochiæ alienæ præter superioris istius licentiam debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri cupit, oriundus, seu in cujus Diœcesi beneficium habet Ecclesiasticum, seu ubi habet, licet alibi natus fuerit, domicilium. Hæc Bonif. VIII. in cap. Nullus de temp. ordin. in 6. Episcopus ergo proprius dicitur vel ratione originis, vel ratione Ecclesiastici beneficii, non in fraudem collati, vel ratione domicilii, de quibus multa disputant Canonici Juris Interpretes, ad quos hæc pertinent, quæ Juris positivi sunt.

COROLLARIUM VI.

15. Subjectum Ordinis est masculus baptizatus, rationis compos, & volens. Prima pars patet ex Paulo ajente: Mulieres in Ecclesia taceant, ... In silentio discant. Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia 1. ad Cor. 14. 1. ad Timo. 2. ad Ephes. 5. Hocque ipsum Ecclesiæ constans usus nunquam interruptus confirmat, in qua nulli unquam fœminæ ad sacros ordines aditus patuit, teste antiquissimo Tertulliano, (*lib. de veland. Virgin. cap.* 9.) & Conciliis, & Patribus. Quod autem de Papissa Joanna vulgo dicitur, alibi explosum est. (*Prolegom.* 1.) Quod vero opponi posset de Presbyteris, & Diaconissis, quarum mentio fit apud antiquos Ecclesiæ authores, intelligendum est, vel hoc nomine solum significari conjuges Presbyterorum, aut Diaconorum. Unde in Concilio Turonensi II. can. 13. Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum. Et can. 19. Si quis Presbyter inventus fuerit cum Presbytera sua, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa &c.,

fuit-

fuitque hic loquendi modus communis sæculo VI., ut ex Altissiodorensi, Epaonensi, Aurelianensi, & Toletano I. Conciliis liquet, & ex Gregorio I. in 4. Dialogorum, & in Ep. ad Januarium, ex qua etiam habetur, Presbyteras peculiari veste usas fuisse. Gaviniam enim reprehendit, quod in vestibus, quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanserit, nec monasticum habitum induerit. Item intelligi potest de iis mulieribus, quæ aliis fœminis præerant, de quibus Athanasius ad Virgines, & in Concilio Laodiceno, (*cap.* 11.) ubi dicitur: non oportere eas, quæ dicuntur Presbyteræ, & præsidentes in Ecclesiis ordinari. Alicubi etiam Diaconissæ, quum ad majorem ætatem pervenerant, Presbyteræ vocabantur. De Diaconissis autem major est difficultas, nam & præsentibus Presbyteris, & Diaconis ordinabantur per manuum impositionem ab Episcopo, ut in 8. Constit. habetur, traditionem annuli, & torquis, & velaminis, quum apud Græcos, ut ex Goario, (*in Eucolog. Græcor. pag.* 262.) & Arcudio (*lib.* 6. *cap.* 10.) liquet, tum apud Latinos, ut habetur in Ordine Romano. Hæ tamen piæ cæremoniæ non consecratoriæ erant, & verum Ordinem, sed solum merum ministerium significantes circa fœminarum præfecturam, custodiam, situm, quem in Ecclesia tenerent, & alia hujusmodi ministeria. Unde Epiphanius hær. 79. Quamquam Diaconissarum, inquit, in Ecclesia ordo sit, id est, classis distincta personarum, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est.

16. Dixi II. *Baptizatus*. Ut enim loquitur Eugenius IV. in decreto: Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis Janua est; per ipsum enim membra Christi, & de corpore efficimur Ecclesiæ. Unde Innoc. III. in cap. Veniens de Presbyter. non bapt. hunc baptizandum, & iterum per singulos ordines promovendum declaravit.

17. Dixi III. *Rationis compos*, unde infantes ante rationis usum, dementes, vel qui morbo, ebrietate, aut somno extra se sunt positi, in eo statu ordinis nullius sunt capaces. Innocentius enim III. in cap. Majores de Bapt. eorum sententiam refellendam esse, ait, qui dicunt, quod Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus, & Ordo, cæteraque similia non solum dormientibus, & amentibus, sed invitis etiam, & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur.

18. Dixi IV. *Nolens*. Ut enim in dicta decretali dicitur: Plus est expresse contradicere, quam minime consentire; sed propter defectum consensus, cujus sunt incapaces infantes, dormientes &c. sunt etiam ordinum suscipiendorum incapaces: ergo multo potius, qui non solum non consensit, sed pœnitus contradicit, neque rem,

ne-

neque characterem suscipit Sacramenti. Quod vero dicitur de Macedonio Monacho, quem invitum, ob eximiæ sanctitatis laudem Flavianus Antiochenus ordinavit, ut est apud Theodoretum in Philotea cap. 13., prorsus irregulare, ac monstrosum est in Ecclesiastica historia. Unde Theodoretus ipse: Scio, inquit, a multis haud laudandam visam iri hanc narrationem nostram. Certe neque cum magni Flaviani scientia, & ministerio amplissimo, neque cum Macedonii laudatissima sanctitate stare potest, ut ille invitum plane hominem, & rei, quæ agebatur penitus inscium ordinare tentaverit, vel ut Macedonius adeo rerum sacrarum ignarus fuerit, ut quid erga se ageretur, ignoraverit, vel post dies octo iterum se ordinandum crediderit, vel ita in furias arreptus sit, ut non solum adstantes, sed ipsummet Patriarcham convitiis, asperisque verbis insequutus sit, immo arrepto baculo impeteret. Adducitur etiam non multum absimile factum cum Pauliniano Sancti Hieronymi fratre, quem nondum Subdiaconum, S. Epiphanius, ut ipse scribit ad Joann. Hierosolymitanum, (*inter epist. S. Hieron. epist.* 60.) per multos Diaconos apprehendi jussum, & tento ore ejus, Diaconum ordinavit; ... & rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum. Hæc tamen Ordinatio, quamvis ex aliis capitibus irregularis fuerit, tamen ex capite coactionis non videtur improbanda, nam Paulinianus, quamvis ab initio restiterit, tamen consensisse postea videtur, & quum ministrasset in Sanctis sacrificiis, tandem rationibus adductus fuit, ut sederet in ordine Presbyterii. Contra hanc tamen ordinationem, & alia Epiphanii facta reclamarunt Episcopi, quos inter Joannes Hierosolymitanus, & Joannes Chrysostomus; unde hæc in exemplum, & argumentum deducenda non sunt.

19. Hic de scientia, ætate, & qualitate ordinandorum, de Titulo ad Ordines requisito, de Interstitiis Ordinum, de Impedimentis, per quæ quis inhabilis redditur ad Ordines suscipiendos, aut exercendos, de Episcoporum circa hæc facultatibus, de Canonicis transgressorum Pœnis disputatur fusissime apud Canonici juris Interpretes, & Morales Theologos, ad quos hæc pertinent, quum non ad ipsos Ordines, sed ad Ordinantium, & Ordinandorum personas spectare videantur, de quibus propterea nihil Bellarminus, & alii Polemici.

PRO-

PROPOSITIO X.

Matrimonium Baptizatorum est verum novæ legis Sacramentum.

1. UT enim ab D. Thoma dictum est in 4. cont. Gentes, cap. 78. Quamvis homines per Sacramenta reparentur ad gratiam, non tamen mox restaurantur ad immortalitatem: quæcumque autem corruptibilia sunt, perpetuari non possunt nisi per generationem. Ecclesia autem duratura est usque ad mundi finem. Nam ego, inquit, (*Math. ult.*) vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Necessarium fuit igitur fidelem populum, quo Ecclesia constat, per generationem propagari. Quandocumque vero aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget diversis, ab quibus in finem dirigatur, nam finis est proportionatus agenti. Humana autem generatio ad multa ordinatur, nimirum, ad perpetuitatem speciei humanæ, II. ad perpetuitatem boni alicujus Politici, ut Reipublicæ, aut Civilis status, III. ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur. Sic ergo in quantum ordinatur in bonum naturæ, dirigitur in hunc finem ab ipsa natura inclinante ad eum finem, quæ homini sicut sui ipsius conservandi, ita suæ speciei propagandæ appetitum vehementissimum indidit, & sic conjunctio maris, & fœminæ dicitur officium naturæ. Quatenus vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi Legum civilium. Quatenus autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oporteat, quod subjaceat Regimini Ecclesiastico. Ea autem, quæ populo per Ministros Ecclesiæ dispensantur in remedium contra naturæ defectus, atque ad spiritualem informationem, & ædificationem, Sacramenti rationem habent: matrimonium igitur secundum quod consistit in conjunctione maris, & fœminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, Sacramentum est. Unde & quædam benedictio nubentibus per Ecclesiæ Ministros exhibetur, & sicut in aliis Sacramentis, per ea, quæ exterius aguntur, spirituale aliquid figuratur, & sic in hoc Sacramento per conjunctionem maris, & fœminæ, conjunctio Christi, & Ecclesiæ figuratur secundum illud Pauli ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo, & Ecclesia. Et quia Sacramenta efficiunt, quod figurant, credendum est, quod nubentibus per hoc Sacramentum gratia conferatur, per quam ad unionem Christi cum Ecclesia pertineant. Est hoc autem eis maxime necessarium, ut sic carnalibus, ac terrenis intendant, ut non a Christo, & Ecclesia disjungantur. Est igitur conjunctio maris, & fœminæ figura conjunctionis Christi, & Ecclesiæ. Figuram autem opor-

oportet correspondere figurato. Ecclesia autem una est, ut alibi (*lib.* 11. *prop.* 3.) probatum, nec Christus ab ea unquam discedere, aut separari potest, cui se adfuturum promisit usque ad consummationem sæculi: oportet igitur, ut matrimonium, quatenus est Ecclesiæ Sacramentum, sit unius ad unam individua conjunctio, & hoc pertinet ad fidem, ad quam invicem vir, atque uxor obligantur. Sic igitur in matrimonio, quatenus est Ecclesiæ Sacramentum, tria bona sunt, nimirum proles ad cultum Dei suscipienda, & educanda: fides pro ut unus vir uni uxori obligatur: & Sacramentum ratione significationis, ex qua maritalis conjunctio unitatem, firmitatem, atque indissolubilitatem habet.

2. Innititur autem tota hæc D. Thomæ, & Catholicæ Ecclesiæ doctrina fortissimis argumentis. Et primo quidem contra Manichæos, aliosque antiquos hæreticos nuptias damnantes supra disputavimus, quum de Temperantia ageremus lib. 6. (*prop.* 31.) Recentiores autem Hæretici, quamvis matrimonium honestum quid, & licitum esse non negent, Sacramentum tamen proprium esse inficiantur. His quodammodo accessit Durandus, (*in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. 3.) qui primum quidem Sacramentum esse negavit, postea tamen, quum ob id male audiret, dixit quidem esse Sacramentum, sed lato quodam, & improprio sensu, quatenus est rei sacræ signum, non tamen annexam habere promissionem gratiæ, atque ideo Sacramentum dici æquivoce, non univoce cum baptismo, & Sacramentis. Consonat Magister in 4. sent. d. 2. ibi enim tria genera Sacramentorum distinguit, quorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut Baptismus: alia in remedium tantum sunt, ut conjugium: alia gratia, & virtute nos fulciunt, ut Eucharistia, & Ordo. Consentit Glossa in c. Honorantur 32. q. 2. inquiens: in Sacramento matrimonii intervenire posse pecuniam, quia in eo non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut in aliis. Contra hos tamen omnes tenendum est, matrimonium esse verum Sacramentum Gratiæ non significativum solum, sed collativum. Scriptum est enim: (*ad Ephes. cap.* 5.) Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc, id est, mysterium hujus individuæ unionis magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Græce significantius: εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν in Christum, & in Ecclesiam. Viri ergo, & fœminæ conjunctio & a Deo authore naturæ est, quatenus est officium naturæ est, & a Christo authore Gratiæ est, dicente: (*Math.* 19.) Quos ergo Deus conjunxit, homo non separet. Est aliunde significativum rei sacræ, immo omnium sacerrimæ, nimirum, conjunctionis Christi cum Ecclesia quum naturalis per incarnationem, tum mystice per charitatem. Denique illud suscipienti-

tibus gratiam confert: est igitur verum, & proprium Sacramentum. Ultima minor convincitur. Dictum est enim: (*Hebr. cap.* 13.) Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Item: Sæpe Paulus monet, ut nubentes nubant in Domino. Nihil autem fit in Domino, nisi quod conducit ad salutem, nihil autem conducit ad salutem, quod non ex gratia procedit. Bonum ergo Matrimonii ex gratia est. Sed non bonum Matrimonii quatenus est officium naturæ, nam sic etiam invenitur in brutis: neque quatenus est civilis contractus, nam sic etiam invenitur in Atheis, & Paganis: ergo Matrimonium fidelium, quod fit in Domino, habet præterea rationem Sacramenti. Hinc Tertullianus in 2. ad uxorem Christiani Matrimonii felicitatem commendat, quod illud Ecclesia conciliat, Oblatio confirmat, Angeli obsignatum renuntiant, Pater ratum habet. Ambrosius, & cum ipso Patres Mediolanens. Concilii in Ep. ad Siricium: Non negamus, inquiunt, Dominum sanctificasse conjugium, divina voce dicente: Erunt duo in carne una &c. Cyrillus lib. 2. in Joann. Ipse Christus, inquit, invitatus venit ad Nuptias, ut generationis humanæ principium sanctificaret. Oportebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, sed & iis quoque, qui essent nascituri, gratiam perstrueret, & eorum ortum sanctum efficeret. Unde infert Ambrosius, (1. *de Abra. cap.* 7.) eum, qui matrimonii fidem violat, in Deum peccare præsidem, & custodem conjugii, gratiam solvere, & Sacramenti cœlestis amittere consortium .... (*Aug. de bon. conj. cap.* 24) Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes, atque homines in fide generandi causa est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere .... (1. *de fid. & oper. cap.* 7.) In Civitate enim Domini, & monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia Nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur .... In Christianorum quippe nuptiis (9. *de gen. ad lit. cap.* 7.) plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri. Hoc nuptiarum verum bonum tripartitum est: fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ut præter vinculum conjugale cum altero, vel cum altera non concumbatur: In prole, ut amanter suscipiantur, benigne nutriatur, religiose educetur: In Sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, etiam repudio intercedente, alteri non conjungatur .... (1. *de nuptiis cap.* 10.) Non ergo tantum fæcunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis .... (*ibid. cap.* 21.) Quod in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis viris, atque uxori-

bus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum.

3. Hoc etiam referri possunt omnia testimonia Sanctorum, qui Matrimonium per benedictionem Ecclesiæ sanctificari, & consecrari dicunt passim, quam etiam rationem tetigit D. Thomas. Decet enim, inquit, Ignatius M. in epis. ad Polycarpum, ut Sponsi, & Sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ sint secundum Dominum, non secundum cupiditatem. Unde nuptias ab Ecclesia conciliari dixit Tertullianus. (*loc. cit.*) Quod si fœmina adscititio capillitio ornetur, cui manum imponet Presbyter? cui benedicet? non mulieri, sed adscititiæ capillaturæ, atque alieno capiti, quod est apud Clem. Alex. (*lib.* 3. *Pædagog.*) Jugum etiam matrimoniale, ait Basilius, (*Homil.* 7. *in Exam.*) per benedictionem imponi .... Quod autem in ipsa conjunctione connubii a Sacerdote benedicuntur, inquit Isidorus, (2. *de Offic. Eccl. cap.* 19.) hoc est a Deo in prima conjunctione hominis factum. Sic enim scriptum est: fecit Deus ad similitudinem suam masculum, & fœminam, & benedixit eis dicens: Crescite, & multiplicamini. Ad hujus ergo rei similitudinem nunc fit in Ecclesia, quod tunc factum est in paradiso .... Per accedentem ergo Sacerdotalem precationem, inquit Coloniense, (*part.* 7. *cap.* 40.) confertur donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus Ecclesiam. Hinc Tertullianus: (*de Pudicitia cap.* 4.) Penes nos Christianos, inquit, occultæ conjunctiones (clandestina matrimonia,) non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur. Ex quo patet, quam vere dixerit Tridentinum, (*sess.* 24. *cap. unico de Matrimon.*) genus illud matrimoniorum semper Ecclesiam detestatam esse, ac prohibuisse, quod & multi confirmant canones a Gratiano relati 30. qu. 5. Citatis Patribus accedunt Justinus in Dialog. cum Triph. Innoc. I. ad Victricium, Siricius ad Himerium, Chrysostomus hom. 52., & alii, de quibus in decursu hujus disputationis mentio fiet.

4. Confirmant eandem veritatem omnia illa Patrum testimonia, qui dicunt Christum, quum ad Nuptias in Cana Galileæ invitatus accessit, nuptiis benedixisse, eas sanctificasse, consecrasse, atque decorasse. Ita Ephesini Concilii Patres asserunt, Christum dispensatorie ipsis tunc nuptiis benedixisse, quum in Cana Galileæ cum Sanctis Apostolis adesse dignatus est. Hoc enim fecit, inquit laudatus Cyrillus, (*loc. cit.*) ut nascituris ex matrimonio hominibus gratiam præstrueret .... ut castitas conjugalis firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum, inquit Augustinus in Joann. tract. 9. Venerabiles enim esse nuptias, & Dei adspirante gratia cœleste regnum obtinere, inquit Epiphanius, (*hær.* 57.) quis vel ex eo non agnoscat, quod ad

ad nuptias invitatus Salvator accesserit, ut iis benediceret?... (*Max. hom.* 1. *de Epiph.*) Vadit quippe ad nuptias filius Dei, ut quas potestate dudum constituerat, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet. Neque solum ad Nuptias invitatus accessit, sed etiam easdem primi sui miraculi manifestatione honoravit. Tunc propterea nonnulli Theologi putant, matrimonium a Christo ad Sacramenti dignitatem evectum. Alii autem existimant, tunc Sacramentum matrimonii institutum, quando Dominus legem Repudii sustulit, & connubii vinculum indisolubile declaravit, dicens: (*Mat.* 19.) Itaque jam non sunt duo; sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Sed istæ hominum conjecturæ sunt, non quidem contemnendæ. Quandocumque autem id factum fuerit, certum est a Christo Domino factum esse, qui Gratiam, inquit Tridentinum, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilemque unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse venerabilium Sacramentorum Institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit. Hinc Concilium Florentinum in Decreto Eugenii diserte Matrimonium in numero septem Sacramentorum recensuit, & Tridentinum aperte definivit: (*Can.* 1.) Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. Eandem porro esse Græcæ Ecclesiæ sententiam patet ex Jeremia Patriarcha Constantinop. in Censura Confessionis Augustanæ cap. 7. ubi Matrimonium divinum Sacramentum esse dicitur, atque unum ex illis septem, quæ Christus, & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, ubi etiam allegatur locus Apostoli ad Eph. 5. Sacramentum hoc magnum est. Ergo in loco illo Apostoli sic intelligendo universa semper consensit Ecclesia. Tunc autem a nobis tenetur veritas Scripturarum, quum hoc sequimur, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsa Scripturarum commendat authoritas, ut habet Aug. in 1. cont. Cresconium: ergo fide Catholica tenendum est, Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum. Id enim est Catholicum, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum, ac retentum est.

Dixi: Matrimonium Baptizatorum. Unde

COROLLARIUM I.

5. Conjugia fidelium ante Christum sive in lege naturæ, sive Scripta non erant proprie Sacramenta. Inquit enim Tridentinum: (*Sess.* 14. *cap. unico de Matrimon.*) Matrimonium in lege Evangelica veteri-

bus connubiis per Christum gratia præstare, quamobrem inter novæ legis Sacramenta adnumerandum SS. PP. Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Veterum ergo connubia, quibus non erat annexa per Christum gratiæ promissio, non erant proprie Sacramenta. Verba igitur Pauli ad Ephes. quamvis dicta fuerint occasione verborum Adami, non tamen dicta sunt de matrimonio Adami, sed de matrimonio per Christum sanctificato. Possunt tamen in quodam lato sensu dici Sacramenta, quoniam futuram conjunctionem Christi, & Ecclesiæ significabant, ut docetur 3. p. qu. 71. art. 2. ad 3. Omnia enim in figura contingebant illis, præcipue Patriarchis veteris Testamenti. Loquitur antem ibi D. Thomas, ut semper, ex mente Patrum. Inquit enim Justinus in Dialog. Connubia Jacobi rei per Christum perficiendæ figuram fuisse. Nam magnorum æconomiæ, & dispensationes Sacramentorum in quolibet ejus generis facto sunt celebratæ.

COROLLARIUM II.

6. Connubia infidelium non sunt Sacramenta. Janua enim Sacramentorum est Baptismus.

COROLLARIUM III.

7. Matrimonium fidelis cum infideli ex parte neutrius est verum Sacramentum. Ratio enim Sacramenti stat in significatione conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ non nisi per utrumque conjugem significatur. Tamen contrarium tenent nonnulli.

COROLLARIUM IV.

8. Omne matrimonium validum in ratione contractus est verum Sacramentum. Nam Christus nihil immutans in natura contractus, legitimum matrimonium inter baptizatos in Sacramentum evexit: omnis igitur legitimus contractus matrimonialis est verum Sacramentum. Ratio enim Sacramenti stat in significatione conjunctionis Christi, & Ecclesiæ; sed ipse contractus matrimonialis inter baptizatos, quocumque alio ritu, aut cæremonia seclusa, significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ: quum neque Christus, nec Ecclesia ante Tridentinum aliquem ritum præscripserint, ex cujus defectu contractus vitietur: ergo maritalis contractus inter baptizatos inseparabilis est a ratione Sacramenti. Nam vel separabilis esset ad nutum contrahentium, ita ut positis omnibus requisitis ad Sacramentum, non resul-

ta-

taret Sacramentum, quod dici non potest, quum Sacramenta sint ex institutione Christi, non in arbitrio hominum posita; vel quia, quamvis illicite, possent ponere omnia requisita ad valorem contractus, & omittere aliquid requisitum ad rationem Sacramenti, ut se explicat Tournelius; (*de Matrimon. q.* 2. *art.* 2.) sed nullus est ritus a Christo, aut ab Ecclesia præscriptus, ex cujus defectu possit vitiari Sacramentum, quin vitietur contractus, aut contra: ergo non est unquam separabilis ratio contractus legitimi a ratione Sacramenti. Inde D. Thomas in 4. Sent. dist. 28. qu. unic. diserte probat, matrimonia clandestina vera esse Sacramenta. Ubicumque enim, inquit, est debita materia, & debita forma Sacramenti, ibi est verum Sacramentum; sed in matrimonio occulto, seu clandestino servatur debita materia, quia ibi sunt personæ legitimæ ad contrahendum, & debita forma, quia ibi sunt verba de præsenti consensum exprimentia: ergo est ibi verum matrimonium, id est, (vi consequentiæ) verum Sacramentum. Pro eodem enim accipit D. Thomas verum matrimonium, & verum Sacramentum. Unde sicut in aliis Sacramentis, inquit, quædam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis, non est Sacramentum: quædam vero ad solennitatem Sacramenti pertinent, quibus omissis, verum nihilominus perficitur Sacramentum, quamvis omittens peccet, ita & consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solennitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut Sacramentum convenientius fiat: unde si omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur. Hæc D. Thomas, ex quo non solum Cani, & Tournelii opinionem, sed etiam eorum fundamentum evertit. Ergo quum Tridentinum Concilium, in quo D. Thomas regnavit, non solum definit matrimonia clandestina antiquitus fuisse valida, & rata matrimonia, sed etiam contrarium asserentes anathemate ferit, definit eo ipso, matrimonia clandestina fidelium fuisse vera Sacramenta. Si enim putasset fuisse meros contractus civiles, & prophanos, quid attinebat ad Ecclesiam eorum validitatem in Oecumenico Concilio definire, & in contrarium sentientes anathema dicere? Omne igitur inter baptizatos matrimonium validum, fuit, estque, & erit verum Sacramentum, nec unquam nobis persuadebit Canus, (*lib.* 8. *cap.* 5.) Ecclesiam Dei per quindecim ante Tridentinum sæcula meros civiles, & profanos contractus fideli populo pro divinis Sacramentis vendidisse. Contra Canum directe pugnavit Bellarminus, ejusque argumenta dissolvit cap. 7. & 8. de Matrim.

COROLLARIUM V.

9. Matrimonium per Procuratorem rite contractum verum est Sacramentum. Contrarium tenuit Canus, (*ibid.*) & alii apud ipsum. Concedant, inquit, qui hæc tradunt, unum pro altero Sacramenta sumere, concedant Sacramenta absentibus dari posse, eisque peccata remittere, & gratiam conferre &c. Sed hæc verba sunt. Non enim Procurator Sacramentum sumit, sed mandans, nec unquam definitum est, præsentiam moralem non sufficere ad contractum celebrandum. Matrimonium autem non ob aliam novam institutionem contractus est, ob aliam Sacramentum; sed ipsummet contractum Christus, immutata ejus natura, evexit in Sacramentum: Quod ergo valorem contractus non vitiat, non vitiat Sacramentum. Canus vero sæpe adeundem offendit lapidem, quoniam putavit, alium esse ministrum, & formam matrimonii, quatenus est contractus, alium ministrum, & formam, quatenus est Sacramentum. Sed in hoc ipse deceptus fuisse videtur.

COROLLARIUM VI.

10. Minister Sacramenti Matrimonii non est Parochus adstans, aut benedicens, sed ipsimet contrahentes. Est contra Canum, & Tournellium, paucosque alios. Patet autem 1., ex doctrina D. Thomæ asserentis, & probantis ut supra, Matrimonia clandestina vera esse non solum in ratione contractus, sed etiam Sacramenti; sed in matrimonio clandestino nullus est Minister Ecclesiasticus benedicens, aut adstans: ergo sine ullo Ecclesiastici Ministri interventu stat ratio veri matrimonii, id est, veri Sacramenti. Concilium item Tridentinum definit, matrimonia clandestina ante ipsius Concilii tempora fuisse vera, & proprie valida matrimonia, & contrarium sentientibus anathema dicit. Nunquam autem Ecclesia verum, & validum matrimonium inter baptizatos vocat, nisi quod est proprie Sacramentum, ut supra observavimus: ergo. Confirmatur D. Thomæ verbis in 4. sent. dist. 26. qu. 2. art. 1. Verba, inquit, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale. Alibi (*in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 3.) item: Matrimonium, ait, quatenus est officium naturæ; & Pœnitentia, quatenus est, virtus, non habet aliquam formam verborum; sed secundum quod est utrumque est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba. Quæ autem hæc verba sint, mox explicat, dicens: Sicut in matrimonio sunt

ver-

verba exprimentia consensum, & benedictiones ab Ecclesia institutæ; in Pœnitentia autem est absolutio Sacerdotis verbo tenus facta. Deinde assignat rationem cur absolutio Sacerdotis in Pœnitentia pertinet ad rationem Sacramenti, tanquam ejus forma; non autem benedictio Sacerdotis in matrimonio. Nam actus nostri, inquit, in Pœnitentia, quamvis sint de essentia Sacramenti, non sunt tamen sufficientes ad inducendum proximum effectum Sacramenti, nimirum, absolutionem a peccatis, & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio, quia quicumque sui juris est, potest se alteri obligare, & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi ad essentiam Sacramenti pertinens. Hæc apertissime D: Thomas. Et tamen Canus secundum illum D. Thomæ locum allegat, quasi S. Doctor, qui in scriptis suis communes plerumque opiniones sequi solet, veritate, inquit, rationeque coactus nostræ opinioni subscripserit. Ex his porro patet, quid D. Thomas senserit circa materiam, & formam matrimonii. Inquit enim, in occulto, aut clandestino matrimonio nihil deesse ad rationem Sacramenti. Est enim ibi, inquit, debita materia, nimirum, legitimæ, sive habiles ad contrahendum personæ, & debita forma, nimirum, verba de præsenti consensum exprimentia. Hoc vero regulariter, ut loquitur Concilium Florentinum. Quandoque enim nutus, & signa sunt sufficientia ad consensum exprimendum. Quum vero locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de illo quæritur, plena debet securitate gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit. Verba sunt Innoc. III. cap. Quum locum de Sponsal. Unde neque ab initio matrimonium contrahere, neque dissociatum reconciliare quisquam cogi potest, leg. 14. C. de Matrim.

PRO-

PROPOSITIO XI.

Matrimonium unum esse debet.

1. UNitati autem matrimonii opponitur multiplicitas, quæ vel successiva esse potest, vel simultanea. Successivæ Polygamiæ primum exemplum habemus in Abrahamo. Simultaneæ in Lamecho. Successivam Polygamiam quum ex parte viri, tum ex parte uxoris licitam esse alibi (*lib.* 6. *prop.* 22.) probatum est. Simultanea vero ex parte fœminæ nunquam fuit licita. Nec enim unquam permissum fuit uni fœminæ plures simul habere conjuges. Et quidem merito. Nam ex diversorum commixtione seminum generatio impeditur, tollitur prolis certitudo, ac debita educatio, & pax familiæ nimium interturbatur. Solum ergo quæritur de multiplicitate matrimonii per conjunctionem unius viri ad plures uxores, an licitum sit, aut aliquando fuerit, & quo jure. Et primo quidem recolendum est ex supra dictis, (*in præc.*) in matrimonio considerari posse & officium naturæ, & rationem contractus, & rationem Sacramenti. Matrimonii porro, ut est officium naturæ, finis est propagatio humanæ speciei per generationem filiorum. Unde quidquid non opponitur generationi filiorum, non est jure naturæ matrimonio oppositum. Multitudo autem fœminarum sub uno viro non opponitur generationi filiorum. Plures enim fœminæ ab uno viro fœtari possunt, una vero a pluribus non potest, ut inquit Augustinus. (*lib. de Bono conjugali cap.* 17.) Multitudo ergo uxorum uni viro conjunctarum non est jure naturæ matrimonio oppositum. Unde Augustinus sæpe dicit, nulla lege id fuisse prohibitum, neque esse contra naturam nuptiarum. Neque natura, inquit Theodoretus, (*q.* 67. *in Gen.*) neque lex ulla tunc scripta plures uxores ducere prohibebat. Confirmatur exemplo sanctissimorum Patriarcharum Abrahami, Jacobi. Dices: id fecisse Patres ex divina dispensatione, aut ex particulari revelatione Dei. Nulli enim unquam licuit, inquit Innoc. III. in cap. Gaudemus, plures habere uxores, nisi cui fuit divina revelatione concessum. Sed contra I. nam contra prima præcepta legis naturæ, quæ immutabilia sunt, ut alibi (*lib.* 6. *prop.* 4.) dictum, nulla est dispensatio. II. quia quod fit ab uno ex superioris dispensatione, aut singulari revelatione non potest ab aliis in exemplum deduci, & in communem consuetudinem devenire; sed pluralitas uxorum non uni, aut alteri, sed toti Hebraico populo communis fuit, Moyse permittente: ergo dici non potest per expressum privilegium, aut dispensationem concessa, nisi dicatur, privilegium, aut dispensationem generalem fuisse, quod tamen

men non videtur verum. Nam matrimonium ex prima institutione Creatoris, & communi sensu generis humani ad consortium unius cum una videatur fuisse restrictum, & nusquam inveniatur hujus consuetudinis expressa derogatio, neque exemplum contrarium usque ad Lamechum, cujus hominis impii, ac scelerati factum non videtur opportunum ad contrariam consuetudinem inducendam. Jam vero si peccavit Lamechus duas uxores ducens, non quidem contra legem scriptam, & positivam, quæ nulla erat, sed contra legem naturæ, cur non peccavit Abraham, aut quomodo lex illa naturæ, quæ supponitur, relaxata est? Deinde hujus dispensationis non aliam assignant causam Patres, & Doctores nisi raritatem generis humani; sed paucitas hominum, & multiplicandæ speciei necessitas major erat initio mundi, quando propagatores non erant, nisi duo, quam post diluvium, in quo octo animæ per arcam salvæ factæ sunt: ergo dispensatio potius concessa fuisset ab initio mundi, quam post diluvium; sed ab initio non fuit sic, & ideo Lamechus peccavit, ut habent omnes Patres: etiam ergo peccaverint Patriarchæ, quum jam tempore Abrahami concurrerent quatuor Reges adversus quinque, & ipse Abraham solus numeraret masculos expeditos vernaculos suos trecentos decem octo. Dicunt antedeluvianos homines longæviores fuisse, atque adeo per vitæ longævitatem majorem potuisse filiorum numerum suscipere. Et quidem fateor per vitæ longævitatem numerosiorem fuisse uniuscujusque prolem; sed non ideo humani generis universim majorem esse, si unus homo per trecentos annos in matrimonio vixerit, quam si trecenti homines per unum annum in matrimonio vixerint.

2. Duo igitur Catholicorum Doctorum placita, seu communes sententiæ explicandæ sunt, ex quibus rei totæ maxima lux accedet. Putant enim pluralitatem uxorum ante Christum fuisse divina, & naturali lege prohibitam. Lamechus enim communi Sanctorum judicio improbus, & sceleratus habetur, quod duas uxores duxerit; atqui id non erat positiva divina, aut humana lege prohibitum: erat ergo prohibitum lege naturæ. Ad hanc autem legem dirigendam, inquit Tertullianus, ipsa humani generis origo patrocinatur. Nam quum hominem figulasset Deus, eique parem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit, quum utique nec ars, nec materia deficeret.... (*de Exortat. Castit. cap.* 5.) Itaque homo Dei Adam, & mulier Dei Eva, unis inter se nuptiis functi, formam hominibus Dei de originis authoritate, & prima Dei voluntate sanxerunt.... Non legistis, ait Dominus, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & erunt, inquit, duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro....

Numerus ergo matrimonii non ab Deo, sed a maledicto viro cœpit. Primus Lamechus duabus maritatus, tres in unam carnem effecit. Semel tantum vim passa institutio Dei per Lamech, (*de Monogamia cap.* 4.) constitit postea in finem gentis illius, quæ per diluvium post septimam generationem deleta est.... Primus Lamech, inquit Hieronymus, (1. *contra Jovin.*) sanguinarius, & homicida unam carnem in duas divisit uxores.... (*Epist.* 9. *ad Salvinam*.) unam costam divisit induas, & plantarium Digamiæ protinus Diluvii pœna subvertit. Deinde vero ut post diluvium generis humani seminarium servaretur, octo animæ per Arcam salvæ factæ sunt, inquit Petrus. (1. *cap.* 3.) Ingressus est enim in arcam (*Gen.* 7.) Noe, & uxor ejus, & filii ejus (tres) & uxores filiorum ejus (tres). Similiter ac Tertullianus, & Hieronymus loquuntur Ambrosius, Chrysostomus, imo & Augustinus, (22. *cont. Faust. cap.* 47.) quamvis sæpe dicat, polygamiam nulla lege fuisse prohibitam, alicubi tamen ait, eum qui plures uxores duceret peccare, & ipsam violare humanam societatem. Similia de Lamecho loquentes Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, & Innoc. III. in cit. cap. Gaudemus de Divortiis. Ex his ergo patet, pluralitatem uxorum esse naturali legi oppositam, quem modum loquendi sequuti sunt Scholastici Doctores.

3. Considerandum vero ulterius est, aliquid juxta, aut contra naturam dici dupliciter. Alio enim modo dicitur esse de lege naturæ, aut juxta rei naturam illud, ad quod natura positive hominem ducit ex vi primorum illorum principiorum, atque indelebilium impressionum, quæ statim re cognita innotescunt. Sic quia propagatio speciei bona est naturaliter, etiam conjunctio maris, & fœminæ, sine qua propagatio esse non potest, naturaliter bona, sive naturæ congruens apparet. Alia vero dicuntur esse juxta naturam, quæ licet ex primis illis principiis non immediate eruantur, eruuntur tamen ex illis per mediatas consequentias, quæ quanto magis a primis longe absunt, tanto magis multiplicantur, minoremque habent pro varietate eventuum & certitudinem. & firmitatem. Omnibus enim rebus naturalibus insunt quædam principia, quibus non solum operationes proprias efficiant, sed quibus eas convenientes reddant fini a natura intento, & consequuntur rem aliquam ex natura sui generis, aut speciei, sicut ferri a natura intento, & consequuntur rem aliquam ex natura sui generis, aut speciei, sicut ferri deorsum competit magneti ex sui generis natura, trahere autem ferrum competit ei ex natura suæ speciei. Sicut autem in rebus agentibus ex necessitate naturæ principia actionum sunt formæ naturales, ita in his, quæ cognitionem participant, principia agendi sunt formæ per sensum, aut per intellectum apprehensæ. Unde apprehensio, & quæ ex

illa

illa oritur inclinatio, aut appetitus oportet esse principia, quibus animalia operentur, & ita operentur, ut finem a natura, aut ab arte intentum assequantur. Inter omnia autem animalia homo solus cognoscit rationem finis, & proportionem operationis ad finem, & ideo cognitio naturalis ei indita, qua dirigatur ad operandum, convenienter lex naturalis, aut jus naturæ dicitur, de qua in lib. 8. *prop.* 3.) dictum est .... Lex ergo naturalis nihil est aliud, quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigatur ad agendum convenienter in actionibus propriis, sive conveniant ei ex natura generis, ut vesci, gignere &c. quæ natura omnia animalia docet, sive conveniant ex natura speciei, ut ratiocinari, & cæteri actus humani. Omne autem illud, quod actionem improportionatam reddit fini ab natura per actum illum intento, contra legem naturæ esse dicitur. Potest autem operatio esse improportionata fini naturæ primario, vel secundario, & sive sic, sive sic, & hoc contingit dupliciter. Uno quidem modo, si omnino impedit finem a natura intentum, sic superfluitas enormis cibi, aut potus impedit finem nutritionis & principalem, ac primarium, qui est vita animalis, & secundarium, qui est bona habitudo corporis ad opera exercenda. Alio modo ex aliquo, quod finis consequutionem reddit difficilem, & incommodam, aut minus decentem, ut si quis manducaret tempore, aut loco indebito. Si ergo actio sit improportionata fini, ita ut finis primarius per ipsam impediatur, per legem naturæ prohibetur directe ex primis principiis, quæ sunt in operabilibus, sicut prima principia demonstrationum in scibilibus. Si autem operatio sit incongrua ex aliquo, quod impediat finem secundarium aliquem, vel etiam primarium, sed non ita ut eum prorsus evertat, ac tollat, sed tamen ejus consequutionem difficilem, incommodam, aut minus decentem reddat, prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis derivantur, sicut in speculativis conclusiones derivantur ex principiis per se notis. Et sic dicuntur contra legem naturæ. Jam vero matrimonii finis primarius est procreatio, & educatio prolis, qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis, sive quatenus est animal, unde omnibus animalibus est communis; sed pro fine secundario in solis hominibus habet communicationem operum, quæ sunt vitæ necessaria, & secundum hoc fidem sibi debent mutuam per contractum, quo se invicem obligant, & sic bonum matrimonii ponitur fides. Habet ulterius alium finem secundum, quod invenitur inter fideles, nimirum, significationem conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, & sic bonum matrimonii dicitur Sacramentum. Primus ergo finis respondet matrimonio hominis, quatenus est animal; secundus correspondit homini, quatenus

est homo; tertius respondet homini, quatenus est Christianus. Pluralitas vero uxorum neque omnino, nec ex parte impedit primum finem matrimonii, quum unus vir sufficiat multis uxoribus fœcundandis, & filiis educandis. Secundum vero finem, licet non totaliter impediat pluralitas uxorum, tamen multum impedit, eo quod non facile possit esse pax in familia, ubi plures uxores uni viro conjunguntur. Tertium autem finem impedit prorsus uxorum multitudo, quæ propterea Sacramentalis esse non potest. Sic ergo patet, pluralitatem uxorum quodammodo esse contra legem naturæ, quatenus ex parte impedit secundarium finem matrimonii, quodammodo vero non, quia non corrumpit finem matrimonii primarium a natura intentum. In primo sensu loquuti sunt Scholastici Theologi, & nonnulli ex Patribus, qui dicunt, aut significant, Polygamiam esse, aut fuisse jure naturæ prohibitam: in secundo, & strictiori Augustinus, Theodoretus, Hieronymus qui docent, nulla lege olim fuisse prohibitam.

4. Hinc autem secundi dicti Scholastici explicatio declaratur. Quum enim insolitum esset, & quodammodo naturæ incongruum, ut vir unus plures uxores duceret, necessarium fuit, ut viris sanctis, qui primi hoc fecerunt, signum aliquod præfulsisset, quo securi in conscientia redderentur, imo scirent connubia illa sua Deo non ingrata futura. Hanc vero cognitionem divinæ voluntatis Innocentius, (*cap. Gaudeamus de Divortiis.*) & Scholastici revelationem, aut dispensationem appellaverunt. Proprie tamen neque dispensatio, neque revelatio fuit. Non quidem dispensatio, nam dispensatio est relaxatio legis pro aliquo casu particulari, manente universim vigore legis. Lex autem naturæ non potest ita relaxari, & præterea matrimonia illa non erant simpliciter naturali juri opposita, ut Deus ea permittendo, dici posset in naturæ lege dispensare. Adde, quod supra notatum est, dispensationem non potuisse favere reliquo populo, cui concessa non fuerat, imo potius firmare regulam in contrarium: ergo si Abrahamus indiguit dispensatione ad duas simul uxores habendas, reliquis non licebat. Quo enim fundamento argumentari possent, illam dispensationem universo populo fuisse concessam? Nec Revelatio dici potest. Nam Revelatio est rerum humanum captum excedentium manifestatio, ut alibi. (*lib.* 1. *prop.* 22.) Ergo sicut Sanson, quum se ipsum interemit per templi ruinam, & Eleazarus per casum Elephantis, non dicuntur hoc fecisse per particularem Dei revelationem, nec per divinam dispensationem in lege naturæ prohibentis suicidium, ita dicendum est de Abrahamo plures uxores ducente, nimirum, per internam inspirationem certum fuisse virum sanctissimum, id licite fieri potuisse, & intime persuasum rem illam Deo non ingratam fu-

tu-

turam. Et quia hanc internam securitatem non præsumitur habuisse Lamechum, virum homicidam, & sanguinarium, propterea Lamecho imputatur ad culpam, & effrænatam libidinem, quod Abrahamo imputatur ad meritum, & renumeratus est, dicente Deo: (*Gen.* 21.) Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Hancque explicationem innuit D. Thomas (*q.* 65. *Suppl. art.* 2. *in* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1.) inquiens, dispensationem illam factam fuisse a Deo per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus sanctis facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum secundarium prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis in Dei cultum educandæ. Et in responsione ad tertium, quum sibi opposuisset id, quod fit per dispensationem, non posse trahi in argumentum, & exemplum pro iis, quibus privilegium, aut dispensatio non est data, respondet: Quod qualis est lex, talis esse debet dispensatio legis: unde quia lex naturæ est cordibus impressa, non oportuit dispensationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri. Nam quod Abraham, Deo inspirante, & acceptante, fecit, id ego in similibus circumstantiis facere non prohibeor; at quod Abraham, Deo dispensante, fecit, id ego sine dispensatione non possum facere. Atque duo illa Theologorum dicta ita explicata sunto.

5. Quamvis autem Polygamia non possit dici simpliciter contra legem naturæ, ut explicatum est, tamen jure divino videtur fuisse prohibita. Consuetudo enim præcipue a veris Dei cultoribus constanter observata, maxime vero si Deum ipsum institutorem habeat, vim legis habet; sed qui fecit ab initio hominem, masculum, & fœminam unam creavit, quum plures possit: ergo matrimonium simplex ab initio constituit Deus, sive unius cum una. Quam divinam institutionem sancti Dei homines usque ad Noemum sequuti sunt, & post diluvium usque ad Abrahamum, in quo per duas uxores, & duos liberos mysteria Synagogæ, & Ecclesiæ, novumque, ac vetus Testamentum figurare voluit, D. Paulo interprete. Hoc argumento Tertullianus, & Hieronymus Lamechum adulterii reum faciunt. Peccavit enim, quamvis non contra jus naturæ primarium, tamen contra morem omnium Sanctorum illius temporis Deo authore inductum. Et quia consuetudo antiqua, constans, & in divina institutione, & conditione hominis fundata veluti in naturam transit, ideo ex hoc etiam capite Polygamia simultanea contra jus naturæ, aut naturalem legem esse dicitur, sumpto pro lege naturæ communi more hominum, a Deo conditore instituto, & veluti cum natura ipsa ad posteros derivato.

6. De-

6. Denique per Christum Redemptorem ea licentia penitus abolita est; Christus enim matrimonium ad suæ primæ institutionis formam revocavit quoad omnia dicens: (*Math.* 19.) Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propterea relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam jam non sunt duo, sed una caro. Quos ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & uxorem dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. (*Math.* 5. & 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16.) Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ut enim rectissime ex Innoc. III. argumentatur Bellarminus: (*lib. de Matrim. cap.* 10.) Si uxore ob fornicationem dimissa, non licet alteri copulari, dum adest periculum incontinentiæ: ergo multo minus priore uxore retenta, ubi tale periculum non adest. Conditionatum vero antecedens infra probabitur. Accedunt dicta Sanctorum apertissima. Ambros. enim 1. de Abrah. 7. Non licet tibi, uxore vivente, aliam ducere, aliam quærere, quum habeas unam, adulterium est .... Nullius viri posterioris, ait Augustinus, (2. *de adulterin. conjugiis cap.* 4.) mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur.... Ergo manifestum est, concludit Innocent. I. ep. 3., (*ad Exuper. cap.* 6.) eos, qui interveniente repudio, vel vivente uxore, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, alii se matrimonio copularunt, adulteros esse.... (*Ep.* 9.) Et quia fide divina suffragante, illud est conjugium, quod primitus erat divina grasia fundatum, patet, conventum secundæ mulieris, priore superstite, nullo modo esse posse legitimum.... Duas enim simul habere uxores, inquit Nicolaus I. ad consult. Bulgaror. (*cap.* 51.) nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Sed quid ille inquit Christianorum? Etiam antiquæ Romanorum Paganorum leges neminem, inquiunt, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet, quum etiam in Prætoris edicto hujusmodi viri infamia notentur: quam rem competens judex inultam esse non patiatur. Leg. Neminem C. ad leg. Jul. Falsum est ergo, Valentinianum Imp. Christianum Severam, & Faustinam simul habuisse, & publico edicto permisisse unicuique, ut quas vellet, duceret, quod Socrates scripsit, (*lib.* 4. *cap.* 31.) quum hujus Edicti nullus legum Codex, nullus coævus author meminerit, aut posterior præter Socratem. Nec hujusmodi monstra in argumentum, aut exemplum deduci possunt. Quod vero legitur in cap. Proposuisti

32.

32. q. 7. Gregorium II. concessisse Bonifacio, ut uxori suæ ægrotanti aliam substitueret. Hoc, inquam, vel de ægritudine antecedente ad matrimonium intelligendum est, unde irritum, & nullum fuerat, vel inter apocryphas Decretales numerandum. Unde ipse Gratianus ibi notat decretum illud Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ contrarium haberi. Certe Epistola illa ab Zacharia Gregorii successore quæsita esse dicitur, nec in Rom. Ecclesiæ scriniis inventa.

PROPOSITIO XII.

Maritalis vinculi indissolubilitas explicatur.

1. Hic rursum triplex matrimonii natura recolenda est. Est scilicet officium naturæ, cujus primarium bonum est proles. Est contractus obligationem pariens, & ejus primarium bonum est fides. Est mysticum signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, & sic habet bonum Sacramenti. Primo modo dicetur matrimonium naturale, secundo modo matrimonium Civile, tertio modo matrimonium Ecclesiasticum. Et primo quidem matrimonium etiam mere naturale quamdam firmitatem, atque stabilitatem importare, supra ex D. Thoma ostensum est, (*lib. 6. prop.* 33.) atque inde probatum simplicem fornicationem turpem esse, atque naturali lege prohibitam. Non tamen inde dici potest insolubile a natura, quum dissolvi potest, & facto ipso dissolvitur, si alter conjugum ad fidem convertatur, altero baptizari, & cohabitare recusante, dicente Apostolo: (1. *Corinth. cap.* 7.) Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam .... Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, unde potest, si voluerit, ad secunda vota transire, ut habetur cap. Quanto de Divortiis. Quando igitur alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, distinguendum est; quia si infidelis vult, & consentit pacifice habitare cum fideli, sine contumelia Creatoris, & sine hoc, quod eum ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris.... tunc fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari. Quæ verba, & sententiam D. Thom. in 4. sent. dist. 20. art. 5. miror non vidisse Antoinium q. 11. dub. ult. & Tournellium, (*de Matrimon. q.* 5. *art.* 2.) qui in eo dubio hæret. Bellarminus autem (*lib.* 1. *cap.* 12. *de Matrimon.*) solum dicit, non peccare eum, qui dimittit volentem cohabitare; sed non dicit, posse aliud matrimonium contrahere.

2. Jam vero matrimonium Civile addit matrimonio naturali solennem

nem pactionem, & contractum, quo conjugi in corpus conjugis jus stabile acquiritur. Unde a Jurisconsultis definitur: Conjunctio viri, & fœminæ individuam vitæ consuetudinem retinens. Accrescit ergo matrimonio naturali firmitas per contractum. Nam matrimonium naturale non videtur exigere cohabitationem viri, & fœminæ nisi propter prolem, quæ per longum tempus alenda est, educanda, protegenda, instruenda, donec ad adultam ætatem perducatur. At in matrimonio civili, etiam prole, aut copula non sequuta, sibi mutuo potestatem sui corporis tradunt conjugati, quam violare non possunt sine alterius injuria. Et quamvis carnalis copula per sese sit veluti implicitum matrimonium, & contractus, uti dictum est; (*lib. 6. prop.* 33.) tamen inde non resultat mutua obligatio conjugis ad conjugem; sed conjugum ad prolem, cui debent educationem quum naturalem, tum politicam. Item matrimonium naturale non æqualiter utrumque conjugem ligat nexu perpetuo. Vir enim, quasi mulieris caput, fœminam occupat per possessionem naturalem, atque ita fœminei corporis dominium acquirit, sicut aliarum rerum, quæ per naturalem apprehensionem primi occupantis fiunt; at fœmina per coitum nullum acquirit dominium supra corpus viri, ut ab eo fidem exigat, quamvis possit ab eo exigere onera illa, ad quæ volens se subjecit, dum generationi operam dedit, & quæ partum, ac prolem naturaliter consequuntur. Fortius igitur, & sacratius vinculum est matrimonii civilis, quam matrimonii naturalis, nec tamen adhuc dici potest jure naturæ, aut divino indissolubile. Utrumque enim jure divino dissolvitur per conversionem unius conjugis ad fidem, altero resistente, ut ex Paulo habitum est, sive ratum sit, sive consummatum. Et matrimonium etiam inter fideles ratum, non consummatum, dissolvitur per professionem publicam continentiæ ex Ecclesiastica traditione; cui consonat perpetua Ecclesiæ praxis Tridentini decreto confirmata, ubi definitum est sess. 24. can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, & non consummatum per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. Item in lege veteri matrimonium etiam consummatum dirimebatur per repudium, Deo permittente. Non ergo dici potest matrimonium sive naturale, sive civile jure naturæ, aut jure divino indissolubile, quod tot in casibus solubile, aut solutum esse conspicitur, ipso authore naturæ, & Legislatore Deo consentiente.

3. Superest igitur matrimonium Ecclesiasticum, sive quatenus est Sacramentum in lege nova. Sed etiam hoc dissolubile apparet. Si quidem sit ratum per solennem Professionem Continentiæ, ut nuper ex Tridentino dictum. Si autem sit consummatum omnino indissolubile est, apud Latinos; apud Græcos autem per alterius conjugis, præ-

ser-

sertim uxoris adulterium dissolvi potest, Latinorum Ecclesia non improbante, de quo inferius.

4. Quamvis autem hæc ita sint, tamen non est rejicienda communis sententia Scholasticorum dicentium indissolubilitatem matrimonii quum ex naturali, tum ex divino jure descendere. Subtilius enim illi quidem, sed vere, & solide loquuntur tamen. Naturale enim alicui rei dicitur, non quod ex accidenti habet, vel non habet, vel quod extrinseco ei advenit. Sed quod ex natura exigit, ut habeat, & quod præter, aut contra naturam suam habet; sic soliditas est naturalis lapidi, & expansio naturalis aeri. Omne autem matrimonium ex natura sua, & ex divina institutione importat quandam stabilitatem, diuturnitatem, & perpetuitatem, quam exigit. I., necessitas prolis alendæ, atque educandæ. II., ipsa conjugatorum dispositio per verba manifestata. Nunquam enim pro matrimonio habitus est libidinosi cujusvis adolescentis accessus ad fœminam; sed non ob aliam rationem nisi propter defectum stabilitatis, sive animi, & propositi perpetuo convivendi: ergo hujusmodi stabilitas, aut propositum est de natura, & essentia matrimonii, quod bene definitum est propterea: Societas viri, & fœminæ individuam vitæ consuetudinem retinens. Præterea: nulla conditio apposita matrimonio, aut contractui alicui illum vitiat, nisi quæ directe opponitur naturæ, atque essentiæ contractus; sed si quis ita contraheret: Accipio te in uxorem donec mihi sex filios v. g. dederis, aut donec ad 40. annum perveneris, is proculdubio verum matrimonium non contrahit: Matrimonium ergo suapte natura exigit stabilitatem, & perpetuam, atque individuam vitæ consuetudinem. Huic item matrimonii conditioni, atque indoli magnum accedit incrementum ex Creatoris institutione. Unde (*Trid. sess.* 24. *cap. unic.*) matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, quum dixit: (*Gen.* 2.) Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea . . . . . (*Math.* 19.) Propterea relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una . . . . . Ejusdemque nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam Christus Dominus confirmavit dicens: (*Matth. ibid.*) Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Loquitur autem Tridentinum ex mente Patrum. Nunc enim & creationis, & sanctionis modo unam uni perpetuo conjungi, & numquam rescindi oportere, Christus docuit. Audi autem quomodo loquatur: Erunt duo in carne una &c. nec ad mulierem virum accedere simpliciter voluit, verum etiam ei adhærere, atque adglutinari, potestate dictionis ostendens illos minime esse separandos . . . . Quemadmodum igitur scelus est in duo dividere

carnem unam; sic & virum a muliere sua disjungere iniquissimum est. Neque in hoc stetit, sed Deum quoque attestatus est: dicens: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ita ostendit, & præter naturam, & contra legem esse repudium: præter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem, quia Deus eos conjunxit, ac jussit non separari. Hæc Chrysostomus hom. 63. in Matth., ubi distincte triplicem maritalis vinculi causam assignat, ipsam nimirum naturam contractus, & primam institutionem Creatoris, & positivum Dei præceptum. Similiter Ambrosius 8. in Luc. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui leges ferunt. Quod Deus conjunxit, homo non separet. Sed non solum hic cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur. Ex quibus verbis apparet, matrimonium non solum ex Christi præcepto, sed etiam suapte natura, atque institutione esse indissolubile. Hinc Augustinus eum, qui uxorem dimittit ut aliam ducat, non solum in Deum peccare asserit, sed ipsam violare humanam societatem, cui per maritalem contractum uxori se perpetuo nexu obstrictum demonstraverat.... (*de bono conjugali cap.* 24.) Bonum enim Nuptiarum apud reliquas gentes est in causa generandi, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere.... Viri, inquit, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam, cujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas, & fœmina connubio copulati quandiu vivunt, inseparabiliter perseverent.... Hoc enim custoditur in Christo, & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Lib. 1. de Nuptiis, & conc. c. 10.

5. Restat autem explicandum quomodo cum hac indissolubilitate radicali, ut ita dicam, & naturali matrimonii aut rati, aut consummati stare possit actualis dissolutio, quæ in multis casibus invenitur. I. Per conversionem unius conjugis ad fidem, altero recusante, atque hoc sive matrimonium ratum fuisset, sive etiam consummatum. II. In matrimonio rato tantum, non consummato per professionem publicam, & solennem continentiæ, aut Religiosi status. III. In matrimonio sive rato, sive consummato per libellum repudii in Mosaica lege. Primi habemus testem Paulum in 1. ad Corinthios. (*cap.* 7.) Secundi Concilium Tridentinum, (*Sess.* 24. *can.* 6.) & praxim Ecclesiæ Catholicæ a primis sæculis usque ad nostram ætatem. Tertii Moysem, imo Christum (*Matth.* 19.) dicentem, Moysem permisisse suis libellum repudii. Non est ergo cur in his probandis immoremur, de quibus nullus unquam verus Catholicus dubitavit. Re igitur supposita, Scriptores Theologi in tribus his casibus, ne viderentur tantum humanis constitutionibus tribuere, ut per eas jura naturæ,

ræ, & divina institutio rescindi, ac relaxari possit, dicunt in datis casibus matrimonium dissolvi, non humana authoritate, sed dispensatione divina. Dispensationis autem nomine large usi sunt, ut supra dictum est, (*in præc.*) quum de Polygamia, sive uxorum pluralitate, in qua Deus cum antiquis Patribus dispensasse dicebatur.... Dispensatio enim, præcipue in præceptis, quæ sunt aliquo modo legis naturæ, est, inquit D. Thomas, (*loco ibid. cit.*) sicut mutatio cursus naturalis rerum, qui dupliciter contingit. Uno modo ex aliqua causa naturali, per quam alia causa naturalis impeditur ab cursu, & effectu suo, sicut descensus lapidis impeditur a fortiori impulsu, aut actio ignis ab actione aquæ... Sed per hunc modum non variatur cursus naturalis rerum universalis, & perpetuus, sed tantum particularis. Nam prima lex naturæ est, ut in collisione operationum debiliora cedant fortioribus. Alio modo potest mutari cursus naturalis rerum per causam supernaturalem, sive existentem supra, & extra totum ordinem naturæ, ut accidit in miraculis, quæ non habent causam in natura, & sic potest mutari cursus naturalis non solum ordinarius, & frequens, qui ut plurimum observatur, sed etiam constans, & perpetuus, sicut in statione solis tempore Josuæ, & in retrocessione ejus tempore Ezechiæ. Causa autem supra, & extra totum ordinem naturæ existens non est nisi Deus, atque adeo solus Deus potest totum naturæ cursum immutare, ut fit in miraculis, & tamen Deus miraculæ operando nihil contra naturam universalem operatur, quia hoc est unicuique rei naturale, quod ipse fecerit, qui voluntate sua naturam rebus attulit, & negare se ipsum non potest. Non igitur Deus aliqua dispensatione naturam, quam fecit, immutat, nec jura, & exigentiam, quæ naturis ipse indidit, evertit, sed ob causas superiores, ad quas natura attingere non potest, effectus naturales suspendit, aut prætermittit, & sic dicitur ex dominio altissimo in naturæ legibus dispensare. Adde: quod inseparabilitas matrimonii non videtur inter prima naturæ præcepta contineri, sed magis inter secunda. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi quatenus ad hoc, quod per parentes filiis provideri debet ad totam vitam per debitam præparationem eorum, quæ sunt ad vitam necessaria; hujusmodi autem præparatio non est de prima intentione naturæ, secundum quam omnia sunt communia. Et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturæ dimissio uxoris, & consequenter nec contra prima, sed contra secunda legis naturæ, præcepta. Unde neque stricta, & propria dispensatione opus fuit.... In bono enim prolis, secundum quod est de prima intentione naturæ, intelligitur procreatio, & nutritio & instructio quousque proles in adultam ætatem ducatur; sed quod ei

provideatur in posterum per hæreditatis, & aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam naturæ intentionem, quæ etiam sine ulla legis naturalis relaxatione, aliquando ob majus bonum impediri, aut suspendi potest. Bonum autem commune semper divinius est, & præstantius bono particulari. Matrimonium vero principaliter ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis; sed tamen ratione finis secundarii ordinatur ad bonum personæ matrimonium contrahentis, quatenus per se est remedium concupiscentiæ. In legibus ergo matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid cui competere possit. Quamvis ergo inseparabilitas matrimonii impediat bonum prolis in aliquo individuo particulari, tamen non est inconveniens ad bonum prolis simpliciter. Inde D. Thom. ex Augustino, & Patribus supra allatis docet, (*q.* 66. *art.* 1. *ad* 2.) inseparabilitatem matrimonio competere duplici ex capite, & quatenus est Sacramentum, seu signum perpetuæ conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, & quatenus est officium naturæ ordinatum ad bonum prolis. Separatio igitur matrimonii magis directe pugnat significationi matrimonii, quam prolis bono, cui non repugnat nisi ex consequenti, ut dictum est. Unde inseparabilitas matrimonii magis in bono Sacramenti intelligitur, quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit. Et secundum quod pertinet ad bonum prolis, erit de lege naturæ, non autem secundum quod pertinet ad bonum Sacramenti.

6. Jam vero matrimonia ante baptismum contracta non perfecte participant rationem Sacramenti, ut dictum est. Solum ergo dici possunt Sacramenta in sensu minus stricto, & sic accipitur quod dictum est in cap. Gaudemus de Divortiis, quod Sacramentum conjugii tam in fidelibus, quam in infidelibus invenitur.... Tale enim matrimonium est aliquomodo Sacramentum, nimirum, habitualiter, inquit D. Thomas, (*in* 4. *Sentent. dist.* 39. *Scripto secundo.*) quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ, extra quam nullum est Sacramentum. Quibus omnibus ex D. Thomæ doctrina præjactis, sic argumentum pro Pauli, & Ecclesiæ doctrina conficitur. Separatio conjugum non opponitur matrimonio ante baptismum contracto ratione significationis, quum non sit proprium Sacramentum. Nec etiam opponitur matrimonio, quatenus est officium naturæ, aut etiam contractus mere civilis. Non enim est de prima intentione naturæ, nec ei competere potest ex solennitate extrinseca legum civilium, quæ necessario cedunt legibus naturalibus, ac divinis: ergo casu quo hujusmodi matrimonium inveniretur divinis legibus adversum, natura matrimonii, & lege humana non obstante, dissolvi potest. Maximum autem, & primum mandatum est de cul-

cultu, ac reverentia divini nominis: ergo ubi matrimonium inveniatur stare non posse sine contumelia Creatoris, vel sine propriæ animæ periculo, omne ejus vinculum, & omnis obligatio cessat. Scriptum est enim: (*Math.* 5.) Si oculus tuus, aut manus tua scandalizat te, erue eum, & projice abs te, id est, quæcumque sint vel tibi charissima, vel utilissima, si animæ saluti adversantur, relinque, & projice. Sed hic supponitur casus esse conjugis infidelis nolentis cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, aut cum propriæ subversionis periculo: ergo hujusmodi conjugium æquissime, ac rectissime dissolvitur. Habet enim conjugium, & omnis contractus humanus hanc veluti implicitam conditionem: Duco te in conjugem, si fieri potest sine læsione divini cultus: ergo ea conditione non impleta, omnis obligatio cessat, & matrimonii vinculum veluti suapte natura dissolvitur.

7. Nec dissimilis est ratio quare matrimonium ratum, & non consummatum ex Ecclesiæ traditione dissolvitur, quod erat secundum. Nam sicut matrimonium infidelium non est perfectum in ratione Sacramenti, ita matrimonium ante consummationem non videtur perfectum in ratione contractus. Verba enim consensum exprimentia de præsenti conferunt jus ad rem, sed non jus in re. Unde sicut non censetur perfecta venditio per sola verba stipulationis antequam venditor rem emptori tradat, & emptor pretium venditori, ita non censetur perfectum matrimonium antequam conjuges sibimet sui corporis potestatem faciant per usum copulæ conjugalis. Inde etiam matrimonium quantumvis ratum, non habet perfectam significationem Sacramenti, quamvis sit verum Sacramentum, quod expresse tradit Innocent. III. cap. Debitum de bigamis inquiens: Conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad conjugium illud designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium contractum est. Ad quæ verba alludens, & explicans D. Thomas: (*qu.* 61. *Suppl. art.* 2 *ad* 1.) Matrimonium, inquit, ante carnalem copulam significat illam conjunctionem, quæ est Christi ad animam per gratiam, quæ quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, nimirum, per peccatum mortale: sed post carnalem copulam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam quantum ad assumptionem humanitatis in unitatem personæ, quæ omnino est indivisibilis. Ratio autem est, quam idem D. Thomas explicuit, (*qu. cit. art.* 2. *ad* 2.) dicens: Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed quasi illa implicita conditione, (ex antiquo more, & instituto Ecclesiæ) nisi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ transire velit; sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat

uter-

uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis. Unde non statim post matrimonium contractum per verba de præsenti tenetur conjux conjugi petenti reddere debitum, sed datur eis certum tempus, nimirum, duorum mensium, & hoc propter tria. I. Ut quasi jam conjuges de sua possessione securi, & sedata anxietate illa, & conflictu passionum, quæ amantium animos agitare solet, tranquillius deliberent de statu perfectioris vitæ amplectendo. II. Ut præparentur quæ sunt necessaria ad solitam solennitatem nuptiarum. III. Ad castum amorem inter ipsos conjuges accendendum, ne, quod est apud Augustinum: (8. *Conf.*) vilem habeat maritus statim oblatam, quam non suspiravit dilatam. Porro ex dictis patet, non dissolvi hujusmodi matrimonia ex lege, aut institutione sola Ecclesiæ, quia omnis humana authoritas excluditur, quum dicitur: (*Math.* 19.) Quos Deus conjunxit, homo non separet. Nec item ex dispensatione Pontificum, quia Pontifex, inquit Sotus, (*in* 4. *dist* 27. *qu.* 1. *art.* 4.) super jure divino, & naturali, quale illa verba significant, Papa minime dispensat.... Authoritas vero (pergit) Martini, & Eugenii, quas Antoninus refert, (3. *p. tit.* 1. *c.* 21.) & aliorum, si vera sunt, quod similes dispensationes fecerunt, nullatenus tanquam Ecclesiæ determinatio movet, quia factum Pontificum non facit fidei articulum. Unde Alex. III. in append. Conc. Lateran. III. de casu simili loquens: Quamvis alii, inquit, aliter sentiant, & aliter etiam a quibusdam nostris prædecessoribus sit aliquando judicatum. Ex quibus Alexandri verbis Cajetanus, (*Comm. in* 19. *Math.*) & Catharinus ejus impugnator (*in opusc. de Matrim. & lib.* 5. *annot. in Cajetan.*) uniformiter dicunt, Decretales Pontificias hac in materia non esse definitivas fidei, sed judiciales facti. Profitentur enim ipsi summi Pontifices, a suis Prædecessoribus aliquando in his de matrimonio judiciis erratum fuisse. Sed de hoc alias. Dicendum ergo, separationem, aut dissolutionem matrimonii rati per solennem professionem continentiæ valere virtute conditionis implicitæ, sub qua ab Apostolicis temporibus usque ad nostra semper intellexit Ecclesia ab Spiritu Sancto edocta, & Sanctorum exemplis confirmata, ita intelligi debere verba Evangelica; quibus matrimonii dissolutio prohibetur. Unde Alex. idem cit. Appendic. cap. 8. respondens Brixiens. Episcopo, Sane, inquit, quod Dominus in Evangelio dicit: Non licet viro uxorem suam nisi causa fornicationis dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri Eloquii, de his, quorum matrimonium est carnali copula consummatum. Interpretationem, inquit, non scriptam, sed ab antiquis temporibus traditam, & usu ipso, & constanti praxi Ecclesiæ, & Sanctorum, quæ est optima legum interpres, declaratam. Non ergo audiendus hic Maldonatus (*De matr. cap.* 6.) quum scribit, argumentis

con-

contra Ecclesiæ praxim responderi non posse, nisi aut concedatur matrimonium ratum, & nondum consummatum non esse verum matrimonium, & verum Sacramentum, aut certe Ecclesiam ita existimasse, quum decrevit, licere post matrimonium ratum conferre se ad Religionem, altero conjuge invito, & licere huic adire alias nuptias. Male id, inquam. Nam ante carnalem copulam verum esse matrimonium, & verum esse Sacramentum, fide certum est, neque contrarium Ecclesia existimare potuit, nisi in fide erraret, quod Maldonatus, ut opinor, non dabit. Est igitur matrimonium ratum verum matrimonium, & verum Sacramentum, nec unquam Ecclesia contrarium existimare potuit; sed quia ante consummationem non sunt conjuges una caro effecti, neque ratio significationis ita perfecta, facilius dissolvitur, sicut contractus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis facilius dissolvitur quando non est rei, & pretii facta traditio, aut quando conductor in agri possessionem non est immissus. Nam quid opus erat definire, per professionem dissolvi quod non erat verum matrimonium, & verum Sacramentum?

8. Superest vero tertium discutiendum, nimirum, de dissolutione matrimonii per libellum repudii, quod quidem repudium in Mosaica lege fuisse permissum, extra dubium est. Ejus autem rei primum exemplum habemus in Abrahamo, qui Agar ancillam, quam poscente conjuge Sara, in uxorem duxerat, rursum dimisit. Tamen hoc factum Abrahæ non videtur in exemplum, & argumentum deducendum. Factum est enim ex singulari præcepto Dei. Nam quum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: (*Gen.* 21.) Ejice ancillam & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure autem accepit hoc Abraham pro filio suo, quasi natura reclamante. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super ancilla, & super filio ejus. Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum. Abraham ergo de voluntate Dei, & ejus super puero, & ejus matre providentia, & protectione securus, Saræ dictis paruit, uxoremque dimisit. Quod autem vir sanctus ex peculiari Dei revelatione fecit, non potest pro aliis in argumentum trahi. Tamen ut dictum est, in lege Moisi repudium permissum erat. Permitti autem dicitur aliquid quadrupliciter. I. Permitti dicitur, quod non præcipitur. Quando enim majus bonus, v. g. Virginitas non præcipitur, matrimonium permittitur, unde Apostolus (1. *Corint. cap.* 7.) secundum indulgentiam, inquit, non secundum imperium. II. Permitti dicitur, quod non prohibetur, ut Christianis militare permissum est, & mercaturam gerere. III. Permitti dicitur, quod quum possit impedi-

ri, non impeditur, & sic peccata hominum dicitur Deus permittere. IV. Dicitur permitti, quod non punitur. Et sic apud Christianos Judæi, & meretrices permitti dicuntur. Quæstio ergo est, quo permissionis genere repudium in lege Mosaica permissum fuisse dicatur? Hæc autem controversia ex alia oritur: an, nimirum, per repudium Mosaicum matrimonium dissolveretur quoad vinculum, ita ut dimittens, & uxor dimissa ad alias nuptias transire possent & licite, & valide, an solum quoad thorum, & cohabitationem, vinculo remanente. Quidquid autem sit de aliorum opinionibus, D. Thomas ambiguus hæsisse videtur. (*qu.* 67. *Suppl. art.* 3. *&* *in* 4. *dist.* 33. *qu.* 2. *art.* 2. *q.* 2.) Dicendum enim, inquit, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod qui sub lege uxorem, dato libello repudii, mittebant, non excusabantur a peccato, quamvis excusarentur a pœna per legem infligenda, & propter hoc dicitur, Moyses libellum repudii permisisse non primo, aut secundo permissionis genere, sed tertio, & quarto, quatenus repudium nec impedivit, nec punivit .... Sed quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat, ut peccatum ostenderet, sicut communiter dicunt Sancti, ideo aliis videtur, quod si repudiando uxores peccassent, hoc saltem eis per legem, aut Prophetas indicari debuisset, quibus dictum est: (*Isai.* 58.) Annuntia populo meo scelera eorum. Alias nimis viderentur esse neglecti, si ea, quæ necessaria sunt ad salutem, & quæ ignorabant, nunquam eis nuntiata fuissent, quod dici non potest, quum justitia legis tempore suo observata vitam mereretur æternam. Et propter hoc dicunt, quod quamvis repudiare uxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina per Moysem promulgata licitum fiebat, & confirmant ex Chrysostomo (*hom.* 32. *in Mat. in oper. imperf. tom.* 2.) dicente, quod Moyses a peccato abstulit culpam, quando repudium permisit. Quamvis tamen hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius sustinetur, & ideo ad utrasque rationes respondendum est. Bellarminus (*lib.* 1. *cap.* 17.) secundam illam sententiam probabiliorem putat, quem sequutus est Tournellius. (*qu.* 5. *art.* 2.) Gottius (*Tract.* 13. *qu.* 1. *dub.* 2. §. 2. *tom.* 3.) communem sententiam tuetur. Et certe D. Thomas, quamvis in Commentariis super libros Sententiarum, ex quibus desumptum est Supplementum tertiæ partis, utramque opinionem probabilem vocet, tamen in Summa contra Gentiles, & in Summa Tripartita, quæ opus ejus est ultimum, ac limatissimum, primæ illi, & communi sententiæ adhæsisse videtur juxta morem suum, qui communes Theologorum sententias magni semper facit, ac sequitur. In libr. enim 3. cont. Gentes cap. 123. Excluditur, inquit, consuetudo Judæorum dimittendi uxores, quod tamen in veteri lege permissum eis fuit pro-

pter

pter eorum duritiem, quia nimirum proni erant ad occisionem uxorum. Permissum ergo eis fuit minus malum ad excludendum majus. Et 1. 2. qu. 105. art. 4. Lex permisit repudium uxoris, non quia simpliciter justum est, sed propter duritiam Judæorum. Et quæst. 108. art. 3. Scribæ, & Pharisæi errabant, quia quædam, quæ in lege Moysi tradita erant, tanquam permissiones existimabant esse per se justa, sicut uxoris repudium, & accipere usuras ab extraneis. Et ideo Dominus prohibuit repudium Matt. 5., & usurarum acceptionem Luc. 6.

9. Notandum autem circa hoc primum per legem repudii nunquam permissum fuisse, ut uxor virum dimitteret, sed solum ut vir uxorem. Ex quo sequitur virum repudiantem potuisse ad alias nuptias transire. Tunc enim quum esset permissa Polygamia, licebat viro plures uxores habere, & ideo, inquit D. Thomas, (*qu.67. Suppl. art.* 4. *ad* 1.) una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere. Sed nunquam uxori licuit plures habere viros, & ideo repudiata non poterat ad alias nuptias transire. Repudiata ergo ad secundas nuptias transiens habebatur polluta, & abominabilis coram Domino. Deuteron. 24. Tamen de facto repudiatæ sæpius aliis nubebant, quia etiam ea, quæ in veteri lege illicita erant, a multis licita putabantur per non rectam præceptorum expositionem, sicut patet de odio inimicorum, & ita etiam est de repudio, ut ibi (*ad tertium.*) D. Thomas. Sic item Repudium putabant præceptum, ut ipsi ad Christum dixerunt, quum non esset nisi permissum, ut Christus eos admonuit. (*Math.* 19.) Sic etiam putabant licere uxorem dimittere quacumque ex causa, quod etiam Christus correxit dicens, non licere nisi ex causa fornicationis. Qui autem præcepit dari libellum repudii, inquit Augustinus, (*lib.* 1. *de Serm. Domini in monte cap.* 14.) non hoc præcepit, ut uxor dimittatur, sed supposito casu, ob duritiam cordis Judaici, qui dimiserit, inquit, det libellum repudii, non ut facilius faceret repudium lege sua, imo ut redderet difficilius, ac circumspectius, & iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret, atque ideo in scriptis dari voluit, & Scribæ, aut publici Notarii authoritate munitum, ut tum demum ad repudium veniretur, inquit Augustinus idem, (*lib.* 19. *cont. Faust. cap.* 26.) quando in animo nimis averso, atque perverso consilium concordiæ non valeret. Moyses, inquit Hieronymus in Matt. cap. 5. (& 19. *cap.* 61.) quum videret propter desiderium secundarum conjugum quod vel juniores, vel ditiores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, vel malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, id est, divortium, quam mala, & homicidia perseverare. Simul & considera, quod non dixit: Ad duritiam cordis vestri permi-

misit vobis Deus, sed permisit Moyses, ut juxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei. Quæ postrema verba, inquit Gottius, (*qu. cit.* §. 2.) valde notanda sunt, innuere enim videtur repudium non divina authoritate, sed humano consilio permissum, uti quum dixit Apostolus: Cæteris ego dico, non Dominus, de quo supra dictum est, libro 8., (*prop.* 11.) quum de Mosaicæ legis authoritate actum est. Notandum insuper ex D. Thoma, (*q. cit. art.* 5.) quod in lege de libello repudii duo erant permissa, scilicet, dimittere uxorem, & uxorem dimissam alteri jungi, sed diverso modo. Nam dimittere uxorem, non quacumque ex causa permissum erat, sed solum ex gravi causa ad matrimonium superveniente, maxime causa fornicationis, & tunc erat licitum repudium, ita ut repudians licite, & valide ad alias nuptias transire posset, dum polygamia licita erat. Secundum autem, ut nimirum uxor repudiata ad alias nuptias transire posset, nunquam permissum fuit ut licitum, sed solum ut impunitum. Duo autem alia erant præcepta, nimirum, ut repudium daretur per libellum ab Scriba publico, aut Notario consignatum, & ut repudians uxorem repudiatam iterum admittere non posset, sive in pœnam uxoris, si alteri nuberet, sive in pœnam repudiantis, ut non de facili uxorem repudiaret, quam postea nullo modo recuperare posset, quod videtur verius, quia lex eandem vim habebat, etiam si uxor alteri non nuberet.

10. His ergo positis, ad argumenta Bellarmini (*lib.* 1. *de Matrim. cap.* 17.) non est respondere difficile. Argumentatur enim. I. Multum inæqualem tunc futuram conditionem mulierum in repudio, quam virorum, quum illi possent rursum conjungi matrimonio, non autem uxores. Respondeo esse quidem inæqualitatem, sed eam non esse imputandam repudio, sed naturæ, & conditioni fœminæ, secundum quam nunquam permissum est mulieri habere plures viros, sicut licuit aliquando viris habere plures uxores. Unde etiam in matrimonio semper fuit, estque durior conditio fœminarum. II. Lex vetus, ait Bellarminus, nunquam damnabat, aut puniebat nuptias repudiatarum. Distinguo: non damnabat, aut puniebat pœna mortis, concedo; pœna infamiæ, irregularitatis, & immunditiæ saltem legalis, nego. Mulier enim repudiata, quæ alteri nubebat, polluta dicitur, & abominabilis facta coram Domino Deut. 24. Similiter Jerem. 3. polluta, & contaminata dicitur, & fornicariis comparatur, idque tanquam vulgi proverbium notissimum affertur. Quod si pœna mortis non puniebantur, nec lapidabantur, ut adulteræ, ideo erat, quia jam usus contrarius prævaluerat propter duritiam cordis Judæorum, accedentibus pravis interpretationibus Sacerdotum, de quo infra. Tertio, ait Bellarminus. Semel repudiata prohibetur ad primum vi-

rum

rum redire; sed stante vinculo non erat prohibendum, sed optandum potius, ut primo suo viro reconciliaretur: ergo solvebatur vinculum per repudium. Pro responsione notandum. Patres, ac Theologos super quæstionibus de Mosaico repudio, pro diversitate opinionum suarum multa, ac diversa scripsisse ex Judæorum interpretationibus, quæ nec inter se, nec cum sacro textu videntur posse componi. D. Thomas v. g. (*loc. cit.*) scribit, duo in repudii lege fuisse præcepta. I. Ut repudium daretur in scriptis. II. Ut maritus repudians, eam iterum accipere non posset. Hoc autem secundum Authores primæ opinionis factum fuit in pœnam mulieris, quæ alteri nupsit, & in hoc peccato polluta est. Sed secundum alios factum fuit in favorem mulieris, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam postea nullo modo recuperare posset .... (*ad tertium.*) Quidam item dicunt, quod licuit uxorem repudiatam viro reconciliari, nisi in matrimonio alteri viro juncta esset. Tunc enim propter adulterium, cui se mulier voluntarie subdidit, in pœnam dabatur ei, quod ad priorem virum non rediret. Sed quia lex universaliter loquitur, ideo dicunt alii, quod etiam antequam alteri nuberet, non poterat revocari ex quo repudiata erat. Alibi (*art.* 7.) docet, non oportuisse, ut causæ repudii speciatim libello inscriberentur. Nam si essent insufficientes, repudium esset nullum; si autem essent sufficientes, præcludebatur mulieri aditus ad secundas nuptias, quæ ei, inquit, secundum legem concedebantur; atqui nihil illicitum secundum legem concedebatur, aut concedi poterat: loquutus est hic ergo D. Thomas secundum sententiam eorum, qui repudiatis nubere iterum licitum putabant. Similis est confusio dictorum apud Sotum, Azorium, aliosque Scholasticos, & Interpretes. Alii enim loquuntur de re simpliciter secundum suam naturam spectata. Alii secundum diversas Theologorum opiniones. Alii secundum communem usum, & existimationem Judæorum inductam ex vulgari praxi, accedentibus interpretationibus suorum Rabbinorum.

11. Simpliciter ergo dicendum est. I. Moysem divina authoritate permisisse Hebræis uxoris repudium ex gravibus causis, permissione, uti dictum, impunitatis, non dispensationis. II. Præcepisse, ut repudium per scripturam daretur publica authoritate munitam Notarii, aut Scribæ. III. Per hunc li bellum nunquam fuisse concessum mulieri repudiatæ alteri nubere, atque adeo IV. Solum fuisse separationem, aut dissolutionem quoad thorum, & cohabitationem, non quoad vinculum. Tamen in praxi V. Propter duritiam gentis, & ex corrupta interpretatione Interpretum, & Rabbinorum inductum fuisse, ut repudiatæ ad alias nuptias transirent, per se quidem illicitas, sed in foro externo validas, & cum propter frequentiam, tum

propter Rabbinorum opiniones, tum propter jurium confusionem impunitas, ita ut non adulteria, sed vera conjugia reputarentur. VI. Hinc etiam ex diversis Rabbinorum opinamentis inductum, ut sibi licitum putarent uxorem dimittere quacumque ex causa, ut Christo ipsimet proposuerunt interrogantes. Id autem respondet Dominus, nec unquam fuisse mandatum, nec deinceps permittendum nisi ex sola causa fornicationis. Ex qua sola etiam in Lege Evangelica licet uxorem dimittere, quoad thorum, & cohabitationem, ut inferius. VII. Persuasum etiam erat Judæis, uxorem repudiatam non posse iterum viro suo reconciliari, quod polluta esset, & abominabilis facta coram Domino. Sed & hoc falsum erat. Uxor enim non dicitur polluta, quod esset repudiata, sed quod alteri viro se immiscuisset. Nusquam enim invenitur prohibitum, ut vir uxorem semel dimissam, non admittat, nisi quum egressa alterum virum duxerit Deut. 24., & Jerem. 3. Unde antequam matrimonium cum altero consummaret, non erat vetitum illam recipere, inquit Menochius in cit. loc. Deuteronomii. Quum ergo ait D. Thomas: Sed quia lex universaliter loquitur, intelligendum est, non de lege ipsa Deuteronomii, sed de lege, ut eam intelligebant, & interpretabantur Judæi, ut persuaderent, mulierem dici pollutam per repudium, non per commixtionem cum viro alio, quam ipsi licitam putabant. Hinc in forma ad Bellarmini argumentum distinguo majorem: Semel repudiata, si egressa alterum virum duxerit, prohibetur &c., concedo; si nulli alii se conjunxerit, nego. Et minorem: stante vinculo non erat prohibendum ex causa repudii, concedo; non erat prohibendum ex beneplacito Dei hanc mulieri pœnam infligentis, nego. Semper enim licuit, imo tenemur pacem habere ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, sed non ideo prætermittere debemus pœnas divinitus statutas. Per hanc enim pœnam dissolvit Deus vinculum, quod homo per repudium dissolvere non poterat.

12. IV. ait Bellarminus. Sacerdoti prohibetur ducere repudiatam: ergo aliis id licebat. Sed discrimen in hoc positum, quod repudiata, non ideo excluditur, quia repudiata, sed quia non virgo. Solum enim poterat ducere virginem Exod. 21. Unde repudiatam, etiam primo marito mortuo, ducere non poterat Sacerdos. Dices utique, quia jam tunc vidua erat, quam ducere Sacerdos non poterat. Sed etiam viduam non prohibebatur Sacerdos ducere, quia vidua erat, nam viduam Sacerdotis Sacerdos ducere poterat Exodi 44., sed quia virgo non erat. Ita respondet Gottius Cardinalis. (*loc. cit.* §. 3.) Melius tamen respondetur, & simplicius, distinguendo consequens: ergo aliis id licebat de facto, & impune, concedo; de jure, & licite, nego. Dices V. Agarem Abrahamus dimisit; sed non est credibile, Agarem in-

innuptam remansisse, & continentiam toto vitæ suæ tempore professam, quod eo tempore inusitatum erat, ac durum: ergo licite secundo nupsit. Idem dicendum de conjuge servi illius, qui septimo anno liber dimittebatur, quum uxor ejus maneret in potestate domini sui Exod. 21. Respondetur negando minorem. Nam quum Abraham ex singulari Dei mandato uxorem dimisisset, Dominus & Agarem, & filium ejus sub speciali protectione suscepisset, potius est ut credamus, ipsam singulari Dei protectione fultam, & ejus confisam promissis ab omni se conjugio liberam continuisse mysterii causa. Servus autem occasione septimi anni dimissus poterat, si vellet, in domo domini sui prioris manere, vel etiam herili domo egressus uxorem suam maritali affectu prosequi. Lex enim illa non in servi maritati pœnam, sed in favorem inducta erat. Dices V. Mirum esse neque Moysem, neque Prophetas, qui alia populi peccata tanta libertate reprehendebant, nunquam palam reprehendisse illa adulteria, quæ tam frequentia erant cum repudiatis. Ita Bellarminus, & ex eo Tournelius, & ex sententia aliorum idem argumentum tetigit D. Thomas supr. citatus. Respondetur ad hoc argumentum, negando assumptum. Nam quid enim? An non nuptias repudiatarum improbavit Moyses, quum declaravit, (*Deut. cap.* 24.) mulierem illam, quæ repudiata alteri nupserit, pollutam esse, & abominabilem factam coram Domino? An non idem declaravit Jeremias, (*cap.* 3.) mulierem illam pollutam, & contaminatam, & ei similem, quæ fornicata est cum amatoribus multis? atque hoc vulgo notissimum esse dixit, quum in proverbium abierit? Vulgo enim dicitur, inquit, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo nupserit alteri, ... nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? An non Malachias (*cap.* 2.) multis disertissime crebra Judæorum sui temporis repudia reprehendit? Antequam verba producamus, notandum, in toto illo capite verba dirigi ad Sacerdotes. Ad vos, o Sacerdotes, mandatum hoc. Quare autem ad Sacerdotes, quum repudium esset commune populo? Nimirum, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirent populi, quia Angelus Domini exercituum est .... Vos autem scandalizastis plurimos in lege. Quid ita? Quoniam vestris corruptis interpretationibus legem corrupistis, & errandi occasionem dedistis populo, qui vos, ut Magistros in Israel, sequebatur .... Propterea disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, Magistrum, & discipulum, Sacerdotem, & qui eum sequuntur, de tabernaculis Jacob .... Et hoc enim rursum fecistis. Operiebatis lacrimis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: quam ob causam? Quia testificatus est Dominus inter te, &

uxo-

uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti. Et hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. Quasi diceretur: Dominus testis fuit, & judex inter te, & uxorem, quam despexisti, quum esset particeps tua, & uxor fœderis tui.... Nonne unus fecit utrumque, masculum & fœminam, & residuum spiritus Dei, quem spiravit in faciem Adami, vivificat fœminam? Quid autem unus quærit, nisi semen Dei? Id est, quid autem unus ille Deus quærit vos conjungens, nisi ut proles ex vobis nascatur sancta, & semen Dei sit & pars electi populi ejus.... Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Quum hæc dixisset vir Dei Malachias, subjungit deinde: Quum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Et hæc quidem verba non Prophetæ sunt ex propria sententia loquentis, sed ex sententia Sacerdotum, & Levitarum, inquit Hieronymus. (*in dict. cap.*) Sunt, inquit Menochius, verba Judæorum factum suum excusantium permissione legis, quasi dicant. Cur nos de hoc reprehendis? Quum Dominus Deus Israel per os Moysi dixerit: Quum odio habueris, dimitte. Quod ergo lege permissum est, tu damnabis? Hanc eandem difficultatem Christo opposuerunt Judæi dicentes: (*Matth. cap.* 19.) Quomodo Moyses mandavit dare libellum repudii? Respondet Dominus: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Id est, non mandavit quasi bonum, sed permisit quasi minus malum. Et simili modo respondet Malachias. Utique quum odio habueris, dimitte. Minus enim malum est uxorem dimittere, quam eam domi propediem affligere, verberare, occidere. Igitur quum odio habueris, dimitte; sed non id putes a Domino Deo Israel præceptum, inquit D. Thomas, (*qu.* 67. *Supplem. art.* 3. *ad* 2.) sed ad duritiam cordis tui permissum, ne mala pejora fiant. Concludit itaque quasi ironice loquens: Quum odio habueris, dimitte, sed non ideo ultricem Dei manum effugies,.... operiet enim iniquitas vestimentum tuum, id est, totum operiet te iniquitas, quasi vestimentum. Custodite igitur spiritum vestrum ab omni prævaricatione, & nolite despicere uxores vestras. Sed de Mosaico repudio satis dictum est. Legatur Abulensis in cap. Matth. 19., ubi multa quidem congessit, sed diversis Theologorum placitis interturbata, nec satis sibi cohærentia. Docet quidem nobiscum, repudium permissum fuisse tanquam minus malum; sed per repudium tamen vult matrimonium dissolvi quoad vinculum, quæ duo videntur stare non posse. Docet nobiscum, repudiatam ante secundas nuptias posse a repudiante recipi. Verbo inquam, quidquid de repudio dici potest, more suo congerit, sed ad rem cum delectu pauca.

13. Explicatis ergo iis, quæ ad veterem repudii legem pertinebant, nunc ad dissolubilitatem matrimonii in lege Evangelica expli-

candam procedendum est. Exurgit enim ex dictis difficultas non levis. Christus enim non omnino abrogavit repudium. Concessit enim conjugi conjugem repudiare, causa fornicationis, sive adulterii; sed repudium Mosaicum non solvebat vinculum matrimonii. Mulier enim dimissa non poterat ad alias nuptias transire sine crimine, ut statutum est: ergo per repudium Christianum multo minus solvitur vinculum matrimonii, atque adeo conjux dimissus nunquam poterit, vivente altero conjuge, ad ulteriores nuptias transire; sed hoc est falsum: ergo & primum illud, ex quo sequitur. Minor probatur multis. Christus interrogatus num liceret uxorem dimittere quacumque ex causa? (*Math.* 5.) respondit, non licere nisi ex causa fornicationis: ergo solum causa fornicationis licet Christiano uxorem dimittere; sed non quoad thorum, & cohabitationem, nam hoc non solum ex causa fornicationis, sed ex multis aliis causis gravibus licet Christianis, ut Ecclesiæ praxis confirmat, & approbat in divortiis: ergo dimissio uxoris, quæ Domino concedente fit causa fornicationis dissolvit etiam vinculum. Præterea: Non potest conjux alter ad secundas nuptias transire, nisi soluto prioris matrimonii vinculo .... sed constat satis in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam majorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, sequuti: ergo per dimissionem, & repudium conjugis causa fornicationis rumpitur matrimonii vinculum. Nec dici potest id in usu positum apud Græcos Schismaticos. Nam I. id colligi videtur ex Patribus, & Doctoribus longe antiquioribus Schismate, ut fatentur ipsimet Latini Catholici, qui eorum Patrum dicta, & sententias vix possunt aliter explicare. II. Quia nunquam damnati propter ea, aut anathemate perculsi in ulla Synodo Œcumenica, etiam si Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset. III. Nam in sess. 25. Concilii Florentini post editam fidei definitionem, undecim quæstiones Latini Græcis proposuerunt, quarum decima hæc erat: Quare conjugia dirimitis? dicente Domino: Quos Deus conjunxit &c. Et tamen in eodem Concilio, & sessione tanquam in fide concordes Græci compellati amice sunt ab Eug. IV. IV. Quia in ipsomet Tridentino Concilio, narrante Suave, & Pallavicino, Canon. 5. sessionis 24. dispositus fuerat in hunc modum: Si quis dixerit, matrimonium propter adulterium alterius conjugum dissolvi posse quoad vinculum, anathema sit. Hunc autem Canonem ad repræsentationem Oratorum Venetæ Reipublicæ correxit Synodus, & Canonem sub his terminis promulgavit: Si quis dixerit, Ecclesiam errare quum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.

14. Pa-

14. Palavicinus quidem (*lib.* 22. *cap.* 4.) discrimen inter duos hos Canones subtilius esse, atque adeo subtile ut Tournellius vix illud penetraverit. Scribit enim, (*qu.* 5. *art.* 2.) sensum utriusque canonis eundem esse, quia licet Synodus clare, & expresse non dicat doctrinam, quam statuit fidei esse, istud tamen verbis æquivalentibus adstruit, & confirmat. At non idem, sed longe aliud est, quod priori illo canone continebatur, & quod præsenti canone declaratur. Finge enim duos canones his similes in alia materia. Si quis dixerit, panem fermentatum esse materiam Eucharistiæ idoneam, anathema sit.... Si quis dixerit, Ecclesiam errare quum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, panem azymum esse materiam idoneam Eucharistiæ, anathema sit. Num erit quisquam adeo plumbeus, ut duorum horum Canonum discrimen apertissimum non videat, atque idem dicat verbis æquivalentibus enunciari? Nimirum, si prior canon illis verbis conciperetur, damnarentur Græci, qui in fermentato consecrant. At stante secundo canone, non damnantur, qui utuntur fermentato, sed solum qui dicant, errare Ecclesiam azymo utentem. Stant autem optime hæc duo, ut Ecclesia juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam utatur azymo, & tamen non damnet quasi errorem contrarium Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ usum fermentati Sic etiam Ecclesia docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam esse, ut Sacri Ministri cœlibem vitam sectentur, & tamen non damnat tanquam contrarium Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ usum Græcorum, qui matrimonio dant operam, etiam post sacros ordines. Ex his autem per se corruit argumentatio Tournelliana.

15. Ut autem ad rem nostram revertamur V. idem convincitur. Nam Romana Curia quanquam causa adulterii nunquam matrimonia dissolverit, tamen matrimonia ob eam causam a Græcis dissoluta, ubi Græci sub Latinorum ditione degunt, atque ad Romanam Curiam recursus factus est, pro dissolutis, ac diremptis in praxi habuisse videtur, quod & nuperrimo exemplo confirmari posset. Convincitur denique VI. multis Sanctorum PP. quum Græcorum, tum Latinorum testimoniis. In his apertissimus a Græcis habetur Basilius ep. 1. ad Amphilochium can. 9., ubi inter alia: Qui vero relictus est (a propria uxore, propter causam fornicationis, ut supponitur) dignus est venia, (si alteram duxerit) & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. Hunc canonem velut Græcorum fundamentum adducit in suo Nomocanone Matthæus Blastares, quo Nomocanone velut rectissima, & exploratissima in controversiis dirimendis regula, utuntur recentiores Græci, inquit Arcudius opusc. de Matrim. cap 8. De Matthæo Blastare supra nos diximus. Adducitur II. in eandem sententiam Gre-

go-

-gorius Nazianzenus orat. 31. Lex, inquit, quascumque ob causas repudium dabat, Christus autem non ob quamcumque causam, sed tantum ab adultera uxore separari conjugem permittit. Idque propterea, quia impudica genus corrumpit, atque adulterat. Cætera omnia ut moderate, ac sapienter feramus, jubet. Adducitur III. Joannes Chrysostomus in cap. 7. primæ ad Corinthios, ubi quærens cur fidelis non teneatur dimittere uxorem infidelem, non vero uxorem adulteram, ita respondet: Quoniam hic quidem spes est aliqua, ut pars, quæ perierat, per nuptias servetur. Sanctificata est enim, id est, forte sanctificabitur, atque ad bonam frugem convertetur mulier infidelis per virum fidelem. Ibi autem Nuptiæ jam dissolutæ sunt. Ita per adulterium ambo corrumpuntur; in infidelitate vero alterius dumtaxat crimen est. Nam quæ fornicatur, inquinata est. Si igitur qui cum meretrice copulatur, unum corpus efficitur, ipse quoque se inquinat, qui cum fornicante commiscetur .... Dissolvitur ergo conjugium, & tota Nuptiarum munditia avolavit. Vir post fornicationem jam non est vir. Ibi vero, quamvis idolatra sit uxor, mariti jus non amittitur. IV. loco adducitur Epiphanius hær. 59. Qui unam, inquit, uxorem habuit, in majori laude, atque honore ab universa habetur Ecclesia. Qui vero non potuit, quæ deinde mortua sit, contentus esse &c. His quidem verbis quibusdam visum est, Epiphanium non loqui nisi de secundis nuptiis post mortem prioris mariti. Sed quæ proxime sequuntur, inquit Petavius, (*in adnotation.*) evidenter demonstrant id Epiphanium velle, licere non solum post conjugis mortem, sed eo quoque superstite, si causa legitima quæ piam intercesserit, alias inire nuptias. Nam si de secundis duntaxat post mortem ageret, quorsum hæc adjiceret? Quum occasione aliqua stupri, adulteriive, aut alterius flagitii separatio facta fuerit, is, si alteram uxorem duxerit, aut illa alteri viro nupserit, non eos reprehendit sermo divinus, neque ab Ecclesia, aut a salute alieni censentur, non ita tamen ut duas uxores simul habeat, sed ab una separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adjungat. V. loco adducitur Theodoretus. VI. Asterius Amasenus, qui adeo clare, & expresse Latinis adversantur, ut eos, inquit Tournellius, deserere cogamur, quod idem de aliis dici potest.

16. Inter Latinos Patres adducitur I. Ambrosius in 7. cap. Ep. 1. ad Corinth. Hoc, inquit, Apostoli concilium est, ut si discesserit propter malam viri conversationem, innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Quod si continere se non potest, quia repugnare non vult contra carnem, viro suo reconcilietur. Non enim permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit. Nec inferior hac lege omnino utitur, qua potior. Et vir uxorem non di-

mittat, subauditur excepta causa fornicationis, & ideo non subjecit dicens sicut de muliere: quod si discesserit, sic maneat, quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur, sicut mulier. Vir enim est caput mulieris. Censuit ergo hic author licere viro, dimissa uxore adultera, aliam ducere; non autem licere fœminæ, dimisso marito adultero, alium ducere. Ex parte ergo viri assentitur Græcis. Nec multum abhorret Augustinus. Scripsi enim, ait in 2. Retractat. cap. 57., duos libros de adulterinis conjugiis, quantum potui secundum Scripturas cupiens dissolvere difficillimam quæstionem. Quod utrum enodatissime fecerim, nescio, imo vero me non pervenisse ad hujus rei perfectionem, sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim. Ita de se modestissime Augustinus. Magis adhuc fluctuabundus in lib. de fid. & oper. cap. 19. ita scribens: Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit; non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterii, dimittunt, aut ducunt. Et in ipsis divinis Scripturis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Posterioribus hisce temporibus sententiæ Græcorum favisse visi sunt Erasmus, Cajetanus, Catherinusque. Erasmi propositiones tres, vel quatuor reprehendit Facultas Theologica Parisiensis. Ille autem Apologia edita se purgavit, & ostendit se cum Chrysostomo, & aliis antiquis PP. loquutum, atque ita sermonem, inquit, temperavi, ut quod dico dirimi matrimonium, fieri divortium de separatione thori possit intelligi, nec ullum admisceo verbum, quo jus faciam iterandi conjugii. Cajetanus porro, (*in* 19. *Math.*) & Catherinus (*Opusc. de Matrim. q.ult. &* 5. *annot. cont. Cajet.*) quum sibi opponerentur Decretales Pontificum, respondent, hujusmodi Decretales non esse definitiones fidei, sed judiciales facti, in quibus Pontifices sæpe a Pontificibus dissentiunt. Quum autem sibi opponeretur communis Latinorum DD. consensus, & praxis judiciorum Ecclesiasticorum. Quoniam, inquit, non audeo me opponere contra torrentem DD., & Judiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixi textum Domini (*Matt.* 19.) nihil disponere circa dimittentem fornicariam. Intelligo igitur ex hac D. N. JESU Christi lege, licitum esse Christianos dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Obiit autem Cajetanus post Concilium Florentinum annos fere centum, anno nimirum 1534.

17. Hæc sunt præcipua & non quidem levia pro opinione Græcorum argumenta, quibus tamen non obstantibus, tenendum est, matrimonium inter Christianos consummatum, non nisi per mortem alte-

rius

rius conjugis dissolvi, quoad vinculum. Respondebimus, inquit Hieronymus ad Amandum, non nostras, sed Apostoli sententias. An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor, quoniam lex dominatur homini, quanto tempore vivit? Mulier enim, quæ sub viro est, vivente viro adstricta est legi: ergo vivente viro adultera est, si fuerit cum alio viro. Item in alio loco: (1. *Corinth. cap.* 7.) Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Omnes igitur cautiones Apostolus amputans, apertissime definit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasiones, patris authoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, contemptum parentum, damna rei familiaris: quamdiu vivit vir, licet adulter, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, tamen maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria authoritate decernit, sed Christi in se loquentis verba sequutus est in Evangelio dicentis: (*Math.* 5.) Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam acceperit, adulter est. Animadverte quid dicat: Qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Hæc Hieronymus. Consulamus Apostolum, inquit Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. His, qui sunt in conjugio, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, (quod solum in causa fornicationis licet) manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri, ut discedat ex ea causa, qua Dominus permisit. Aut si fœminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, & id non licet viro, quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius? Et vir uxorem non dimittat. Quare non addidit: nisi ex causa fornicationis, quod Dominus permittit? Nisi quia similem formam vult in utroque intelligi, ut vir si uxorem dimiserit, (quod causa fornicationis permittitur) maneat etiam sine uxore, aut reconcilietur uxori? . . . Hæc verba Apostoli, inquit idem in 2. de adulterin. conj. cap. 5., toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plena sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ob causam fornicationis; non tamen carebit illo vinculo, etiam si nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. Quam autem sententiam Paulus indefinite, & universim tradidit, eandem in primo sæculo (*Herm. sive liber Pastoris mand.* 4.) Clemens Romanus, (*in* 2.) Justinus, &

 Athe-

Athenagoras in suis Apologiis tradiderunt. Eandem (*in* 3. *sac. Clem. Alex. Stromat.*) Tertullianus 4. in Marcion. lib. & Orig. in 19. Mat., ubi Episcopos quosdam contrarium permittens reprehendit quasi verbi Dei transgressores. Ex quarto sæculo habemus Concilium illiberitanum, Ambrosium, de quo infra, & Hieronymum. Ex 5. Concilium Milevitanum can. 17., Africanum can. 69., Innocent. I. ep. 3. ad Exuperium, & Augustinum. Ex 6. sæculo habemus Primasium in 1. ad Corint. In 7. Isidorum de Off. div. cap. 19. Ex octavo Bedam in cap. 10. Marc. Ex Nono Concil. Forojuliense, & Theophylactum in 19. Matth. Ex Decimo Concilium Nannetense coram Arnulpho. Ex 11. Anselmum in 5., & 19. Matth. Ex 12. Alexand. III. in cap. Ex parte de Sponsal. Ex 13. Innoc. III. D. Thom., Bonaventuram. Ex 14. Scotum, & Scholasticos plurimos. Ex 15. Concilium Florentinum. Ex 16. Tridentinum. Hanc non interruptam Traditionis seriem ex Bellarmino (*lib.* 1. *cap.* 16.) ei opponimus, quam pro opinione Græcorum texuit Launojus in suo libro de Regia in matrimonium potestate, de quo infra.

18. Nimirum simpliciter atque indefinite dictum est: (*Marc.* 10.) Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Simpliciter, atque indefinite dictum est: Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: Et qui dimissam a viro ducit, mœchatur. Qui vero nos sumus, inquit, hæc testimonia proferens Augustinus in 1. de adult. conj. cap. 9. Qui nos sumus, ut dicamus: Est qui mœchatur uxore sua dimissa, alteram ducens; & est qui hoc idem faciens non mœchatur, quum Evangelium dicat, omnem, qui hoc facit, mœchari? Quod ergo dictum est alibi, nisi ob fornicationem, pertinet quidem ad licentiam conjugis dimittendi, sed non ad licentiam alium ducendi. Quater enim in Evangeliis hæc sententia habetur. I. Matth. 5. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimisit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Hic locus planus est. Nam vel dimittit uxorem ex causa legitima, vel illegitima. Si hoc secundum, dimissio injusta est, nam & injuriam facit uxori, & præbet ei occasionem mæchandi. Si primum, dimissio justa est, & maritus non facit eam mœchari. Jure enim suo utitur. Illa se in mœchandi occasionem injecit, quæ dimissioni scelere suo causam præbuit. Vir autem alter sive legitime, sive illegitime dimissam ducens, adulterat. Secundus locus est Matth. 19. ubi Pharisæis captiose interrogantibus, respondet Dominus: Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt ei di-

discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Id est: Si ita res est, ut mulier dimitti non possit, nisi ob adulterium, & illa adhuc dimissa, non possit altera duci, melius est non nubere. Respondet Dominus: Melius quidem est homini mulierem non tangere; sed non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est Sanctum continentiæ donum. Sunt enim Eunuchi &c. Qui potest capere capiat. Quasi diceret: Durum quidem est, homini carne resistere; sed tamen quod alii ex naturæ defectu, aut ex hominum injuria patiuntur, multo æquius est virtutis amore, & spe futuri regni sustinere. Non ait Christus: Noli ægre ferre, quia adultera dimissâ poteris aliam habere, quia forte illa morietur, & ad alias nuptias avolabis; sed quasi omnem aditum præcludens, hortatur; ut se Eunuchos faciant, quamdiu dimissa vivit, propter regnum cælorum. Tertius locus est Marci 10., ubi eadem interrogatio Pharisæorum, & responsio Christi narratur, quæ Matth. 19., nisi quod ultima verba, quæ ad rem faciunt, non ad Pharisæos dicta narrantur, sed ad discipulos. Præmittit enim Marcus v. 10. Et in domo iterum disciputi ejus interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. In hoc tamen loco Christus non apposuit exceptionem, nisi ob fornicationem, quæ in duplici priori Matth. loco habetur. Unde videtur loqui de dimissione ex quacumque causa, qua Judæi utebantur. Igitur iste locus, inquit Cajetanus, non caret scrupulo. Christus enim non dixit: Qui dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur, aut adulterat; sed mœchatur, aut adulterium committit super eam. Videtur ergo non damnare virum illum adulterii simpliciter, sed adulterii relative ad uxorem, cui facit injuriam, eam εκ μικροψυχιας, seu levi causa dimittendo. Sed hic Cajetani scrupulus vanus est. Non enim adjecit: nisi ex causa fornicationis, quia ad disciputos loquebatur, quos jam in sermone in monte de hac re erudierat, & quia illa exceptio apponitur quidem quasi conferens ad licentiam dimittendi uxorem, sed non ad licentiam ducendi aliam. Quod autem dicitur, mœchatur, aut adulterium committit super eam, non minuit, sed auget rationem adulterii. Credo, inquit Augustinus in 1. de adult. conj. c. 9. quod id, quod majus est, Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissa, alteram ducere, quam si fornicantem quis dimittat, & aliam ducat. Non quia & hoc adulterium non est, sed quia minus adulterium est, quum fornicante dimissa, altera ducitur. Quartus locus est Lucæ 16., ubi Dominus nulla exceptione apposita: Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam a vi-

a viro ducit, mœchatur. Sed si causa fornicationis dimiserit? Non peccabit quidem dimittendo, sed peccabit semper, & mœchabitur aliam ducendo. Ergo ubi de licentia dimittendæ uxoris agitur, causa attendatur; per quam aut licita erit, aut illicita dimissio; at ubi de licentia ulterioris matrimonii agitur, nulla est distinctio, sive legitime, & licite dimissa uxor sit, sive illicite, nec dimittens, nec dimissa possunt alteri copulari.

19. Superest, ut argumenta in contrarium diluamus, quod non difficile ex dictis fieri potest. Negatur enim, concesso toto primo syllogismo, minor subsumpta. Ad primam probationem, concesso primo enthymemate, negatur minor subsumpta. Nam etiam ex aliis causis posse uxorem dimitti ex ipso Evangelio habetur, dicente Domino: (*Math.* 19.) Qui dimiserit patrem, aut matrem, aut uxorem &c. centuplum accipiet &c. Cur itaque Dominus, & eum sequuti Patres solam causam fornicationis expresserint, aliis criminibus prætermissis, inquit Arcudius (*de Matrim.*) ex Bellarmino, duplex est ratio. Altera, quod hujusmodi crimina sint communia matrimonio cum aliis confæderationibus. Siquidem propter hæresim, aut quodcumque scandalum, sive inductionem ad peccatum, non solum conjux a conjuge, sed etiam filius a Patre, & servus a Domino, separari non solum potest, sed etiam debet. Dominus autem peculiarem, quæ directe, & per se opponatur matrimonio, causam indicare voluit, cætera enim crimina per accidens se habent ad matrimonium. Sola fornicatio per se opponitur fidei conjugali, ob quam reliquæ confæderationes non solvuntur, sed solum matrimonium. Altera causa est, quia Dominus loquebatur de dimissione perpetua, de qua etiam interrogaverant Pharisæi. Hanc autem efficit sola fornicatio. Quippe in aliis criminibus resipiscente conjuge, ac serio se convertente, tenetur eum conjux alter recipere, At si semel fornicationem commiserit, & hoc modo fidem conjugi datam fregerit, statim cadit jure suo, & alterum conjugem, quamdiu vivit, a debito reddendo liberat. Non enim unquam tenetur alter eum recipere, etiamsi resipiscat, & serio convertatur.

20. Ad secundam probationem dicendum, Græcos solitos uxores dimittere, & alias ducere de facto, non de jure. Accidit enim apud Græcos, quod olim apud Hebræos. Sicut enim hi, quum audirent repudium in lege permissum, & propter duritiem cordis, & impotentem libidinem se continere non possent, ulteriores nuptias sibi licitas esse existimarunt: ita Græci, quum ex causa fornicationis repudium legerent a Christo permissum, etiam sibi ulteriores nuptias licere putarunt. Cœperat hæc opinio invalescere jam tum a temporibus Origenis, qui ita scripsit in Matth.: (19. *tract.* 7.) Contra Scripturæ legem

gem mulieri, viro vivente, nubere, quidam Ecclesiæ Rectores permittunt, agentes contra id, quod scriptum est: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.... Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Adjungit tamen, non hoc sine causa Episopos illos permisisse: Non omnino sine ratione, inquit. Hæc enim contra legem initio Evangelii latam, & scriptam, ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse, verisimile est. Deinde dubitat Origenes an propter alias causas adulterio graviores, aut æquales liceat viro Christiano uxorem dimittere. Nam contra Servatoris, inquit, præceptum agere nemo est, quin impium esse fateatur. Sed hæc de dimissione, quoad thorum intelligi possunt, quod præcepto Domini non opponitur, nec ad rem faciunt, uti Tournellio visum est. Jam vero sequenti sæculo Constantinus legem tulit, qua viris post repudium, imo sine repudio per absentiam quadriennii Leg. Uxor c. de repud. alteram uxorem ducere permittebatur. Unde opinio Græcorum magis roborata est. De hac, & similibus Paganorum legibus loquitur Basilius inquiens: (*Epist. ad Amphilochium. cap.* 9.) Domini quidem sententiæ æque viris, ac fœminis convenit, ut non liceat a matrimonio discedere nisi ob fornicationem. At vero consuetudo non ita se habet, sed in mulieribus magnam quidem severitatem invenimus. Consuetudo vero etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes mandat a mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio an possit injusta, adultera appellari.. Crimen enim hoc loco ad mulierem attinet, quæ dimisit. Nam cur a conjugio recessit? An a marito vapulabat? Satius erat pati, quam a conjugio separari. An rei familiaris jacturam patiebatur? Sed nec hæc justa excusatio est. An quod maritus fornicaretur? Non est ejusmodi observatio in more Ecclesiastico posita (ut uxor propterea maritum relinquat). Sed etiam a viro infideli non jubetur mulier separari.... Quare quæ reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. Loquitur ergo Basilius posito discrimine inter virum, & fœminam stabilito per consuetudinem in legibus civilibus fundatam, non in jure Evangelico. Nam Domini sententia æque viro, ac mulieri convenit, ut primum dixit.

21. Eandem consuetudinem, ac legem imparem, & inequalem vocat Nazianzenus. Quid enim, inquit orat. 31. Quid in causa fuit, cur mulierem pœna afficeret, marito contra indulgeret? Mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringitur, & acerbissimis pœnis excruciatur; vir autem, qui fidem uxori datam per adulterium violat, nulli supplicio

est

est obnoxius. Eam legem nequaquam probo: eam consuetudinem minime laudo: viri erant, qui eam legem sanxerunt, ea propter adversus fœminas lata est. Hæc & alia multa ibi. Agnovit quoque, & improbavit Chrysostomus: In aliis, inquit, (*in cap.* 7. 1. *Corinth.*) plus habeat vir, ubi vero de pudicitia agitur, minime superior sit. Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et uxor sui corporis potestatem non habet, sed vir. Magna hic paritas: prærogativa nulla... Sane scimus, multis novum, & inexpectatum videri, quod dicimus.... Sed non mihi leges ab exteris conditas proferas. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse constituit. Agnovit, & improbavit Ambrosius in 1. de Abraham dicens: Nemo de legibus hominum sibi blandiatur: Non licet viro, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Agnovit, & improbavit Hieronymus ep. 30. ad Oceanum: Præcipit Dominus uxorem non debere dimitti, nisi ob fornicationem, & si dimissa fuerit, manere innuptam: Quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fœminas. Neque enim uxor adultera dimittenda est, & mœchus retinendus. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi. Aliud Papinianus præcipit, aliud Paulus noster. Apud illos viris impudicitiæ frœna laxantur, & solo stupro, atque adulterio condemnato, passim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur. Apud nos quod non licet fœminis, non licet viris. Et eadem servitus pari conditione censetur. Agnovit eamdem consuetudinem, & improbavit Augustinus 1. de serm. Dom. in mont. cap. 28. Nihil enim iniquius, inquit, quam causa fornicationis dimittere uxorem, si & ipse convinceris fornicari. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas. &c. Contra tot tamen PP. sententias Justinianus legem promulgavit sexto sæculo, qua certas ob causas licebat, repudiata uxore, aliam ducere, & Theodosii, ac Valentiniani Imp. leges confirmavit latas ann. 449., quæ habentur leg. Consensum C. de repudiis, & Anastasii ann. 497., quæ habetur leg. Si constante C. de Repud. Hæc Justiniani lex lata ann. 536. habetur Novell. 117. Justiniani Novellam hanc, atque alias correxit postea Leo Imperator, quæ tamen correctiones usu receptæ non fuerunt. Ipsemet Justinianus quum suas, tum Anastasii legem ante mortem revocaverat, & solum ex parte antiquas Theodosii, & Valentiniani leges admisit. Ejus tamen successor Justinus iterum Anastasii legem confirmavit, quæ Justini constitutio habetur inter Justinianæas 140.

22. Ex dictis porro patet solutio ad reliquas omnes ejusdem minoris probationes Nam I. demonstratum est falsam esse, & arbitrariam distinctionem Cajetani, & Catharini inter jura mariti dimittentis,

tis, & uxoris discedentis, quæ nullum in Evangelio, sed in civilibus legibus fundamentum habet. Ostensum est item, Erasmum Græcis non favere, quod erat in argumento postremum. Ostensum est, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, & reliquos PP., qui Græcis favere videntur, loqui secundum consuetudinem fori judicialis, & externi, ubi marito permittebatur mulierem dimittere, & aliam ducere, nunquam tamen dicunt, id ex Evangelio licere, Quoniam tamen id non erat aliqua Ecclesiæ authentica definitione prohibitum, laborant quantum possunt in conciliando Evangelio cum gentis suæ consuetudine, & sæcularium Principum legibus replicatis, quibus resistere non poterant. Quod enim præcipimus, illud semper placet, inquit Chrysostomus; quod autem permittimus, nolentes facimus, quia malam hominum voluntatem ad plenum prohibere non possumus. Et hæc de Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, & Epiphanio dicta sint, qui aliis in locis pro Latinorum sententia stare videntur. Epiphanii locus certe corruptus est, ut oratio ipsa imperfecta demonstrat. Ambrosii testimonium non urget. Nam Commentarium in Epistolas Pauli Ambrosii non esse, alibi statutum est (*Proleg.* 3,) cum oculatioribus Criticis. Quod autem Lateranense Concilium sub Innoc. III. Lugdunense sub Greg. X., Clem. IV. in Expositione fidei ad Michaelem Palæologum, Eugenius IV. in instructione pro Græcis, & Armenis, ac denique Tridentinum, quamvis non ignorarent contrariam consuetudinem Græcorum, non illam aperte damnaverint, non pro illis argumentum facit, sed modestiam, & sobrietatem Romanæ Ecclesiæ commendat, quæ maluit aliquid de jure suo decedere, quam fœdus, & concordiam optatissimam super aliis gravioribus capitibus initam interturbare, eo solum contenta, ut credant Romanam Ecclesiam non errare, quum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, matrimonium ob adulterium alterius conjugis, quoad vinculum non dissolvi.

SCHOLION.

23. Superest, ut de impedimentis Matrimonii dicamus, qui locus adeo difuse, ac perspicue ab utriusque Juris Consultis, a Moralibus Theologis, & Scholasticis in 4. Sentent. tractari solet, ut vix quidquam addi, aut detrahi posse videatur. Quæ ad eos igitur pertinent, omittentes, aut breviore calamo perstringentes, in his, quæ ad dogma propius spectant solum immorabimur.

PROPOSITIO XIII.

Quæ ad impedimenta Matrimonii dirimentia pertinent, exponuntur. D. Thomas in 4. dist. 30. qu. 1.

1. IN matrimonio porro, sicut in aliis Sacramentis, quædam ad essentiam quædam, ad solennitatem pertinent. Quæ solennitati solum adversantur, non efficiunt, quin sit verum Sacramentum, & talia dicuntur impedire matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum. Sicut prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriatum. Unde versus

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta tenere.

Hæc duo tantum impedientia refert D. Thomas. (*qu. 50. Suppl.art. unic.*) Antiquitus tamen alia erant multa. Nam

Incestus, Raptus sponsæ, mors conjugis, atque
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solenniter, aut Monialem
Attentet, prohibent hæc conjugium sociandum

Sed hæc, de quibus in cap. 1., & 4. de eo qui consang. duc. Cap. 2. de Pœnit. & Remiss. cap. 5. de Cogn. Spir., & locis aliis jam absoleverunt. Notanda tamen sunt pro explicanda antiqua disciplina. Duobus ab D. Thoma numeratis addita etiam sunt Catechismus, Sponsalia, Votum. Catechismus censebatur quædam spiritualis cognatio inter Catechizantem, & Catechizatum, unde pro impedimento habetur in cap. per baptismum de cogn. spir. in 6. Hoc impedimentum abstulit Trident. sess. 24. cap. 2. Sponsalia cum alio, aut alia celebrata quodam modo etiam impedire videbantur, unde in capp. 22., & 31. de Spons. de iis agitur. Votum vero intelligitur simplex, non solenne... Impedimenta autem, quæ opponuntur essentiæ matrimonii faciunt, ut non sit verum matrimonium, & ideo dicuntur non solum impedire matrimonium contrahendum, sed dirimere contractum, quæ his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, ac duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Hæc

Hæc socianda vetant connubia retractant facta.

Horum autem numerus sic accipi potest. Potest enim matrimonium impediri aut ex parte contractus, aut ex parte contrahentium. Et primo quidem modo, quum matrimonialis contractus fiat per liberum consensum, qui tollitur per ignorantiam, & violentiam, erunt duo impedimenta matrimonii vis, id est, coactio, & error, sive ignorantia. Ex parte autem contrahentium, impeditur quis a matrimonio contrahendo, vel simpliciter, vel respectu alicujus personæ. Si simpliciter, ut cum nulla possit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia impeditur ab actu matrimonii, quod quidem contingit dupliciter. Primo quidem quia non possit de facto, sive quia omnino non potest, & sic ponitur impedimentum impotentia coeundi. Secundo quia non potest de jure, eo quod sit ad continentiam obligatus, quod contingit etiam dupliciter. Nam vel est obligatus ex officio suscepto, & sic ponitur impedimentum Ordinis, vel ex voto emisso, & sic ponitur impedimentum Voti. Si autem impeditur quis a matrimonio non simpliciter, sed respective ad hanc personam, vel hoc est propter obligationem contractam cum alia persona, & sic ponitur impedimentum ligaminis, vel quia deficit proportio ad aliam personam, & hoc propter tria. Primo quidem propter nimiam distantiam, & sic ponitur Cultus disparitas, Secundo propter nimiam propinquitatem, & sic ponitur triplex impedimentum, nimirum, Cognatio, quæ importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiæ matrimonio junctæ, & publicæ honestatis justitia, in qua est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ per sponsalia junctæ. Tertio propter indebitam conjunctionem cum ipsa antea factam, & sic impedit adulterium prius cum ipsa commissum. Adduntur duo impedimenta ex novissimo jure Tridentini, de quibus D. Thomas non disputavit, nimirum, Clandestinitatis, & Raptus, de quibus in specie cum reliquis infra agetur.

2. Hic primum Dogmatica exoritur quæstio, quam primum excitasse videntur Waldenses, & eos sequuti Lutherus, & Calvinus, tum Marcus Antonius de Dominis, & Launojus in lib. de Regia in Matrimonium potestate, quos novissime sequutus est Thomas Nestius. Docuerunt hi, nimirum, facultatem designandi impedimenta matrimonium dirimentia pertinere ad Sæculares Principes, aut si ad Ecclesiam, non nisi ex Sæcularium Principum concessione. Launojum duo Sorbonici Doctores egregie confutarunt. Utrumque extremum vitandum est, sive eorum, qui omnem, sive eorum, qui nullam Principibus facultatem concedunt. Personæ enim illegitimæ ad contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua matrimonium

constituitur. Matrimonium autem quatenus est officium naturæ, statuitur lege naturali: quatenus est Sacramentum, statuitur jure divino: quatenus est autem officium Communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona fieri ad matrimonium illegitima. Nec est simile de aliis Sacramentis, quæ sunt Sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status hominum recipit determinationes diversas, & jus positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus; ideo Magister ponit, in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse. Nam in principio mundi, & post diluvium propter hominum paucitatem fratres cum sororibus, aut propinquis inire nuptias poterant, quod deinde prohibitum est & quidem merito quum Mosaica, tum Christiana lege, ut infra .... (4. *cont. Gent. cap.* 78.) Considerandum est item, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, ut populi in aliqua communitate, & ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod hujusmodi generatio à diversis dirigatur ab unoquoque ad finem suum. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur esse officium naturæ. In quantum vero ordinatur in bonum politicum subjacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico.

3. Ex quibus clarissimis D. Thomæ principiis, dicendum est I. Ecclesiam habere jus, & authoritatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Nam I. Christus impedimentum ligaminis apposuit dicens: (*Marc.* 10.) Omnis qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur, & (*Luc.* 13.) qui dimissam duxerit, mœchatur. Paulus legem de Cultus disparitate promulgavit dicens: (1. *Corinth. c.* 7.) Si quis fidelis habet uxorem infidelem, & hæc voluerit (pacifice) habitare cum illo, non dimittat illam .... Quod si infidelis discesserit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. At non Nero, aut Imperatores illius temporis hanc condendarum legum facultatem Apostolis concesserunt. Ecclesiasticarum legum circa matrimonium meminit Concilium Neocæsariense, meminit Basilius, meminit Chrysostomus, meminit Siricius, meminit Author Comm. in Epistolas Pauli, meminit Hieronymus supra citatus. At quis Imperatorum has condendi facultatem fecit, vel quis permisit? An Constantinus? an Theodosius, Valentinianus, Justinianus, Justinus?

At

At horum omnium exstant leges Anti-Evangelicæ, quas deinde Ecclesia correxit, atque emendavit. Nec dici potest, occasione Isidorianarum Decretalium hanc sibi Ecclesiam authoritatem arrogasse. Authores enim omnes præfati, & alii multi, qui allegari possent, Isidoriana Compilatione antiquiores longe sunt, quippe qui ante nonum sæculum scripserunt. Nonne Principes leges suas judicio Ecclesiæ submiserunt sœpissime, ut Carolus Magnus in Capitularibus, Alphonsus XI. in legibus Hispanis Partitarum? Nonne illas Ecclesiæ Canonibus adaptant? Nonne sæpius sanctiones suas a Pontificibus, & Episcopis probari, & confirmari petierunt? Nonne ipsimet, dubio aliquo emergente, matrimonia sua, & Subditorum suorum judicio Ecclesiæ submiserunt? Quot horum exempla ab antiquissimis ad nostra usque tempora adduci possent, nemo est qui nesciat, & Greg. IX. Decretales abunde testantur, ac Regum Historiæ.

4. Dicendum est II. Sæculares Principes jure suo posse constituere impedimenta aliqua matrimonium dirimentia. Patet I. ratione D. Thomæ. Nam Matrimonium est contractus non solum naturalis super quo fundatur significatio, seu ratio Sacramenti, sed etiam civilis; sed contractui civili regulas præscribere spectat ad civilem potestatem: ergo. II. patet inductione, & exemplo tot Principum, qui pro matrimonio leges constituerunt Constantini, Theodosii, Valentiniani, Anastasii, Justiniani &c. Quia vero ea, quæ sunt ad finem, prosequenda sunt, aut fugienda secundum ordinem finium. Commoda autem temporalia, ad quæ ordinantur leges civiles, sunt minus necessaria, minusque appetibilia, quam bona spiritualia, ad quæ ordinantur leges divinæ, atque Ecclesiasticæ, ideo in collisione duarum legum, civilis per sacram, & canonicam corrigenda est, ut de facto antiquorum illorum Principum leges Ecclesiæ judicio correctæ sunt, atque abolitæ. Qua authoritate constanter Ecclesia usa est, non repugnantibus, imo plaudentibus bonis omnibus Principibus Christianis, qui ab multis sæculis nullas jam leges circa matrimonium sanxerunt, nisi Sacris canonibus conformes. Quod si aliquas sanxerunt, id fuit cum restrictione, ac protestatione apertissima se non velle sanctionibus Canonicis præjudicare, nec loqui de matrimonio nisi quoad effectus externos, & mere civiles honores v. g. dotem, hæreditatem &c..... Nec debent Ecclesiæ Prælati gravate suscipere, inquit Petrus de Soto, (*lect. 4. de Matrim.*) si quod temporali paci viderint necessarium, Sæculares Principes statuant: nec est quod illis se opponant, sed permittant potius matrimonium humanis legibus ordinandum, quum humanum officium sit. Quamquam leges humanæ in his omnibus, ex pietate certe, & voluntate Principum facile cesserint Ecclesiæ, ut jam nullum censeatur matrimonium illegitimum,

quod

quod Ecclesia tale non judicat.... Nam ut est apud D. Thom., (*in 4. dist. 42. qu. 2. art. 2. ad 4.*) prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, saltem quoad omnes effectus, nisi interveniret Ecclesiæ authoritas, quæ idem interdicit. Idipsum probat Tournellius (*qu. 7. art. 2.*) testimoniis Regum Chilperici an. 577. Childeberti an. 595., Carlomanni an. 743. Caroli M. in Capitularib. Caroli Calvi in Edict. Pistensi, & novissimorum Henrinci II. an. 1556. Caroli IX. an. 1561., Henrici III. an. 1606. Henr. IV. an. 1606., Ludovici XIII. an. 1638. Ludov. XIV. Quin & cognitionem causarum matrimonialium ad Ecclesiasticos Judices remittendas decreverunt. Pro Regnis Hispaniarum satis sit novissima Pragmatica Sanctio Caroli III. Regis Catholici an. 1776. super matrimonio filiorumfamilias sine Parentum consensu, ibi: He hecho examinar esta materia con toda la reflexion, que demanda su importancia en una Junta de Ministros a esto particularmente deputados, a fin que dejando entera, è intacta la authoridad Ecclesiastica, i las disposiciones Canonicas sobre el valor del Sacramento del Matrimonio, su subsistencia, i effectos Espirituales, me propusiessen el remedio mas justo, mas oportuno, y conforme a la mia Real authoridad relativamente al contrato Civil, i sus temporales effectos para evitar las funestas consequencias, que resultan de estos abusos .... Yno bastando las penas Civiles, que son establecidas, para impedir las offensas de Dios, el desorden, i las passiones violentas de los Jovenes; si los Ordinarios Ecclesiasticos de estos mis Reinos no caminan al mismo fin, como espero de su zelo por la observancia de los Canones, i siguiendo el espiritu de la Yglesia, que siempre ha detestado, i prohibido los matrimonios celebrados sin noticia, i con positiva, i justa repugnancia, o razonable disgusto de los Padres, he estimado, i estimo cosa portuna el encargar, como encargo a los Ordinarios Eclesiasticos, quæ a fin de evitar las referidas contravenciones, i penas en que incurriran los hyios de familia, i para no dar ocasion, ni motivo de faltar a la obediencia debida a los Padres, ni de sufrir las tristes consequencias, que resultan de tales matrimonios, prestaran en cumplimiento de la Encyclica de N. S. P. Benedicto XIV. la maior assistentia, i vigilancia en el admitir Esponsales, o demandas a que no preceda el consentimento de los Padres &c. &c.

5. Igitur non Ecclesia a Principibus, qui nullum in Sacramenta jus habere noscuntur; non Principes ab Ecclesia, quæ de mere Civilibus non agnoscit, jus hoc quasi præcarium habent, sed unumquodque secundum fines sibi proprios nativum, ac directum. Ecclesia quidem secundum rationem Sacramenti, & effectum spiritualium; Princeps autem secundum rationem civilis contractus, & effectuum inde in-

bo-

bonum, aut in detrimentum Reipublicæ temporalis resultantes. Difficultatem circa hoc ingerunt quum citata verba Petri de Soto, tum Christiani Lupi in Scholio Canon. diss. præliminar. ajentis: Impedimenta dirimentia statuere dudum sibi arrogarunt, ac reservarunt Christiani Romanorum Augusti. Posterioribus duntaxat temporibus Ecclesia nacta fuit istam potestatem. Hinc antiqui Patres, & Canones raro istorum impedimentorum, ut pote ad suam potestatem non pertinentium, ex professo meminerunt. Quæ verba exponens in Supplemento Van-Espenius: Itaque, inquit, ex sententia hujus Authoris, primaria authoritas inducendi impedimenta dirimentia matrimonium residet penes Principes sæculares.... Quapropter quod probatum fuit num. 17. præcedentis Capitis 1. Ecclesiam a primis sæculis posuisse impedimenta matrimonii, intelligi debet de impedimentis duntaxat impedientibus, non autem dirimentibus.... Sed & hoc fatendum est, Concilium Tridentinum non definivisse utrum ex Christi institutione, utrum ex Principum indulgentia tacita, vel expressa hæc authoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ competat, quod postremum post Petrum de Soto citatum, credidisse videtur Christianus Lupus. Ita Van-Espenius. Van-Espenius, inquam, ipse. Nam quamvis aliqui, quos inter Impugnator Nestii, crediderint, Supplementum non esse opus Van-Espenii, sed alterius Authoris; tamen certissimum est, opus illud Van-Espenii esse. Quamvis enim editum sit ann. 29. hujus sæculi post annum a morte Van-Espenii, tamen opus illud revisum, & approbatum fuerat Parisiis mense Januario anni 1727., ibique dicitur opus esse Clariss. Van-Espenii Professoris Lovaniensis, vivente adhuc, & non reclamante Van-Espenio. Et in Veneta Editione anni 1769. habetur adnotatio sub littera *a*. Hæc approbatio hodie spectat contextus, qui in Jure Ecclesiastico Universo, suis locis inserti leguntur duas inter manus. Sed neque Petrus de Soto, neque Christianus Lupus ita loquuntur, ut non possint in sano sensu accipi, quod bene præstitit impugnator Nestii. Stat enim optime, quod apud Van-Espenium ostendit Gerbesius in Launojum, Ecclesiam a primis sæculis induxisse aliqua pro matrimonio impedimenta dirimentia: postea Imperatores Christianos eam sibi potestatem arrogasse, quod asserit Lupus. Interea tamen semper fuisse penes Ecclesiam authoritatem corrigendi leges civiles, si forte quicquam, ait Van-Espenius, contra jus divinum, aut naturale in eis irrepserat, ut contra leges permittentes divortium quoad vinculum ob conjugis quadriennalem absentiam, quæ fuit Constantini, & habetur in lib. uxor C. de Repudiis, & alias infra ostendemus.... Igitur post Constantinum usque ad Justinum eam sibi potestatem arrogarunt Christiani Romanorum Augusti, deinde aut de suarum legum inepti-

tudi-

tudine, & insufficientia convicti, aut pietate, & benevolentia magis in Ecclesiam propensi, ab hujusmodi usu suæ potestatis abstinuerunt, Ecclesiaque, Sæculari potestate silente, non novam authoritatem eorum beneficio acquisivit, sed acceptam a Christo, & primis sæculis exercitam recuperavit, & usque ad nostra tempora inperturbata possessione perseverat. Hoc videntur dicere voluisse & Sotus, & Lupus. Quod si aliud dicere voluerunt, non est de illis curandum. Non enim eorum dicta sunt Magistralia, ut ad rem aliam de similibus privatis Doctoribus ait D. Thomas. Minus adhuc curandum de Van-Espenio, qui post prohibitam sui Juris Universi Ecclesiastici lectionem anno 1704. Romanis infensior, multa, quæ bene scripserat in Supplemento, plerumque sub aliorum sententia aut retractavit, aut in dubium revocavit. Nimirum p. 2. sect. 1. tit. 13. cap. 1. laudat Gerbesium, quod ostenderit, hanc authoritatem non habere Ecclesiam a Principibus, sed a Christo. 2. Semper a primis sæculis usque ad hæc tempora hac authoritate usam fuisse: 3. Hanc authoritatem esse quodammodo necessariam, ut Ecclesiæ Pastores providere queant, quo fideles matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum, & finem ejus spiritualem assequantur. 4. Hujus Ecclesiasticæ authoritatis exercitium nullo modo elidere, aut minuere authoritatem Principum in decernendis circa matrimonium iis, quæ ad bonum politicum, & tranquillitatem Republicæ expedire judicaverint. 5. Quod si quid contra jus divinum, aut naturale irrepserit, semper esse penes Ecclesiam authoritatem corrigendi leges civiles. Ex quibus concludit, Igitur filum traditionis insequuta Synodus Tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse. Hæc sane, docte, solide ex Gerbesio Van-Espenius cap. 1. Quid ergo est, quod unius Petri de Soto, aut Christiani Lupi verbulo tantum commoveretur, ut dubitaret, an eam potestatem habeat Ecclesia ex institutione Christi, an ex indulgentia Principum, anque id Concilium definire noluerit. Nimirum Tridentinum, quamvis ex fungis componeretur, cogitare potuit, Principes concessisse Ecclesiæ authoritatem antiquiorem Christianis Principibus, & necessariam, ut fideles Sacramenti effectum, & finem ejus Spiritualem consequantur?

Accipe Grajorum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

6. His vero positis, ad singula impedimenta dirimentia explicanda procedamus. Primum impedimentum est Error, qui quidem de jure naturali, inquit D. Thomas, (*in* 4. *dist.* 30. *qu.* 1. *art.* 1. *&* 2. *Suppl.*

Suppl.) habet, quod evacuet matrimonium.... Quidquid enim (*qu.* 51. *art.* 1.) impedit causam, ex sui natura impedit effectum; sed consensus est causa matrimonii, ut supra (*prop.* 10. *huj.*) statutum est: ergo quod impedit consensum, impedit matrimonium; sed nihil est tam contrarium consensui, quam error, leg. si per errorem ff. de jurisd. omnium jud. nihil est ergo magis contrarium matrimonio.... Oportet autem (*ibid. art.* 2.) quod error, qui matrimonium impedit, sit de aliquo eorum, quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit matrimonium, scilicet personas duas, quæ conjunguntur, & mutuam potestatem in invicem, in qua consistit matrimonium. Primum autem tollitur per errorem personæ. Secundum autem per errorem conditionis, per quam persona non possit libere sui corporis potestatem alteri tradere sine consensu alterius, cui subest. Et propterea hi duo errores matrimonium impediunt, & non alii..... Non enim Error ex natura sui generis habet ut matrimonium impediat, sed ex natura differentiæ adjunctæ, quatenus scilicet est error circa ea, quæ sunt de Essentia matrimonii.

7. Secundum impedimentum est Conditio, sive potius Error circa conditionem servilem. Non enim Servitus per se opponitur matrimonio, quum servi, non minus quam ingenui possint & filios suscipere, & fidem servare conjugi, & Sacramenti gratiam percipere. In Christo enim JESU neque servus est, neque liber, neque præcipitur ut ingenua ingenuo nubat, serva servo. Scriptum est enim: (1. *Corinth.* 7.) Cui vult nubat, tantum in Domino. Servitus quippe, quod ab Seneca dictum est, non in totum hominem descendit. Est enim inducta (*in* 4. *dis.* 36. *qu. un. art. sive Suppl. q.* 52. *art.* 1.) jure posteriore, nimirum positivo, quod ab naturali progreditur, & prius illud impedire non potest. Sicut enim appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei inditus. Unde sicut servus non subditur domino, quin libere possit comedere, ac dormire & alia hujusmodi facere, sine quibus natura conservari non potest, ita ei non subditur, ut non possit libere matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente, aut contradicente. Non es tautem eadem ratio de servitute, ac de errore circa servitutem. Nam per servitutem ipsam non tollitur aliquid pertinens ad rationem, & essentiam matrimonii. Potest enim servus exigere, ac reddere debitum conjugi, nisi forte per accidens, in obsequio Domini fuerit occupatus, quod etiam infirmitate, negotio, & mille aliis vitæ combinationibus impediri potest, ex quibus tamen non propterea matrimonium dirimitur. At vero error circa servitutem tollit consensum, qui est de essentia matrimonii. Non enim præsumitur, imo fundatissime creditur contrahentem cum serva, aut servo, quem falso putat liberum, non consensurum, si sciret esse ser-

vum. Vacillat ergo ex hac parte consensus, atque vacillat matrimonium, quem solus consensus facit, idque ex natura ipsa contractus. Unde sicut error circa personam, ita error circa conditionem jure naturæ, & non solum civili, aut Canonico matrimonium evacuat. Nec hanc distinctionem induxit Gratianus ex quodam apocrypho decreto Lucii (imo Julii) Papæ, ut inquit Van-Espenius. Longe enim ante Gratianum eandem doctrinam tradiderat Concilium Vermeriense sub Pipino can. 6. Si quis ingenuus ancillam uxorem acceperit pro ingenua, & ipse eam potest a servitute redimere, faciat. Quod si non potest, & voluerit, aliam accipiat. Si autem ancillam eam scierat, & collaudaverat, ut legitimam eam habeat. Similiter & mulier ingenua de servo alterius facere debet. Et can. 8. Si mulier ingenua acceperit servum, sciens servum esse, habeat eum, quia omnes unum patrem habemus in cœlis. En ut servitus ignorata rumpit, cognita non rumpit matrimonium. Hic Gratianus: Quum dicitur: sciens illum servum, datur intelligi, quod si nesciret illum servum esse, non cogebatur manere cum eo. Quid Gratianus nisi ad mentem Evangelii, nisi ad mentem Concilii, nisi ex ipso adyto naturæ. Quæ hic mutatio disciplinæ facta occasione apocryphi decreti Julii Papæ.

8. Nimirum vult Van-Espenius pluribus sæculis Ecclesiam conformiter ad leges civiles matrimonia servi cum ingenua, aut ingenuæ cum servo reputasse irrita, licet nullus error interveniret; at circa sæculum 12. impedimentum hoc cœpisse refundi non in servitutem, sed in servitutem ignoratam, aut in errorem circa servitutem. Et hujus mutationis causam fuisse apocryphum decretum Julii Papæ, & magnam Gratiani authoritatem, quæ permovit Pontifices, & inde etiam Canonistas & Scholasticos Theologos, ut ea deinceps distinctione uterentur, ac sensim communi usu recepta fuerit. Adversus hunc tamen Epocharum arbitrarium depunctorem, & invocationum Ecclesiasticarum annotatorem dicendum est I. Nunquam Ecclesiam recepisse, aut approbasse, vel reverenter observasse, quod ait Eybelius, leges Romanorum, quæ conjugia servorum pro meris contuberniis, & adulteriis habebant, sed vera semper, & legitima matrimonia, ac Sacramenta reputasse, & Paganas leges correxisse, atque emendasse, quamvis, quod attinet ad civiles effectus, eas vigere, atque observari permitteret. II. Eam distinctionem inter servitutem cognitam, & ignoratam longe ante sæculum duodecimum adhibitam fuisse ex Concilio Vermeriensi demonstratum est; & Zachariæ Pontificis decreto apud Gratianum 29. qu. 2. cap. Si quis liber. III. dicendum est, nullam unquam fuisse hac in re Ecclesiæ innovationem, quum impedimentum ex errore circa servitutem, non ex Ecclesiæ veteri, aut novo decreto, sed ex ipsa natura conjugalis contractus pro-

proveniat. Dicendum est IV. Eam distinctionem non esse inventam occasione apocryphi decreti Julii Papæ, quod licet illius Pontificis non sit, tamen proculdubio alicujus sancti Pontificis, & Scripturæ, atque rationi conforme est, quod in similibus Gratiani lapsibus notandum est. Nimirum Van-Espenius ipse de hoc decreto loquens pro Julii scripsit Lucii. An ideo pseudo decretalium inventor, & confictor dicendus erit? Dicendum est V. non Gratiani authoritate, sed authoritate Pontificum, & Conciliorum longe Gratiano antiquiorum eam distinctionem ab Cregorio IX. in Decretalibus inductam, & Canonistarum, ac Theologorum communi usu receptam.

9. Horum primum constat ex doctrina Pauli, (*Eph.* 6.) apud quem in Christo JESU non est servus, aut liber, & propterea Christianæ fœminæ permittitur cui vult nubere, tantum in Domino. Secundo ratione adducta: quia servitus nullo bono matrimonii opponitur, non proli, non fœderi, non Sacramento. Tertio: quia si usque ad 12. sæculum antiquas Romanorum leges recepit, atque observavit Ecclesia: ergo per 12. sæcula copulationes servorum mera contubernia fuerunt, & permissa adulteria, non matrimonia, non Sacramenta, nec Ecclesia eorum saluti providit, pro quibus tamen Pastores invigilare debuerunt, quasi rationem pro animabus illorum reddituri. Quarto probatur decreto Julii Papæ, sive quis alius fuerit, quod Gratiano, melius quam nostris Criticis constare potuit, ibi: Omnibus nobis unus est Pater in cœlis, & unusquisque dives, & pauper, servus, & liber æque pro se, & nos pro animabus eorum rationem sumus reddituri. Quapropter omnes, cujuscumque conditionis sint, unam legem, quantum ad Deum pertinent, habere non dubitamus: ergo sicut ingenuus, ita & servus matrimonio copulatus dimitti non potest.... Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censemur. Si enim ex affectu sunt omnes nuptiæ, & nihil impium, aut legibus contrarium in tali copulatione inveniatur, quare prædictas nuptias inhibendas existimemus.

10. Secundum probatum manet ex Can. 6. & 8. Concilii Vermeriensis, & decreto Zachariæ Papæ, quæ longe antiquiora sunt Gratiano.

11. Tertium ex dictis fluit. Tunc enim aliqua innovatio sæculo 12. facta fuisset, quum Ecclesia aliquod impedimentum induxisset, quod antea non erat, aut aliquod sustulisset, quod antea fuerat; sed servitus cognita a contrahentibus nunquam impedivit inter Christianos verum matrimonium, ut probatum est; servitus autem ignorata, sive error circa cognitionem, semper impedivit. Cum eo enim errore non stat plenus consensus in personam: ergo nulla est 12. sæculo facta innovatio: ergo neque ex apocrypho decreto Julii Papæ, nec

ex authoritate Gratiani, quæ transversum egerit RR. Pontifices, Canonistas, ac Theologos, quod erat quartum, & quintum.

12. Opponunt vero, qui Ecclesiam aliquando matrimonia servorum pro invalidis habuisse putant, Basilium in Epist. ad Amphil. can. 40. dicentem: Quæ præter Domini sententiam se viro tradit, fornicata est; quæ vero postea libero matrimonio usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc vero matrimonium. Eorum enim, qui in alterius potestate sunt, pacta conventa firmitatem roboris non habent. Præterea adducitur Conc. Cabilonens. II. sub Carolo Magn. ibi: Nobis visum est, ut conjugia legitima servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, dominis suis serviant. Ex quo patet servitutem per sese non esse impedimentum tale, quod matrimonium dirimat. Addit tamen Concilium: & hoc ibi observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum: ergo ubi legalis conjunctio non est, id est, scientibus, & consentientibus Dominis, matrimonia servorum dirimi poterant, & legem civilem hac in parte accepit, & probavit Ecclesia. Ad horum autem primum dicitur, Basilii opinionem de hac re singularem esse, & non Catholicæ Ecclesiæ doctrinam. Hinc Estius, & Arcudius, optandum esse, ajunt, ut tale Basilius non scripsisset. Alii negant, Epistolam illam Basilii fœtum esse: sed in hoc falluntur. Certe diserte habetur inter Ecclesiasticas Regulas cap. dignum de Conjug. Servorum: Sane juxta verbum Apostoli sicut in Christo JESU neque liber, neque servus est a Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, & si contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propterea dissolvenda. Dici etiam posset, Basilium loquutum secundum consuetudinem civilem, & judicium fori externi, in quo quod attinet ad effectus civiles dotis, successionis, hæreditatis &c. conjugia servorum eandem vim habebant, ac adulterinæ copulationes. Simili sensu alibi (*Epist. ad Amphiloch. cap. 4.*) dixit Basilius secundas nuptias non esse nisi castigatam fornicationem, & decora adulteria. Nam quid enim? Quia servus, uti dicitur ff. de jure dotium matrem non habet civilem, propterea servus jure naturali, & divino non tenebitur honorare patrem, aut matrem? Scilicet subtilitates illæ Juris civilis ad forum Dei, atque animæ salutem nihil faciunt. Aliud Ulpianus docet, aliud Paulus, quæ tamen non semper inter se pugnant, quin secundum diversos effectus conciliari possint. Detur; quod Cæsaris est, Cæsari, quod Dei, Deo. Ad secundum ex Concilio Cabillonensi idem responsum esto. Concilium enim apertissime definivit, Dominos irritare, aut dirimere non posse servorum matrimonia, & hoc observandum esse, ait; non solum ibi, ubi matrimonia

ser-

servorum legitima erant; sed etiam ibi, ubi non habebantur legalia, nisi fierent per voluntatem Dominorum. Hoc enim solum probat, alicubi apud Gallos necessarium fuisse consensum herilem ad valorem matrimonii in foro civili, & externo; quod tamen non propterea quod attinet ad Deum, & spirituales effectus dissolvendum esse, Concilium definit. Legem ergo civilem non recepit, nec approbavit Ecclesia, quam non repræsentabat Concilium Provinciale Cabillonense, imo neque Cabillonense Concilium eas leges probavit, sed toleravit potius, inquit Estius, (*lib.* 4. *dist.* 36.) ubi leges contrarias introducere difficile erat. Deinde vero eas leges valere fecit Ecclesia, per quas animarum saluti certius consuleretur, non eas quidem novas, sed antiquas, Evangelicas, Apostolicas, uti sunt omnes illæ, quæ ad valorem Sacramentorum, & spiritualem profectum spectant, & ab illo institutæ sunt, qui est Pastor, & Episcopus animarum nostrarum. Sed de hoc satis.

13. Tertium impedimentum dirimens est Votum solennizatum per professionem Religiosam, vel per susceptionem Sacri Ordinis, de quo nihil particulare occurrit notandum.

14. Quartum est impedimentum Cognationis. Est autem Cognatio vel Carnalis, quæ est Consanguinitas, vel Spiritualis, quæ resultat ex collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis, vel Legalis, quæ ex adoptione, vel arrogatione resultat. Primum de Consanguinitate dicendum est. Prænotandum autem I. In causa matrimoniali nihil interesse utrum consanguinitas ex licito, an ex illicito oriatur concubitu leg. 8. ff. de Ritu Nupt. II. Arborem consanguinitatis distingui per lineas, & gradus. Linea dicitur series personarum a communis stipite descendentium Pater, Filius, Nepos &c., atque abit in Rectam, & Obliquam. Recta exhibet personas, quarum una alteram generat, & si a genitis ad genitores numeretur, dicitur Ascendens: si ab genitoribus ad genitos dicitur Descendens. Linea obliqua, seu transversa exhibet personas, quarum una aliam non generat, sed quæ ab eodem stipite descendunt, ut frater, soror, & hæc dicitur æqualis, quum personæ æque ab stipite distant, aut inæqualis, quum personæ non æque ab stipite distant.

15. In supputandis pro unaquaque linea gradibus tres sunt regulæ Canonistarum, quas Beza impugnavit; sed optime explicat, ac probat Bellarminus. (*lib.* 1. *de Matrim. cap.* 24. & *seqq.*) Prima est: In recta linea ascendentium, seu descendentium tot sunt gradus, quot personæ, dempto stipite. Stips enim per se non facit gradum: ergo stips, seu pater, filius, nepos, pronepos, abnepos quinque sunt personæ, gradus quatuor, aut generationes, seu distantiæ ab stipite. Et in hac prima Regula tam Canonici, quam Civilis juris Interpretes conveniunt,

niunt. Secunda: In linea obbliqua, seu transversa si duæ personæ æque distent ab stipite, tot gradibus inter se distant, quot quævis ab stipite distat. Duo enim fratres æque distant a Patre stipite, & primo distant. Igitur secundum jus canonicum in ordine recto primus gradus est filiorum, qui primi ab stipite derivantur. Nam ut ex Gregorio argumentatur Alex. II. (*Epist.* 38.) in cap. ad Sedem 35. qu. 5. Si filii, & filiæ fratrum in secunda generatione numerantur, fieri non potest, ut ipsi fratres non numerentur in prima. Quod si fratres in prima, filii eorum in secunda: ergo nepotes fratrum in 3., pronepotes in 4. &c. In hac regula non conveniunt Canonici, & Civilis Juris Interpretes. Civilistæ enim in transverso etiam ordine, sicut in recto, tot ponit gradus, quot sunt personæ, dempto stipite, Et hanc supputandi rationem sequuti videntur Ambros. in ep. ad Paternum 64., & Augustinus in 15. de Civ. Dei (*cap.* 16.) qui asserunt, duos consobrinos esse in quarto consanguinitatis gradu, quorum inter se nuptias prohibuerat Theodosius leg. un. si nuptiæ ex Reser. petant, ac deinde permiserunt Arcadius, & Honorius leg. 19. C. de Nupt. Hanc legem correxit Gregor. scribens ad Aug. Angl. Ep. Experimento enim didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Ibi autem Gregorius pro primo gradu ponit germanos fratres. Unde quibusdam videtur primum diversitatem supputationis a Civili jure induxisse. Tandem eam diversitatem, & ejus rationem reddidit, explicuit, & observari deinceps mandavit Alex. II. in Concilio Lateran., suadente potissimum Petro Damiano, in quem propterea Hottomanus, & alii Civilistæ debacchantur.

16. Sententia autem Petri Damiani, & Canonica supputandi ratio fundatissima est. Quia quum personæ in ordine transverso non conjungantur nisi ratione stipitis, a quo procedunt, non possunt inter se magis, aut minus distare, quam ab stipite distant: eo igitur gradu conjunguntur, aut distant, quo cum stipite conjunguntur, aut ab eo distant. Duo igitur fratres in primo gradu erunt, quia uterque in primo gradu est cum stipite; consobrini autem in secundo gradu &c. Deinde, pensatis utriusque juris limitibus, & rationibus, id ipsum convincit Alexand. II. in cap. Ad Sedem cit. Invenitur enim in Legibus ob nihil aliud graduum mentionem factam esse, nisi ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam deferatur; in Canonibus vero ad hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quotam generationem a consanguineorum nuptiis abstinendum sit: ibi præscribitur, quomodo hæreditas ad propinquos modo legitimo transeat, hic vero ut rite, & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distincte non numerantur gradus nisi usque ad sextum; in Canonibus autem usque ad septimam distinguuntur ge-

generationem. Hac ergo de causa, quia hæreditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam, id circo curavit sæcularis Imperator in singulis personis singulos gradus perficere. Quia vero Nuptiæ sine duabus non possunt fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas; utramque tamen computationem, si attente perspecta fuerit, ac subtiliter idem sensisse, & eandem in eis sententiam esse, atque in eundem terminum convenire, manifestissimum est.... Itaque duo gradus legales unum Canonicum constituunt. Fratres, qui secundum leges sæculares numerantur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui ibi in quarto, hic numerantur in secundo: nepotes fratrum, qui in sexto ibi, hic in tertio. Sic deinceps, qui apud leges in 8., & 10., hic in 4., & 5. &c. Hanc computationem intellexit prudentissimus Papa Gregorius &c. dum Anglis in fide Neophytis specialiter, ut ipse Felici Messanensi scripsit, (*lib.* 14. *ep.* 17.) non universim pro Ecclesia, dispensavit, ut in tertia, vel quarta generatione possent nuptiis conjungi. Ergo secundum computationem legalem duo fratres attinent sibi in secundo gradu, inquit D. Thomas, (*in* 4. *dist.* 40.) quia uterque a radice communi, seu stipite distat per unum gradum. Sed hæc computatio falsa est, primo quidem, quia ut argumentatur Bellarminus, assignat secundum gradum, ubi non est primus, quod absurdum est.... Sed secundum computationem Canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat ab communi stipite nisi per unum gradum: bis autem idem gradus, non facit duos gradus. Sed filius unius fratrum distat a fratre patris sui in secundo gradu, quia tantum distant a communi radice. Et ideo secundum computationem canonicam quoto gradu distat quis ab aliquo gradu superiori, toto distat a quolibet descendentium ab ipso, & nunquam minus, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo si alii descendentes a communi principio conveniunt cum aliquo ratione communis principii, non possunt esse propinquiores descendenti ex alia parte, quam sit primum principium ei propinquum. Et de secunda quidem Regula pro linea Collaterali æquali hæc dicta sunto.

17. Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente a communi principio, quam ipse distet a principio, quia alter plus fortasse distet a communi principio, quam ipse, & in hoc casu secundum remotiorem distantiam computari. Unde Tertia Regula est. In linea Collaterali inæquali tot gradibus quis ab alio distat, quot distat a stipite ille, qui est remotior. Hæc Regula, inquit Beza, (*lib. de repudiis, & divortiis.*) crassum adeo, & pudendum errorem pro-

prodit, ut vel sola demonstret spiritum vertiginis in Antichristis, id est RR. Pontificibus, regnantem. Sic autem argumentatur

Sit stips - - - - Thare.

Abraham	Nachor
Isaác	Batùel
Jácob.	Labàn.
Jóseph	

Jam vero si quæratur, quoto gradu distet Joseph a Nachor? respondebitur: quarto. A Batuele? quarto. Ab Labano? quarto. Ergo idem Joseph æqualiter distat ab illis tribus, qui inter se singulis gradibus distant, quod est absurdissimum. Sed Beza non Catholicorum errorem, sed ignorationem suam ostendit. Nam descendentes ex uno latere nullam dicunt habitudinem ad descendentes ex latere altero, nisi ratione stipitis, in quo uniuntur. Uniuntur autem in Thare: ergo quot gradibus Joseph distat a Thare, tot gradibus distat ab omnibus ex alia linea descendentibus ab Thare; licet illi magis, aut minus inter se distent, nam hæ distantiæ non ab Joseph, sed ab reliquis ejusdem lineæ illos disterminant. Ratio vero regulæ optima est: nam quum personæ collaterales non conjungantur nisi in stipite, implicat conjunctiores esse inter se, quam cum stipite, nam propter quod unumquodque tale, illud est magis; sed si propinquioris ratio haberetur, collateralis distans v. g. in tertio, aut quarto gradu ab stipite cum collaterali distante in primo gradu conjunctior esset quam cum stipite, distante hoc in tertio, aut quarto gradu, illo autem in primo: ergo ratio non a propinquiori, sed ab remotiori desumenda est. Item: sic facta computatione penes propinquiorem, nulla esse posset graduum ratio, nam quando alter esset in primo gradu cum stipite, alter vero in quarto, collaterales essent conjuncti inter se in primo gradu, atque adeo æque atque fratres: nulla igitur esse posset graduum distinctio. Cætera quæ ad cognationem carnalem, vel ad ejus dispensabilitatem attinent, trita sunt apud Morales, & Canonicos Scriptores.

18. Cognationis porro Spiritualis prima mentio deprehenditur in leg. 26. Co. de Nuptiis, ubi Cognati habentur baptizantes, & baptizati. Suscepti a baptismo, & Susceptores. Quum autem Confirmatio

simul cum baptismo daretur in prioribus Ecclesiæ sæculis, inde ad Confirmationem, quæ postea seorsim dari cœpit, cognatio eadem deducta est. In Can. 53. Concilii Trullani id decretum inter levantem, levatique parentes, quos nunc Compatres, & Commatres dicimus; deinde ad alios quoque extensa cognatio. Tandem a Concilio Tridentino res ad antiquam institutionem revocata, decretumque cap. 2. sess. 20. de Reform. matrim., ut cognationem spiritualem non contrahant nisi

Baptizans, baptizatus, ejusque parentes.
Levans, Levatus, Levatorumque parentes.

19. Cognatio legalis inducitur per arrogationem, qua homo sui juris in patriam alterius potestatem redigitur, qua honestatis causa primum a jure civili induxit prohibitionem Nuptiar. leg. 17., & 55. de Rit. Nuptiar., quas venerandas Romanorum leges appellat Nicolaus ad consulta Bulgar., ac deinde confirmatum in cap. unic. de Cognat. leg.

20. Quintum est impedimentum Criminis. Non tamen omne crimen hic accipitur in Ecclesiastico jure, sed solum duplex, nimirum Adulterium. Nec propter adulterium quodcumque solvi potest matrimonium quoad vinculum. Necesse est ergo I. adulterium esse ex utraque parte formale, & non pure materiale. II. necesse est esse perfectum, unde effectus generationis provenire possit. III. ut fiat cum promissione futurarum Nuptiarum. Secundum crimen est Conjugicidium. Duo autem requiruntur. I. ut reapse mors conjugis sequatur. II. ut cædes fiat ex consensu, & conspiratione futurorum conjugum ex animi proposito semet invicem conjungendi, & ita hæc explicantur in cap. 1., & 6. de eo, qui cognov. &c. Tertium crimen est ex Adulterio simul, & Conjugicidio conflatum, quum quis occidit conjugem, ut adultero se copulet. Ut autem ita intelligeretur impedimentum Criminis, non Gratiani authoritas, quod scribit Eybelius, sed necessitas fecit, diversa Patrum doctrina. Unde ad hæc concilianda, dicendum fuit I. non omne crimen matrimonium dirimere, alias quum nemo sine crimine vivat, passim probato quocumque crimine, matrimonia dissolverentur. II. dicendum fuit, non quodcumque adulterium esse matrimonii diremptivum, alias mæcharentur conjuges passim, ut ad alias nuptias transirent. III. dicendum fuit, non quamcumque conjugis occisionem esse impedimentum nuptiarum cum hac, vel cum quacumque. Nam si conjux conjugem in adulterio, aut alio scelere deprehensum ex ira occiderit, ei propterea omne conjugium prohibebitur aut cum Titio v. g., aut Bertha. IV. di-

dicendum fuit, non omne adulterium simul cum conjugicidio irritum facere matrimonium. Nam David, qui cum Bersabee adulterium prius commiserat, & postea innocentem ejus conjugem Uriam occiderat, tamen cum ea licite contraxit, & Deo protegente, successorem Regni habuit Salomonem. Denique aperte habebantur contradictoriæ Augustini, ac Leonis sententiæ apud Gratianum. Cui ergo standum? An non potius quærendum ut in aliquam communem sententiam redigerentur? An quod Gratiano in mentem venire potuit, id Patres, & antiqui Ecclesiæ Doctores excogitare non potuerunt? Non est credendum ita loquutos PP. Concilii apud Alphesum sub Conrado, ut plane contrariam Augustino sententiam pronunciarent, nisi sub aliqua limitatione intelligendi essent. Nonne eandem limitationem expresse adhibuerunt Patres Concilii Triburiensis? (*Can.* 40.) Nimirum, multum intererat Eybelii, ut supra Van-Espenii reputationem, & authoritatem Gratiani extollere, ut videretur ex Apocryphis ejus Decretalibus, & arbitrariis interpretationibus totam fere hodiernæ Ecclesiæ disciplinam descendere.

21. Sextum numeratur impedimentum Cultus disparitas, quæ proprie est inter baptizatum, & non baptizatum. Opponitur autem prolis educationi in fide, & vero cultu partim jure naturali, partim divino, & positivo Ecclesiastico. Dicitur enim: Nolite jugum ducere cum infidelibus 2. ad Corith. 7. Unde matrimonia cum Hæreticis, ubi in eadem urbe permittuntur, quamvis illicita, non sunt invalida, & etiam ex gravi causa per dispensationem licita esse possunt.

22. Septimum impedimentum est Vis, seu Coactio, aut Violentia, quæ jure naturæ consensus libertati opponitur, idemque est de amentia, & furore &c.; quæ liberum consensum tollunt.

23. Octavum est Ordo sacer, nimirum, propter annexum ex statuto Ecclesiæ votum. Et hoc quidem si præcedat matrimonium. Si sequatur enim matrimonium contractum, quamvis illicitum, non reddit irritum.

24. Nonum est Ligamen, de quo supra dictum.

25. Decimum impedimentum est Honestas, sive justitia publicæ Honestatis, quæ oritur ex Sponsalibus validis quoad primum gradum ex Tridentino 24. de Reform. cap. 3., intelligiturque de Sponsalibus validis etiam post mutuo consensu dissolutis. Sed quæ oritur ex matrimonio rato, non consummato, usque ad quartum gradum ex Pii V. constit. incip. ad Romanum an. 1558. Non tamen oritur ex Sponsalibus invalidis per defectum consensus cap. 1. de Sponsalib. in 6.

26. Undecimum impedimentum est Affinitas, quæ post Lateranense Conc. IV. sub Innoc. III. restricta est ad primum genus, quo Berta v. g. fratri meo nupta, mihi, & sorori meæ affinis est. Computantur

tur gradus affinitatis ex gradibus consanguinitatis. Quo enim gradu quis est consanguineus viro, eodem est affinis uxori illius. Oritur etiam affinitas ex copula illicita; sed ex copula illicita affinitas restricta est per Tridentinum ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur 24. de Reform. cap. 24. Non oritur nisi ex copula perfecta, qualis ad generationem requiritur, sed nec oritur ex matrimonio rato, & non consummato. Ex Concilio Epaonensi (*can.* 30.) Matrimonium privigni cum noverca postquam contractum est, non jubetur dirimi. Ex quo patet, nuptias etiam in primo gradu affinitatis non esse jure naturæ prohibitas etiam in primo gradu rectæ linææ: in linea autem transversali, inquit Sanchez, (*lib.* 7. *disp.* 66.) nullus gradus affinitatis ita est prohibitus, ut irritet matrimonium jure naturæ, quamvis præseferat aliquam indecentiam naturalem.

27. Duodecimum impedimentum assignatur Impotentia coeundi, qua nihil magis matrimonio contrarium est, quum omnino evertat finem, & principale bonum matrimonii, nimirum prolem. Ad hanc eandem reducitur defectus ætatis. Ante pubertatem siquidem omnes sunt ad generandum inepti, unde jure naturæ a matrimonio excluduntur.

28. Decimum tertium impedimentum est Clandestinitas denuo ab Tridentino Concilio stabilita, ubi Parochi, & duorum testium præsentia exigitur, qua deficiente, matrimonium irritum, atque inane definitur 24. de reformat. cap. 1.

29. Decimum quartum impedimentum est Raptus, qui duplex distinguitur, alter per coactionem, quando invita puella ab domo parentum, aut eorum, quorum sub cura est, abducitur, & hic quidem, quum importet violentiam, ad septimum impedimentum reducitur. Alter est Raptus per seductionem, quando puella non per violentiam, sed lubens, volensque raptorem sequitur. Dicendum est autem, Tridentinum utrumque raptum ex æquo intellexisse, quum hoc impedimentum instituit. Instituit enim non de novo, sed antiquos Canones, ac Civiles leges sequutum. At antiquæ leges Constantini, Justiniani, Caroli magni, & Canones Concilii Aquisgranensis, qui afferuntur 36. q. 2. c. 1., & 66. Concilii Meldensis æque loquuntur de eo, qui puellam invitam rapuerit, vel volentem abduxerit, de eo, qui puellam furatus fuerit, aut seduxerit: ergo Concilium Tridentinum, quod solum antiquos Canones illos cum quadam restrictione renovavit, de utroque raptu intelligendum est. Mitigavit autem Tridentinum antiquarum legum, & Canonum rigorem. Antiquitus enim Raptor raptam, aut seductam nunquam nullatenus uxorem ducere poterat, Tridentinum autem decernit inter raptorem, & raptam, (etiam ipsa consentiente) nullum posse subsistere matrimonium, quamdiu

ipsa in potestate raptoris manserit. Quod si a raptore separata, & in loco tuto, ac libera constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. Ipse autem, & omnes consilium, auxilium, aut favorem præbentes, excommunicati sint ipso jure, atque infames. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter dotare Judicis arbitrio.

CANONES TRIDENTINI

circa Matrimonium Sess. 24.

I. Si quis dixerit, Matrimonium non esse unum ex septem Evangelicæ Legis Sacramentis a Christo D. institutum, neque gratiam conferre, anathema sit.

II. Si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores, nec id lege divina prohibitum, anathema sit.

III. Si quis dixerit, tantum Consanguinitatis, & Affinitatis gradus in Levitico expressos posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, aut dirimant, anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.

VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare quum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam ducit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, quum ob multas causas, separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

IX. Si

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius, ac beatius manere in Virginitate, aut Cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.

XI. Si quis dixerit, prohibitionem solennitatis Nuptiarum certis annis temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in eis utitur, damnaverit, anathema sit.

XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI XIV.

IN-

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI XV.

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI XVI.

FINIS.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Fr. Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Francisci Xaverii Alegrii, & Institutionum Theologicarum, &c. Tomus Sextus complectens de Sacrificio Novæ Legis, De Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia. De Pœnitentia. Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio. &c. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Agosto 1790.

(Andrea Querini Rif.
(Pietro Barbarigo Rif.
(

Registrato in Libro a Carte 395. al Num. 3102.

Marcantonio Sanfermo Seg.

Adi 1790. 9. Agosto.

Registrato a Carte 158. tergo nel Magistrato degl'Illustrissimi ed Eccellentissimi Signori Esecutori contro la Bestemmia.

Antonio Perazzo Seg.

ER-

E R R A T A C O R R I G E.

Pag.	num.	linea.	Errata		Corrige
146	19	27	adoreretur	leg.	adoraretur
165		14	in suæ arte	leg.	in sua arte
171	40	5	usque secundum	leg.	usque ad secundum
189		4	Offerebatus	leg.	Offerebatur.
191		1	Casula causa	leg.	Casula clausa.
207		1	Vivos Apostolicos	leg.	Viros Apostolicos
210	44	4	Elevati	leg.	Elevatis.
226		20	quamvis autem, &	leg.	quamvis autem Verba, &
240	25	10	& quia non dependet	leg.	& quia prius non dependet
257		15	inclicat enim	leg.	inclinat enim.
258	49	1	Sacramenta, qua	leg.	Sacramenta, quæ
270		32	at non habemus	leg.	at nos habemus
321	44	26	in hanc 9.	leg.	in hanc quæst.
332	70	31	aquam verum	leg.	aquam veram
335		4	annis competentibus	leg.	armis competentibus.
342	11	24	cap. 6. 3. & p. q.	leg.	cap. 6. & 3. p. q.
343	13	13	pudori	leg.	pud oris
354	28	26	auditis Americanum	leg.	auditis, respondit: Americanum
383	3	6	confirmat	leg.	confirmant
393	13	8	innuitur ad utramque	leg.	innuitur, quod ad utramque
407		8	a D. Thomæ	leg.	a D. Thoma
408		41	Sacramenti ipsum	leg.	Sacramenti ipsius
429		32	divinis amori	leg.	divini amoris
480		1	ratione vivendi	leg.	rationes vivendi
569		13	tractatus	leg.	tractato
601		35	suscipiantur	leg.	suscipiatur
610	3	16	sicut ferri a natura	leg.	sicut ferri deorsum (*ut in l.* 17.)
619		22	miraculæ	leg.	miracula.
636		3	permittens	lag.	permittentes.
643		1	retractant facta	leg.	facta retractant.

Ex Libris Laurentii Berti
anno sal. 1810. ex dono R.D.
Antonii N. Exjesuitae
Hispani